EDICION DE LAS OBRAS COMPLETAS
DE
SANTIAGO RAMIREZ, O. P.

TOMO II

CONSEJO SUPERIOR DE INVESTIGACIONES CIENTIFICAS

JACOBUS M. RAMIREZ, O. P.

DE ANALOGIA

★ ★ ★

Editio praeparata a Victorino Rodriguez, O. P.

INSTITUTO DE FILOSOFIA "LUIS VIVES"
MADRID, 1971

NIHIL OBSTAT: *Fr. Guillelmus Fraile, O.P.*
Fr. Victorinus Rodriguez, O.P.

IMPRIMI POTEST: *Fr. Sigismundus Cascón, O.P.*
Provincialis Provinciae Hispaniae.

IMPRIMATUR: *Dr. Constantius Palomo*
Vicarius Generalis.
Salmanticae, 22 novembris 1970.

~~BR 431 R173 v.2, pt. 3~~

© C. S. I. C.

DEPOSITO LEGAL: S. 334-1970
IMPRESO EN ESPAÑA
PRINTED IN SPAIN

IMPRENTA «CALATRAVA». Libreros, 9.- SALAMANCA 1971

FEEHAN MEMORIAL LIBRARY
ST. MARY OF THE LAKE SEMINARY
MUNDELEIN, ILLINOIS

B
4568
.R34
1970
v.2
pt3

INDEX RERUM SYNTHETICUS

PRIORIS PARTIS SECTIO SECUNDA
DE DIVISIONE ANALOGIAE

QUAESTIO PRIMA.—DIVISIO GENERALIS ANALOGIAE IN MODOS EIUS 1093

CAPUT I.—De divisione analogiae apud Aristotelem 1095

CAPUT II.—De divisione analogiae apud Aristotelis commentatores usque ad S. Thomam 1107

Art. 1.—Divisio analogiae apud graecos expositores 1107

Art. 2.—Divisio analogiae apud expositores arabos 1174

Art. 3.—Divisio analogiae apud expositores latinos 1201

CAPUT III.—De divisione analogiae apud S. Thomam 1399

Art. 1.—Crisis cuiusdam divisionis attributae S. Thomae absque solido fundamento 1400

Art. 2.—Ipsa divisio authentice thomistica 1417

CAPUT IV.—De ipsa divisione completa analogiae secundum se 1461

Art. 1.—Methodus divisionis inveniendae 1462

Art. 2.—Ipsa divisio multiplex analogiae 1466

PRIORIS PARTIS SECTIO SECUNDA
DE DIVISIONE ANALOGIAE

SECTIO SECUNDA

DE DIVISIONE ANALOGIAE

560. Analogiam quadantenus habere partes ideoque divisionem aliquo modo suscipere, ex supra dictis luculenter apparet [1], ubi ostensum est Analogiam multipliciter dici. Superest ergo ut videamus quot et quales sint huiusmodi partes.

Et quidem trademus in primis divisionem generalem Analogiae in modos suos, ac dein propriam indolem singulorum modorum investigabimus.

QUAESTIO PRIMA

DIVISIO GENERALIS ANALOGIAE IN MODOS SUOS

561. Divisio Analogiae in modos suos fuit paulatim elaborata; et ideo oportet, examinare diversa peripateticorum tentamina antequam ex ipsa rei natura veram eius divisionem tradamus. Omnes enim suo modo collaborarunt ad plenam et perfectam Analogiae divisionem, quae ultimam attigit perfectionem apud S. Thomam [2].

Naturalis ergo rerum ordo postulat ut inquiramus, primo quidem divisionem Analogiae apud Aristotelem; secundo, apud Aristotelis commentatores ante S. Thomam; tertio, apud ipsum Thomam; quarto, tentabimus completam tradere divisionem ex ipsa natura Analogiae.

---

[1] Cf. *supra*, volumine 1, nn. 80-100.

[2] De hac scientifica collaboratione in veritate invenienda videri potest S. THOMAS, *In II Metaph.*, lect. 1, nn. 276, 287-288; *In XII Metaph.*, lect. 9, n. 2566; *In I Ethic.*, lect. 11, n. 133; *In II Ethic.*, lect. 1, n. 246.

CAPUT I

DE DIVISIONE ANALOGIAE APUD ARISTOTELEM

562. Stagirita nullibi data opera theoriam analogiae conscripsit, ea tamen frequenter usus est in suis Operibus, huc illuc spargens diversos analogiae modos prout necessitas alicuius problematis solvendi requirebat. Ideo necesse est diversa eius opera percurrere ad inveniendos analogiae modos quos ipse distinxit, eosque collectos inter se comparare: sic enim finaliter apparebit quot analogiae modos ipse cognoverit.

Aristoteles ergo nomen analogum contradistinguit a nomine univoco. Nomen autem univocum, quod συνώνυμον appellat, de pluribus dicitur uno eodemque modo, μοναχῶς, hoc est, eadem significatione vel definitione [1]. Consequenter analogum est quidem nomen commune sicut univocum, sed de pluribus dicitur diversimode,

---

[1] Aristoteles, *Categoriae*, cap. 1, n. 2 (I, 1, 7-13); cap. 3, n. 15 (I, 4, 54; 5, 1-2); *VI Topic.*, cap. 10, n. 3 (I, 249, 21-22); *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 11 (II, 5, 7-12).

πολλαχῶς, idest diversa significatione vel definitione, et ideo inter ὁμώνυμα adnumeratur [1].

Porro aequivocorum sive ὁμωνύμων rationes sive definitiones quaedam sunt multum distantes, πολὺ ἀπέχουσαι ita ut inter eas nulla sit realis convenientia neque mutua dependentia, sed sint omnino diversae soloque nomine conveniant, sicut ἀετὸς vel κύων [2]; aquila enim sensu penitus diverso dicitur de ave, de pisce et de constellatione, et similiter canis: et haec dicuntur pure aequivoca, nempe a casu, ἀπὸ τύχης, vel mere per accidens, κατὰ συμθεβηκός [3]: quaedam vero rationes sunt aliquo modo propinquae, ἐγγὺς [4], et convenientes, ita ut unitas quaedam in earum diversitate servetur, vi cuius adunari queant sub uno nomine cum fundamento in re; sicut γαλήνη et νενεμία conveniunt in ratione quietis non obstante diversitate maris et aeris quibus applicantur, et ideo utraque uno eodemque nomine communi nominari potest, scilicet ἡσυχία; et similiter μονὰς et στιγμη, non obstante earum diversitate, conveniunt in ratione principii, et ideo unum commune nomen sortiri valent, scilicet ἀρχὴν; στιγμη siquidem est principium lineae sicut μονὰς est principium numeri [5]: et huiusmodi non sunt pure aequivoca, sed ὁμώνυμα a consilio vel electione, ἀπὸ διανοίας, ἀπὸ προαιρέσεως [6], idest *analoga*.

Itaque συνώνυμον importat simpliciter λόγον, quia eius est una eademque ratio significata per nomen; ὁμώνυμον vero ἀπὸ τύχης est simpliciter παράλογον, quia ibi nulla est ratio communis significata per nomen [7];

---

[1] *Categoriae*, cap. 1, n. 1 (I, 1, 1-6); *VI Topic.*, cap. 10, nn. 3-7 (I, 249-250); *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, nn. 11-22 (II, 5, 7-17).

[2] *VII Physic.*, cap. 4, n. 11 (II, 340, 19); *De Sophisticis elenchis*, cap. 4, n. 5 (I, 278, 38-39).

[3] *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 14); *V Metaph.*, cap. 2, n. 9 (II, 536, 34-35).

[4] *VII Physic.*, cap. 4, n. 11 (II, 340, 20).

[5] *I Topic.*, cap. 16, n. 12 (I, 185, 48-54).

[6] *II Physic.*, cap. 5 (II, 267-268).

[7] *II Physic.*, cap. 5, n. 8 (II, 267, 50-51).

ὁμώνυμον autem ἀπὸ διανοίας se habet medio quodam modo inter simpliciter ὁμώνυμον et simpliciter συνώνυμον, et ideo est verum ἀνάλογον, utpote significans unam rationem communem aliquo modo eandem et aliquo modo diversam.

563. Ex quo igitur ἀνάλαγον est essentialiter medium inter pure univocum et pure aequivocum, tot erunt modi analogiae quot sunt modi medii inter pure aequivocum et pure univocum.

Est autem considerandum quod primum univocum sive universale presse dictum est genus [1], et ideo analogum semper esse debet rerum et rationum diversi generis: εἰ γὰρ μὴ ταὐτά, δῆλον ὅτι ὁμώνυμον τὸ λεγόμενον [2]; οὐ γὰρ ἕν γένος τῶν τοιούτων [3].

Atqui genus est duplex: aliud physicum, aliud logicum. Physicum quidem, cuius est eadem materia transmutabilis in formas oppositas; logicum vero, cuius est idem supremum praedicamentum, etiamsi potentia eius, unde sumitur genus, non sit transmutabilis a forma in formam [4].

Ergo et analogum duplex est: aliud inter diversa genera physica, quae tamen conveniunt in eodem genere logico, ut inter substantiam corpoream et incorpoream, puta inter animal et angelum; aliud inter diversa genera logica, ut inter substantiam et accidens.

Et quidem primus analogiae modus dicitur παρὰ γένος vel ἐγγὺς γένει, idest iuxta vel prope genus [5], quia revera datur inter species eiusdem generis logici, quarum una est perfectior alia; secundus vero dicitur extra vel

---

[1] Cf. *supra*, n. 489.

[2] *I Topic.*, cap. 13, n. 11 (I, 182, 52-53).

[3] *X Metaph.*, cap. 3, n. 1 (II, 587, 22).

[4] Cf. *I Topic.*, cap. 4, n. 6 (I, 175, 8-9); *IV Metaph.*, cap. 6, n. 7 (II, 519, 37-41); *IX Metaph.*, cap. 10, nn. 1-3 (II, 584, 4-27).

[5] *II Physic.*, cap. 4, n. 11 (II, 340, 17-20); *V Ethic. Nicom.*, cap. 1, n. 7 (I, 52, 35-40); *II Post.*, cap. 12, n. 24 (I, 167, 15-16); *VI Topic.*, cap. 2, nn. 1-3 (I, 236, 8-22).

praeter genus, καθ' ἕτερον σχῆμα κατηγορίας τοῦ ὄντος [1], quia viget inter ἕτερα τῷ γένει, et ideo transcendit genus. Huic convenit plene et perfecte ratio analogiae, quia essentialiter est inter rationes quae nullo modo univoce conveniunt; illi autem non convenit ratio analogiae nisi secundum quid et quasi dimidiate, quia revera est inter rationes convenientes univoce univocatione logica, simul tamen non convenientes univocatione physica.

564. Rursus perfectus plenusque analogiae modus, idest inter rationes genere logico diversas, triplex est: alius ab uno, ἀφ' ἑνὸς, sicut sanativum vel medicinale dicitur medicus sanans, et ab eo scalprum sanans et herba sanans et docens artem sanandi et liber continens artem illam [2]; alius ad unum, πρὸς ἓν, ut animal dicitur sanum, et per ordinem ad illud dicitur medicina sana ut causa sanitatis, et diaeta sana ut conservans sanitatem, et pulsus sanus ut sanitatem significans: ὑγιενὸν [λέγεται] τὸ μὲν ὑγιείας ποιητικὸν τὸ δὲ φυλακτικὸν τὸ δὲ σημαντοικόν [3]; tertius ex similiter se habentibus servata diversitate generis, έκ τῶν ὁμοίως ἐχόντων ἐν ἑτέροις γένεσιν [4], idest κατ' ἀναλογίαν [5], ut si dicam: ita se habet scientia ad scibile sicut sensus ad sensibile, vel sicut visus est in oculo ita mens est in anima, aut etiam sicut tranquillitas est quies maris ita serenitas est quies aeris [6]; τὸ δὲ ἀνάλογον λ εγω' ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δευτερον πρὸς τὸ πρῶτον καὶ τὸ τέτρατον

---

1 Cf. *IV Metaph.*, cap. 28, n. 5 (II, 552, 35).
2 *I Topic.*, cap. 13, n. 10 (I, 182, 43-50); *III Politic.*, cap. 6, n. 8 (I, 532, 9-12); *IV Metaph.*, cap. 2, nn. 7-8 (II, 515, 39-50); *X Metaph.*, cap. 3, n. 2 (II, 587, 29-30). Videsis etiam *II Magnorum moralium*, cap. 11, n. 15 (II, 176, 3-8); *VII Moralium eudemiorum*, cap. 2, nn. 9-10 (II, 220, 48-51); 221, 1-5).
3 *I Topic.* cap, 13, n. 10 (I, 192, 44-46). Cf. loca citata in nota praecedenti.
4 *V Topic.*, cap. 8, n. 17 (I, 234, 34); *I Topic.*, cap. 15, n. 1 (I, 184, 31-32).
5 *V Topic.*, cap. 8, n. 17 (I, 234, 35); *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 15).
6 *I Topic.*, cap. 15, nn. 1-2 (I, 184, 33-36); *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 16).

πρὸς τὸ τρίτον ' nimirum ὡς ἕτερον πρὸς ἕτερον τι, οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο; καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἕτερον τινί, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλο [2].

Qui tres modi τῆς ὁμωνυμίας ἀπὸ διανοίας enumerantur veluti differentes ab Aristotele disserente de notione boni: ἀλλ'ἆρά γε τῷ ἀφ' ἑνὸς εἶναι, ἤ πρὸς ἕν ἅπαντα συντελεῖν, ἤ μᾶλλον κατ' ἀναλογίαν; ὡς γὰρ ἐν σώματι ὄψις ἐν φυχῆ νους, καὶ ἄλλο δὴ ἐν ἄλλο [3].

565. Postremo omnes et singuli tres isti modi geminantur. Nam ὁμωνυμία ἀφ' ἐνὸς bifarie sumitur. Uno modo ab una causa principali, ἀφ' ἑνὸς πρωτῆς αἰτίας, sicut a principaliter sananti qui est ἰατρός dicitur sanativum instrumentum sanationis, ἰατρικόν μαχαίρον sive ὄργανον ἰατρικόν et σιτία et γυμνασία et φαρμακα aliaque sexcenta [4]. Alio modo ab uno primo et principali subiecto inhaesionis et praedicationis, ἀφ' ἑνὸς ὑποκειμένοῦ πρῶτοὺ, quod est substantia prima, οὐσία πρῶτή, sicut novem genera accidentium dicuntur entia ab una substantia prima cui inhaerent et de qua praedicantur [5]; quo fit ut merito dici possit analogia unius vel plurium in uno et de uno, ἕν ἐνί καὶ καθ' ἑνὸς, idest ἕν ἑνί ὑποκειμένῷ καὶ καθ' ἑνὸς ὑποκειμένοῦ.

Similiter ὁμωνυμία πρὸς ἕν dupliciter contingit. Uno modo, unius vel plurium mediorum ad unum finem communem, πρὸς ἕν τέλος: sicut πρὸς μίαν ὑγίειαν., quae est finis communis artis medicinalis, dicuntur sana quaecumque ad ipsam obtinendam vel conservandam utilia sunt, ut cibus sanus, pharmacum sanum, purgatio sana, diaeta

---

1 *Pöetica*, cap. 21, n. 11 (I, 474, 10-12).
2 *I Topic.*, cap. 15, nn. 1-2 (I, 184, 32-35) *IV Metaph.*, cap. 6, n. 15 (II, 520, 34).
3 *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 14-17).
4 *X Metaph.*, cap. 3, n. 2 (II, 587, 27-30); *VII Moral. eudem.*, cap. 2 nn. 9-10 (II, 220, 50-51; 221, 1-5); *II Magn. moral.*, cap. 11, n. 15 (II, 176, 3-9); *II Physicorum*, cap. 3, nn. 3-4 (II, 264, 16-28); *I Rhetor.*, cap. 6, n. 3 (I, 323, 18-21).
5 *Categoriae*, cap. 2, n. 2 (I, 1, 31-34); *I Post. Analyt.*, cap. 22, n. 7 (I, 142, 30-35); *I Topic.*, cap. 7, n. 2 (I, 177, 24-30); *III Metaph.*, cap. 2 (II, 5060-501); *IV Metaph.*, cap. 8 (II, 521); *VI Metaph.*, cap. 5 (II, 542); *X Metaph.*, cap. 3 (II, 587).

sana, aer sanus, deambulatio sana [1]. Hoc enim modo diversa media diversimode ductiva ad finem, dicuntur bona secundum prius et posterius per ordinem ad unum primum et per se bonum quod est finis, ut bona exteriora et bona corporis ad bonum animae, et ipsum bonum animae ad perfectam eius operationem circa Deum, quae est beatitudo [2].

Alio modo, unius vel plurium exemplatorum ad unum exemplar, πρὸς ἕν παράδειγμα: sicut animal pictum et animal ligneum vel lapideum vel aeneum dicuntur animalia per relationem ad animal vivum cuius sunt imagines vel figurae, εἰκόνες, γραφαὶ, εἴκασματα [3]; imago enim fit ad similitudinem exemplaris quod suo modo imitatur, εἰκὼν γὰρ ἐστιν οὖ ἡ γένεσις διὰ μιμήσεως [4].

566. Tandem ὁμωνυμία κατ' ἀναλογίαν duos suscipit modos. Primus est metaphoricus, κατὰ μεταφορὰν, qui promiscue dicitur ab Aristotele ἀνάλογον κατὰ μεταφορὰν ut κατὰ μεταφορὰν δὲ ἡ ἐν τῇ γεωμετρίᾳ λέγεται δύναμις eo quod talis potentia est mere logica et non realis sicut potentia activa et potentia passiva [5]; et μεταφορὰ κατ'ἀναλογίαν, ut si dicam ita se habere iuventutem ad vitam humanam sicut se habet ver ad vitam naturae, aut etiam sic se habere senectutem ad vitam ut se habet occasus ad diem, qua de causa iuventus appellatur metaphorice ver vitae sicut senectus occasus vitae et infantia aurora vitae [6].

Pro cuius maiori intelligentia recolendum est Aristo-

[1] *II Physic.*, cap. 3, n. 3 (II, 264, 19-27); *IV Metaph.*, cap. 2, n. 3 (II, 515, 10-18).

[2] *I Rhetoricorum*, cap. 5 (I, 320-323); *X Ethic. Nicom.*, cap. 7 (II, 124-125).

[3] *Categoriae*, cap. 1, n. 1 (I, 1, 1-7); *II de Anima*, cap. 1, n. 9 (III, 445, 9-13); *De Memoria et Reminiscentia*, cap. 1 (III, 495-496); *I de Partibus animalium*, cap. 1 (III, 220-221); *I de Generatione animalium*, cap. 1 (III, 337, 1-3); *II de Gener. animal.*, cap. 1 (III, 348, 41-51; 349, 10-13).

[4] *VI Topic.*, cap. 2, n. 6 (I, 236, 45-46).

[5] *IV Metaph.*, cap. 12, n. 9 (II, 525, 8-9).

[6] *III Rhetoric.*, cap. 4 (I, 390, 1-39); cap. 10, n. 7 (I, 376, 34-38); cap. 11, n. 11 (I, 399, 28-34); *Pöetica*, cap. 21, n. 13 (I, 474, 17-21).

telem aliquando *largius* sumere metaphoram prout includit etiam συνεκδοκὴν et μετωνυμίαν, quo in sensu eiusdem fere extensionis est ac τρόπος, et ideo metaphoram definit veluti translationem nominis a sensu proprio ad sensum alienum vel improprium, μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδος ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον [1]; quandoque vero stricte prout nominat solam principalem partem huiusce tropicae translationis, et sic idem est ac analogia metaphorica sive metaphora secundum analogiam: τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατ' ἀναλογίαν [2]. Quo fit ut nomen μεταφορὰ simpliciter prolatum stet pro isto perfectiori modo translationis quasi a genere ad genus, ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ γένος, siquidem unum analogia salvatur inter diversa genere: ἓν ἀναλογίᾳ, οὐ πάντα γένει [3]; nomen enim simpliciter prolatum stat pro primo et maximo in unoquoque genere, ἁπλῶς ἤτοι τὸ πρῶτον σημαίνει καθ' ἑκάστην τοῦ ὄντος [4], de quo et sine ullo addito dicitur, sicut nomen boni simpliciter prolatum stat pro bono honesto [5].

Sic tamen sumpta metaphora, tota fundatur in similitudine proportionali inter id quod proprie dicitur, κυρίως, et id cui per translationem appropriatur et applicatur quasi secundario et ex consequenti, quodque exinde quasi ob oculos ponitur: ἡ μὲν γὰρ μεταφορὰ ποιεῖ πως γνώριμον τὸ σημαινόμενον δία τὴν ὁμοιότητα· πάντες γὰρ οἱ μεταφέροντες κατὰ τινα ὁμοιότητα μεταφέρουσιν [6]. Propter quod idem sonant apud Aristotelem ἀνάλογον κατὰ μεταφορὰν et ἀνάλογον καθ' ὁμοιότητα [7], sicut et apud nos tantundem valet metaphorice et similitudinarie dictum.

[1] *Pöetica*, cap. 21, n. 8 (I, 473, 50-51; 474, 1-2) *III Rhetoric.* cap. 10, n. 7 (I, 396, 34).

[2] *III Rhetoricorum*, cap. 10, n. 7 (I, 396, 34-35).

[3] *IV Metaph.*, cap. 6, n. 15 (II, 520, 37-38).

[4] *I De Generatione et corruptione*, cap. 3, n. 1 (II, 437, 18-19).

[5] *II Topic.*, cap. 11, n. 4 (I, 197, 33-40).

[6] *VI Topic.*, cap. 2, n. 6 (I, 236, 39-41).

[7] *III Ethic. Nicom.*, cap. 6, nn. 3-4 (II, 31, 41, 46); *V Ethic.*, cap. 11, n. 9 (II, 66, 10-11); *IV Metaph.*, cap. 12, n. 9 (II, 525, 13-14), una cum *VIII Metaph.*, cap. 1, n. 3 (II, 564, 18-19); *III de Partibus animalium*, cap. 2, initio (III, 254, 6).

Huiusmodi tamen proportionalitas sive analogia, quam supponit et involvit metaphora presse dicta, dupliciter exprimi potest: uno modo *explicite*, adhibito adverbio *sicut*, ὡς, verbi gratia Achilles irruebat in hostes suos *sicut* leo, et tunc nomen obtinet *similitudinis vel comparationis*, εἰκών, ὁμοιότης; alio modo *implicite*, dempto adverbio comparationis, exempli causa Achilles est leo, et tunc proprie dicitur *metaphora*, quatenus proprium leonis, quod est audacter irruere in hostes suos, transfertur in Achillem ob similitudinem in audacia quam habet cum leone. Quam ob rem Aristoteles merito scribit: ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά· διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴνῃ τὸν Ἀχιλλέα ὡς δὲ λέων ἐπόρουσιν, εἰκών ἐστιν, ὅταν δὲ λέων ἐρόυσε, μεταφορά· διὰ γὰρ τὸ ἄμφω ἀνδείους εἶναι προσεγόρευσε μετενέχκας λέοντα τὸν Ἀχιλλέα.[1]

Quam doctrinam optime reddidit Quintilianus hisce verbis: «in totum autem metaphora *brevior* est similitudo; eoque distat, quod illa *comparatur* rei quam volumus exprimere; haec *pro ipsa re* dicitur. *Comparatio* est, cum dico fecisse quid hominem *ut leonem*; *translatio* [=metaphora], cum dico de homine: *leo est*»[2].

Cum ergo metaphora sit comparatio involuta, et comparatio sit metaphora evoluta et aperta, omnis similitudo comparata converti potest in metaphoram et vicissim omnis metaphora converti potest in similitudinem comparatam, ut scite animadvertit Aristoteles: πάσας γὰρ ταύτας καὶ ὡς εἰκόνας καί ὡς μεταφορὰς ἔξεστι λέγειν· ὥστε ὅσαι ἄν εὐδοκριμῶσιν ὡς μεταφοραὶ λεγθεῖσαι, δῆλον ὅτι αὗται και εἰκόνες ἔσονται, καὶ αἱ εἰκόνες μεταφοραὶ λόγου δεόμεναι[3].

567. Secundus modus τῆς ὁμωνυμίας κατ' ἀνάλογίαν est proprius, quando scilicet proportionalis similitudo inter rationem duorum terminorum antecedentium et

---

[1] *III Rhetoric.*, cap. 4, n. 1 (I, 390, 1-5); *Pöetica*, cap. 21, nn. 11-13 (I, 474, 10-22).

[2] Quintilianus, *Inst. orat.* lib. VIII, cap. 6, nn. 8-9, ed. cit., t. III, p. 258.

[3] Aristoteles, *III Rhetoric.*, cap. 4, n. 3 (I, 390, 31-34).

rationem duorum consequentium sumitur absque translatione a sensu proprio ad sensum alienum vel improprium, eo quod rationes illae comparatae utrobique sumuntur in sensu proprio, ut si dicam: ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητόν, οὕτως αἴσθησις πρὸς αἰσθητόν; vel etiam ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ[1]. Proprie enim et absque ulla metaphorica translatione unaquaeque potentia dicit ordinem ad proprium suum obiectum, quia talis ordo est de essentia eius, et ideo tam proprie et essentialiter dicit intellectus ordinem ad suum intelligibile sicut sensus ad suum sensibile. Similiter naturali potentiae convenit proprie et essentialiter esse in proprio subiecto cuius est potentia, et ideo tam proprie et essentialiter convenit sensui visus esse in oculo sicut intellectui esse in anima: siquidem proprium subiectum potentiae organicae, ut est potentia visiva, est proprium organum animatum; eodemque iure proprium subiectum potentiae inorganicae, ut est intellectus, est ipsa anima et non corpus animatum. Et quia bonum et ens convertuntur ideoque tot modis dicitur bonum quot ens[2], tam proprie convenit visui esse bonum corporis sicut menti esse bonum animae: unde et analogice, analogia proportionalitatis propriae, dicitur bonum corporis de visu et bonum animae de intellectu[3].

Eodem pacto sicut se habet unus sensus ad unum organum, quod est pars corporis organici, puta visus ad oculum; ita se habent omnes sensus simul sumpti ad totum corpus organicum integraliter suptum: ἀνάλογον γὰρ ἔχει ὡς τὸ μέρος πρὸς τὸ μέρος, οὕτως ἡ ὅλη αἴσθησις πρὸς τὸ ὅλον σῶμα τὸ αἰσθητικὸν, ᾗ τοιοῦτο[4]. Item, propria principia singulorum praedicamentorum sunt analogice

---

[1] *I Topic.*, cap. 15, nn. 1-2 (I, 184, 33-36).

[2] *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 3 (II, 4, 23-30); *I Topic.*, cap. 13, n. 11 (I, 182, 51-54; 183, 1-7); *I Rhetoric.*, cap. 5 (I 313-328); *I Magnorum moral.*, cap. 1, nn. 18-20 (II, 133, 8-27); *II Magn. mora.*, cap. 7, n. 11 (II, 169, 12-22).

[3] *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, n. 12 (II, 5, 15-17).

[4] *II de Anima*, cap. 1, n. 9 (III, 445, 14-16).

eadem, analogia propria, idest propria potentia et proprius actus, quae manifeste eis conveniunt essentialiter et proprie et non secundum metaphoram [1], nam potentia et actus dividunt ens et quodlibet genus entis.

Ex quo autem ὁμωνυμία κατ᾽ ἀνάλογίαν essentialiter est inter rationes diversi generis ideoque genere diversas, manifestum est eam in suo proprio ordine imitari potius ἀναλογίαν γεωμετρικὴν quam ἀναλογίαν ἀριθμητικὴν; quia ad proportionem geometricam non requiritur aequalitas absoluta rationum comparatarum, quam necessario exigit proportio arithmetica, sed sufficit aequalitas relativa, quae simul stat cum relativa inaequalitate [2].

Neque obstat praeceptum Aristotelis sumendi metaphoras e rebus eiusdem generis et non multum distantibus, ita ut possint termini ad invicem converti, ut cum phyala dicitur clypeus Bacchi et clypeus dicitur phyala Martis, quia ita se habet phyala ad Bacchum sicut clypeus ad Martem et vicissim: ἀεὶ δὲ δεῖ τὴν μεταφορὰν τὴν ἐκ τοῦ ἀνάλογον ἀνταποδιδόναι καὶ ἐπὶ· θάτετα καὶ ἐπὶ τῶν ὁμογενῶν [3]. Nam paulo post explicat istud praeceptum, dicens metaphoras non esse sumendas e rebus nimis propinquis et manifestis, quin potius esse homines acuti et ingeniosi metaphoras sumere e rebus multum inter se distantibus, dum tamen earum similitudo ob oculos ponatur ne transeat in aenigma: δεῖ δὲ μεταφέρειν, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ἀπὸ οἰκείων καὶ μὴ φανερῶν, οἷον καὶ έν φιλοσοφίᾳ τὸ ὅμοιον καὶ ἐν πολὺ διέχουσι θεωρειν εὐστόχου; sicut Archytas Arbitrum vocavit aram, quia sicut iniuriam passi confugiunt ad aram iustam vindictam a diis imploraturi, ita et ad iudicem arbitrum iustae reparationis causa [4].

---

1 *XI Metaph.*, cap. 5, n. 2, 8 (II, 603, 5-7; 37-40). Cf. etiam *ibid.*, cap. 4 (II, 602).
2 Cf. *II Ethic. Nicom.*, cap. 6, nn. 5-7 (II, 19, 17-29); *V Ethic. Nicom.*, cap. 3-4 (II, 55-59).
3 *III Rhetoric.*, cap. 4, n. 4 (I, 390, 34-36). Cf. etiam *ibid.*, cap. 2, n. 12 (I, 388, 1-3).
4 *III Rhetoric.*, cap. 11, n. 5 (I, 398, 18-24).

Ceterum, si analogia metaphorica limites Rhetoricae transcendat et ad alias artes vel scientias extendatur, manifeste diversa genera contingere debet, dummodo similitudo quaedam intercedat. Unde et ipsemet Aristoteles docet alio in loco similitudines esse considerandas quae sunt inter res diversi generis, ἐπι τε τῶν ἐν ἑτέροις γένεσιν, praesertim si valde distantes sint, μάλιστα α᾽ ἐν τοῖς πολὺ διεστῶσι [1], quia earum consideratio est valde utilis ad similium definitiones vel saltem descriptiones inveniendas, καὶ ἐν τοῖς πολὺ διεστῶσι χρήσιμος πρὸς τοὺς ὁρισμοὺς ἡ τοῦ ὁμοίου θεωρία, verbi gratia idem esse tranquillitatem in mari et serenitatem in aere, quia utraque est quies, ἡσυχία [2].

Cui largiori et ampliori significationi respondere videtur sensus quo Aristoteles usus est nomine generis in verbis modo relatis e tertio libro Rhetoricorum, prout scilicet γένος nominat notionem utcumque communem [3] vel etiam res eiusdem ordinis [4], idest ab eodem quodammodo pendentes vel ad idem quodammodo relatas: ἀπὸ ταὐτοῦ πως ἠρτημέναι εἰσίν...; περὶ ταὐτὰ δὲ πως καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν εἰσίν [5]; πρὸς ἓν τι καὶ πρῶτον [6].

568. Sic ergo divisio τῶν ὁμωνύμων apud Aristotelem potest sequenti contrahi tabella:

---

1 *I Topic.*, cap. 15, nn. 1 et 3 (I, 184, 31-32, 36).
2 *I Topic.*, cap. 16, n. 12 (I, 185, 46-49).
3 Cf. *II Metaph.*, cap. 2, n. 10 (II, 491, 15-21); *X Metaph.*, cap. 1, n. 11 (II, 581, 36-40).
4 Cf. *XII Metaph.*, cap. 6, n. 8 (II, 637, 50-54).
5 *II Magnorum moralium*, cap. 11, nn. 15-16 (II, 176, 3-12).
6 *VII Moral. Eudemiorum*, cap. 2, n. 9 (II, 220, 50-51); n. 22 (II, 222, 1); *III Metaph.*, cap. 2 (II, 500-502); *X Metaph.*, cap. 3, n. 4 (II, 587, 36-37).

ὁμώνυμα

- I) ἀπὸ τύχης= παντελῶς ἀλλότρια ἀλλήλων: pure aequivoca.
- II) ἀπὸ διανοίας= μήτε πάμπαν ὁμώνυμα: non pure aequivoca, sed analoga ....
  - A) occulte sive latenter: κρυφαίως, λαθραίως= παρὰ γένος, σύνεγγυς γένει.
  - B) aperte vel manifeste:
    - a) ab uno primo: ἀφ' ἑνὸς πρώτου
      - a') efficienti: ποιητικοῦ vel αἰτίας πρωτῆς
      - b') subiecto: ὑποκειμένου πρώτου
    - b) ad unum primum: πρὸς ἓν πρῶτον
      - a') finem: τέλος
      - b') exemplar: παράδειγμα
    - c) secundum proportionem: κατ' ἀναλογίαν
      - a') proprie: κυρίως
      - b') metaphorice: μεταφορικῶς

CAPUT II

DE DIVISIONE ANALOGIAE APUD ARISTOTELIS COMMENTATORES USQUE AD S. THOMAM

569. Aristotelis expositores conati sunt explicare et quodammodo complere atque digerere elementa seu obscura seu dispersa doctrinae eius de Analogia, praesertim quod ad Analogiae divisionem spectat. Ideo utile est eorum explicationes adire ad pleniorem doctrinae aristotelicae intelligentiam, eo vel magis quod omnes suo modo viam paraverunt profundiori et uberiori synthesi S. Thomae.

Qua in re videbimus primo quidem graecorum, dein arabum, tertio latinorum expositiones.

Art. 1.- Divisio Analogiae apud graecos expositores

570. Primus omnium qui ad nos usque pervenerunt [1] exstat *Alexander Aphrodiensis*, ob acumen et fidelitatem

---

[1] Mitto enim Aspasium, qui in suis *commentariis in Ethica Nicomachea* (ed. G. Heylbut, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XIX, P. I. Berolini 1889) quae supersunt, nihil de diversis modis aequivocorum dicit, sed unius tantum vel alterius occassone data meminit.

in exponendis Aristotelis operibus ὁ ἐξηγητής appellatus: ὁ γνησιώτατος τῶν Ἀριστοτέλους ἐξηγητῶν [1].

Hic ergo, collectis definitionibus aristotelicis univocorum et aequivocorum, animadvertit aequivoca esse duplicis generis, quaedam scilicet ἀπὸ τύχης quae nomen tantum commune habent absque ulla rationis vel significationis communitate, quaedam vero ἀπὸ διανοίας quae una cum communitate nominis retinent aliqualem rationis communitatem, non tamen omnino eandem et aequaliter participatam sicut univoca, sed aliquo modo diversam et inaequaliter participatam; quo fit, ut media essentialiter consistant inter pure univoca et pure aequivoca. Ita, verbi gratia, ens, quod ὁμώνυμον est ἀπό διανοίας, μεταξὺ δὲ εἶναι τῶν δὲ ὁμωνύμων καὶ τῶν συνωνύμων [2]. Et huiusmodi dicuntur ἀνάλογα.

Porro ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας sunt triplicis classis: quaedam ab uno, ἀφ᾽ ἑνός, idest ab una causa efficienti, κατὰ αἰτίαν, sicut instrumentum medici dicitur medicativum a medico principaliter sanante; alia, ad unum, πρός ἕν ut medicamenta dicuntur sana quia sanitatem animalis causant, modicus cibus appellatur sanus quia eandem sanitatem conservat, probus color dicitur sanus in quantum illammet sanitatem significat, et ideo haec omnia dicuntur sana diversimode, in ordine tamen ad unam eandemque animalis sanitatem: ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, οὐδὲν πρὸς τον λόγον, idest non secundum eandem rationem, sed secundum diversam, ad unam tamen sicut ad terminum vel finem vel ab una sicut a principio vel causa efficienti [3]: tertia κατ᾽ ἀναλογίαν, verbi gratia sicut se habet unitas ad numerum ita se habet punctum ad lineam, quatenus sicut unitas est principium numeri ita

---

1 Simpicius, *In I Physicorum*, cap. 9, ed. H. Diels, Comment. in Aristotelem graeca, vol. IX, p. 258, 16-17. Berolini 1882.

2 Alexander Aphrodisiensis, *In III Metaph.*, cap. 2, p. 241, 26; p. 241, 8. Ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. I, Berolini 1891.

3 *In III Metaph.*, cap. 1, p. 238, 19-20; cap. 2, p. 241, 4-5, 15-16 et 26; p. 242, 9-10; *In VII Metaph.*, cap. 4, p. 474, 29-40.

punctum est principium lineae: vel etiam sicut se habet sensus ad sensibile ita se habet intellectus ad intelligibile, videlicet in eadem proportione propriae potentiae ad proprium obiectum, ita siquidem sensibile est proprium obiectum sensus sicut intelligibile est proprium obiectum intellectus [1].

Huius tamen ὁμωνυμίας κατ᾽ ἀναλογίαν duplex est modus: alius metaphoricus, κατὰ μεταφορὰν, quando scilicet per translationem extenditur significatio propria unius nominis ad aliud significandum ob quandam similitudinem inter ea vigentem, ratione cuius hoc aliud nomen idem prioris sortitur, ut si Achilles dicatur leo propter similem modum irruendi in adversarios suos: ἀπὸ τοῦ μεταφορικῶς τῷ ὀνόματι χρῆσθαι ἢ ὅλως τροπικῶς [2]; alius proprius, quando nempe absque ulla tropica translatione nomen idem dicitur de diversis ob similem proportionem quam habent ad sua propria, ut patet in exemplo citato de unitate et de puncto, quibus ob similitudinem proportionalem inchoandi numerum et lineam convenit analogice ratio et nomen principii.

Omnis enim ὁμωνυμία κατ᾽ ἀναλογίαν importat similitudinem quandam proportionalem duarum vel plurium rationum: ἡ γὰρ ἀναλογία ὁμοιότης [3]. Talis autem proportionalis similitudo non solum dari potest secundum tropicam translationem, verum etiam secundum proprietatem.

Ex quibus apparet Alexandrum sat fideliter et complete interpretasse mentem Aristotelis circa notionem et divisionem Analogiae.

571. Uberiorem quandam explicationem praebet *Clemens Alexandrinus*. Adductis enim definitionibus aristotelicis univocorum et aequivocorum, dividit aequivoca

---

1 *In I Topicorum*, cap. 7, pp. 58-59. Ed. M. Wallies, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. II, P. II. Berolini 1891.

2 *In III Topic.*, cap. 5, p. 511, 9; *In VI Topic.*, cap. 2, pp. 426-427.

3 *In V Topic.*, cap. 7, p. 411, 11-12.

in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης, quae nonnisi nomen commune habent casu diversis impositum, ut Ajax Locrus et Ajax Salaminius [1], vel nomen canis dictum de cane terrestri, marino, caelesti et de Diogene cynico [2]; et in ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας, quae nomen commune suscipiunt ob aliquam convenientiam in re et ratione significata per nomen.

Haec autem aliqualis convenientia potest esse quadruplex: prima, similitudo quaedam unius ad aliud, verbi gratia cum vocamus hominem et hominem vivum et hominem pictum, extendentes nomen hominis ad picturam eius ob similitudinem quam habet cum ipso, cum quo tamen stat quod ἄλλο ὁμοίωσις, ἄλλο αὐτὸ τὸ ὄν [3], et ideo talis ὁμωνυμία diciturκαθ' ὁμοιότητα [4]; secunda est dependentia causalis ab aliquo uno principio, sicut a medico dicuntur medicalia et liber medicinae et scalpellum, ἀπὸ τοῦ ἰατροῦ τὸ βιβλίον καὶ τὸ σμιλίον ἰατρικὰ, nam liber continens artem medendi participat a medico auctore eius virtutem communicandi lectoribus industriam suam, alio tamen modo ac scalpellum adhibitum ab ipso medico ad sanitatem producendam, ideoque huiusmodi ὁμωνυμία appellatur ab eodem ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ [5]; tertia est relatio ad unum eundemque finem vel formam, sicut per ordinem ad unam eandemque sanitatem animalis dicitur medicina sana et cibus sanus et aer sanus et sanus color; et per ordinem ad unam eandemque rationem sanativam, quae est ars medicalis, πρὸς τόν αὐτον λόγον τὸν ἰατρικόν, dicitur medicus sanans et medicina sanans et scalpellum sanans, ideoque talis ὁμωνυμία vocatur πρὸς τό αὐτό [6]; quarta est identitas vel similitudo rationum plurium ad plura sive in essendo sive in operando, sicut

---

[1] Clemens Alexandrinus, *Stromata*, lib. VIII, cap. 8, Opera, ed. O. Stälin, vol. III, p. 95, 18-19. Leipzig 1909. In collectione Die Griechischen Christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, quae corpus Berolinense vulgo appellari solet.

[2] *Ibid.*, cap. 4, p. 87, 14-16.

[3] *Op. cit.*, lib. I, cap. 7, ed. cit., vol. II, p. 25, 14-15. Leipzig 1906.

[4] *Op. cit.*, lib. VIII, cap. 8, ed. cit., vol. III, p. 95, 20-21.

[5] *Ibid.*, p. 95, 24-25.

[6] *Ibid.*, p. 95, 25-26.

pedes nostri et pes montis Idae vocantur eodem nomine, quia pes montis est infima pars eius sicut pedes hominis sunt infima pars corporis; vel etiam sicut pes hominis et pes navis conveniunt in eodem nomine, quia sicut pes noster est quo ambulamus ita pes navis est quo ipsa navigat, ac proin haec ὁμωνυμία dicitur κατ'ἀναλογίαν [1].

Huiusmodi tandem ὁμωνυμία κατ' ἀναλογίαν duplex est: alia secundum proportionalitatem propriam, κατ' ἀναλογίαν κυριολογικὴν, verbi gratia, ὡς αἴσθησις πρὸς τὸ αἰσθητὸν, οὕτω νόησις πρὸς νοητόν; alia secundum proportionalitatem metaphoricam, κατ' ἀναλογίαν συμβολικὴν vel μεταφορικὴν, exempli gratia sicut se habet vestimentum ad corpus ita se habent verba ad res, ἡ μὲν γὰρ λέξις οἷον ἐσθὴς ἐπὶ σώματος· τὰ δὲ πράγματα, σάρκες εἰσὶ και νεῦρα [2]

Fit enim analogia metaphorica per tropum vel translationem: ἔστι γοῦν ὁ τρόπος λέξις παραγεγραμμένῃ ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον, κατασκευῆς ἕνεκα καὶ φράσεως τῆς ἐν λόγῳ εὐχρηστίας χάριν [3]. Ad quam quidem pertinet parabola, quae est λόγος ἀπὸ τινος οὐ κυρίου μὲν, ἐμφεροῦς δὲ τῷ κυρίῳ, ἐπὶ τἀληθὴς καὶ κύριον ἄγων τόν συνιέντα· ἤ, ὡς τινές φασι, λέξις δι' ἑτέρον τὰ κυρίως λεγόμενα μετ' ἐνεργίας περιστάνουσα [4].

Ac scite notat Clemens quod, licet ἀναλογία sive proportio primo dicta sit de identitate vel aequalitate inter plures rationes aut commensurationes numerorum et magnitudinum, ut ἀναλογία ἀριθμητικὴ et ἀναλογία μουσική et ἀναλογία γεωμετρική. huic tamen ultimae assimilatur ὁμωνυμία κατ' ἀναλογίαν sive propriam sive metaphoricam [5]; nam σοφοῦ τὸ χρῆσθαι τῇ συμβολικῇ φράσει [6], ac praesertim analogia propria, ὥστε ἐν τοῖς ἀνυμυίοις τὸ

---

[1] *Ibid.*, p. 95, 21-24.

[2] *Stromata*, lib. V, cap. 4, ed. cit., vol. II, p. 338, 15-17; lib. VI, cap. 15, p. 495, 29; cap. 16, p. 505, 6-7; lib. I, cap. 10, ed. cit., vol. II, p. 31, 29-30.

[3] *Stromata*, lib. VI, cap. 15, ed. cit., vol. II, p. 497, 13-15.

[4] *Stromata*, lib. VI, cap. 15, p. 495, 29-30; p. 496, 1-2.

[5] *Stromata*, lib. VI, cap. 10, ed. cit., vol. II, p. 471.

[6] *Stromata*, lib. V, cap. 8, ed. cit., vol. II, p. 357, 7.

ὅμοιον θηρᾶν [1]. In omni siquidem analogia proportionis sive proportionalitatis invenitur ratio quaedam communis, diversimode tamen participata in diversis de quibus dicitur, ita ut sit et dicatur de unoquoque secundum modum suum. Ita, exempli gratia, virtus moralis est quoddam totum potentiale sive potestativum, μία κατὰ δύναμίν, cuius vis et essentia diversimode participatur in prudentia, in iustitia, in fortitudine et in temperantia; ἀνὰ τὸν αὐτὸν οὐν λόγον καὶ μιᾶς οὔσης ἀληθείας, ἐν γεωμετρίᾳ μὲν γεωμετρίας ἀλήθεια, ἐν μουσικῇ δὲ μουσικῆς, quia nimirum veritas semper est adaequatio rei et intellectus, sed in rebus geometricis est adaequatio et veritas geometrica, in rebus musicis musica, in rebus philosophicis philosophica, iuxta proprium modum uniuscuiusque. Quod et in una eademque drachma videre est, τῷ μὲν ναυκλήρῳ δοθείσης, λέγεσθαι ναῦλον, τῷ δὲ τελώνῃ τέλος· καὶ ἐνοίκιον μὲν τῷ σταθμούχῳ· μισθὸν δὲ τῷ διδασκάλῳ· καὶ τῷ πιπράσκοντι ἀρραβῶνα, quia videlicet medium iustitiae servatur in omnibus secundum modum et proportionem uniuscuiusque [2]. Sicut etiam bonum odorem emittunt thus, rosa, crocus, styrax, myrrha et unguentum; et tamen alius et aliter est odor thuris, alius rosae, alius croci, alius styracis, alius myrrhae, alius unguenti, uniuscuiusque secundum modum et naturam suam [3].

572. Alexandrum tamen et Clementem longe superat *Porphyrius*, qui data opera conatus est plenam tradere doctrinam de notione et divisione Analogiae secundum mentem Aristotelis.

Primo ergo magna cum diligentia examini subiicit definitiones aequivocorum et univocorum quas tradiderat Stagirita, scite animadvertens eum incoepisse opus suum de Categoriis entis per definitionem aequivocorum, eo quod ens, utpote transcendens singula praedicamenta, est

---

1 *Stromata*, lib. VI, cap. 11, ibid., p. 477, 16-17.
2 *Stromata*, lib. I, cap. 20, ibid., p. 62, 17-22, 24-27.
3 *Stromata*, lib. VIII, cap. 9, ed. cit., vol. III, p. 100, 18-19.

φημὶ ὅτι ἐπεὶ τὸ ὂν ὁμώνυμον δοκεῖ εἶναι
ὁμώνυμον ad ipsa: τῷ Ἀριστοτέλει καὶ αἱ κατηγορίαι ὁμωνύμως λέγονται κατη-
γορίαι καθ' ὧν κατηγοροῦνται, διὰ τοῦτο πρῶτον περὶ τῶν
ὁμωνύμων ποιεῖται τὸν λόγον [1]. Unumquodque enim genus est univocum ad sua inferiora de quibus praedicatur, et ideo aequivocum debet ese diversorum generum, τῶν δὲ ὁμωνύμων κατὰ ταὐτὸν οὐδὲν δήπου γένος [2], et non intra idem genus.

Dein ὁμώνυμα dividit in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης et ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας. Aequivoca a casu, quae et pure aequivoca sunt, ea dicuntur quae absque ulla ratione, sed mera fortuna, idem nomen sortiuntur: ἃ ὡς ἔτυχεν καὶ ἀνεπισ-
τάτως διάφορα πράγματα τῆς αὐτῆς ἔτυχε προσηγορίας, sicut Alexander Priami et Alexander Philippi filius communi nomine appellatur Alexander; ταῦτα γὰρ κατὰ τύχην ὁμώνυμα λέγεται. Aequivoca vero a consilio, quae media sunt inter pure aequivoca et pure univoca, sunt ea quae aliqua ratione et convenientia commune nomen sortiuntur, licet illa ratio non sit omnino eadem sicut in pure univocis, sed quodam modo diversa: οἱ δὲ οὔδε ἐν τοῖς ὁμώνυμοις κατηρίθμουν, ἀλλ' οὐδὲ ἐν τοῖς συνωνύμοις, ἀλλ' ἐν μέσῳ ἐτίθεσαν τῶν ὁμωνύμων τε καὶ συνωνύμων [3], et ideo appellantur analoga.

Haec vero ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας quatuor modos suscipit. Alia enim sunt ὁμώνυμα καθ' ὁμοιότητα, sicut imago depicta vel statua hominis dicitur homo non mere casualiter, sed ratione similitudinis quam habet ad hominem verum et vivum quem primo et simpliciter hominem appellamus: ἀπὸ διανοίας οὖν ἄνθρωπόν τε τὸν ζῶντα

---

1 Porphyrius, *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. I, p. 61, 10-13. Berolini 1887.
2 *Op. cit.* cap, 6, p. 128, 18-19. Quam rationem Dexippus fecit suam, subdens regulam aristotelicam iuxta quam aequivoca sunt prius distinguenda et postea definiendum unumquodque: δεῖ γὰρ διαστείλασθαι πρῶτον τὴν ὁμωνυμίαν, εἶθ' οὕτως εἰς ἀριθμὸν ἀγαγόντα καὶ ὁρισάμενον τὰ γένη καθ' ἕκαστον λοιπὸν ἐπιδεικνύμαι, πῶς τῶν ὑπ' αὐτὸ συνωνύμως κατηγορεῖται (*In Aristotelis Categorias*, lib. I, cap. 19, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. II, p. 22, 8-11. Berolini 1888).
3 *Op. cit.*, cap. 1, p. 65, 14-15, 19-25; p. 66, 17-18.

καὶ τόν ἀνδριάντα ἢ τὴν εἰκόνα καλλῶ ἄνθρωπον [1]; alia ἐν τῆς ἀναλογίας vel κατὰ ἀναλογίαν, ut cum unitatem appellamus principium numeri, punctum principium lineae, fontem principium fluviorum et cor principium animalis, ob eandem vel similem proportionem quam habent in sua propria inchoando: ὡς γὰρ ἔχει ἐν ἀριθμοῖς ἡ μονάς, οὕτως ἔχει ἐν γραμμαῖς μὲν ἡ στιγμή, ἐν ποταμοῖς δὲ ἡ πηγή, ἐν ζῴοις δὲ ἡ καρδία, quatenus sicut unitas est unde primo incipit numerus, ita punctum est unde primo incipit linea, et fons unde primo incipit flumen, et cor unde primo incipit animal [2]; alia dicuntur ὁμώνυμα ἀθ' ἑνὸς, cum scilicet ἀπὸ τινος ἑνὸς κοινὴν διαφόροις πράγμασι προσηγορίαν γενεσθαι, sicut una cum sit medicina, ab ipsamet (ἀπὸ ταύτης) appellantur medicativa liber continens artem medendi et pharmacum et scalpellum, licet diverso modo eis conveniat ratio medendi; quia libro convenit ut exhibenti doctrinam medendi, scalpello autem ut instrumento quo utitur medicus ad incisiones arte chirurgica perficiendas, pharmaco denique ut medio quo utitur medicus ad sanitatem inducendam [3]; alia tanden vocantur ὁμώνυμα πρὸς ἓν τέλος, sicut ad unam eandemque sanitatem, quam sibi proponit qui sanatur, dicuntur sana, diversa licet ratione, τὸ τε σιτίον ὑγιενόν καὶ ὁ περίπατος ὑγιενὸς καὶ τὸ ἀνάγνωσμα ὑγιενόν [4].

Quam quidem divisionem τῶν ὁμωνύμων Porphyrius reputat completam et adaequatam. Sibi enim sciscitanti quot et quinam sint aequivocorum modi, respondet: ὡς μὲν ἀνωτάτω εἰπεῖν δύο, ὧν ὁ μέν ἐστιν ἀπὸ τύχης, ὁ δὲ ἀπό διανοίας· δελόντι δὲ καὶ ἀπὸ διανοίας εἴς τε τὸν καθ' ὁμοιότητα καὶ τὸν ἐκ τῆς ἀναλογίας καὶ τὸν ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν; et concludit: οἱ πάντες ἔσονται τρόποι [5].

---

1 *Ibid.*, p. 65, 19, 25-30.
2 *Ibid.*, p. 65, 31-36. Qui loquendi modus usitatus est apud geome- tras, e quibus nomen ἀναλογία mutuo acceperunt philosophi: ὁ δὲ τοιοῦτος λόγος τῆς δείξεως ἀναλογίαν λέγεται παρὰ τοῖς γεωμέτραις (*ibid.*, p. 65, 36; p. 66, 1).
3 *Ibid.*, p. 66, 2-12.
4 *Ibid.*, p. 66, 12-15.
5 *Ibid.*, p. 65, 18-20.

Addit tamen τῶν ὁμωνύμων κατ' ἀναλογίαν esse duplicem modum, scilicet proprium et metaphoricum. Quaerens enim an sint idem dictu ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν καὶ ὁμώνυμα κατὰ μεταφοράν, respondet: ἐσφαλησαν μὲν πολλοί, ὧν καὶ ὁ 'Αττικός, ἕνα τρόπον καταλέξας ὁμωνύμων τὸν κατὰ μεταφορὰν καὶ κατὰ ἀναλογίαν καὶ συγχέας τὸν κατὰ μεταφορὰν τῷ κατὰ ἀναλογίαν [1].

Et licet responsionem suam iustificare conetur negando suppositum, scilicet nomen metaphoricum esse ὁμώνυμον, sed potius abusionem pöetarum dicentium exempli causa pedem montis et pedem navis, cum tamen inferior montis pars proprium habeat nomen, scilicet ὑπωρείαν, et navis gubernaculum proprie dicatur πηδάλιον, nullaque sit inter ea similitudo fundans ὁμωνυμίαν ἀπὸ διανοίας, οὐδὲ γὰρ καθ' ὁμοίωσιν εἴποις ἂν εἶναι ὁμώνυμα [2], finaliter tamen, ipsa rerum evidentia coactus, admittit dari talem ὁμωνυμίαν: ὅτι ἥ τε ὑπώρεια λέγεται πoὺς καὶ ἀνθρώπου πούς, καὶ τὸ μὲν ὄνομα κοινὸν τὸ τοῦ ποδὸς, ὁ δὲ λόγος ἕτερος, κοινῶς τοῦ ὀνόματος καὶ ἐπὶ τῆς μεταφορᾶς ταττομένου [3]

Consequenter tenet quod ἕτερος ἐστὶ τις τρόπος ὁ κατὰ μεταφορὰν καὶ ἕτερος ὁ κατὰ ἀναλογίαν [4], scilicet κατ' ἀναλογίαν κυρίαν et κατ' ἀναλογίαν τροπικὴν seu μεταφορικὴν [5].

Et propter hoc adhibet exempla metaphorarum, quae appellaι ὁμώνυμα κατ'ἀναλογίαν, verbi gratia pedem mensae aut pedem lecti, qui manifeste dicuntur pedes metaphorice: κατ' ἀναλογίαν τῶν τοῦ ζῴου ποδῶν [6]. Docet insuper passiones et patibiles qualitates circa animam esse analogas passionibus et patibilibus qualitatibus quae sunt circa corpus: τὰς περὶ τὸ σῶμα παθητικὰς ποιότητας καὶ τὰ παθη... καὶ επὶ τῆς ψυχῆς τὸ ἀνάλογον, exempli causa

---

1 *Ibid.*, p. 66, 34; p. 67, 1-2.
2 *Ibid.*, p. 67, 26-27.
3 *Ibid.*, p. 67, 29-32.
4 *Ibid.*. p. 66, 31-32.
5 Cf. *ibid.*, p. 58, 37; p. 59, 1-2, 11.
6 *Ibid.*, p. 67, 20-22.

motum irae aut concupiscentiae esse passiones, habitum vero irascendi vel concupiscendi esse patibiles qualitates[1], et tamen constat qualitates tertiae speciei nonnisi metaphorice convenire animae.

E contra, est analogia proportionalitatis propriae cum dicimus: sicut essentia physica corporis componitur ex materia prima et forma substantiali, ita essentia logica, idest species componitur ex genere et differentia; genus enim analogice respondet materiae, sicut et differentia analogice respondet formae: τῶν γὰρ πραγματων ἐξ ὕλης καὶ εἴδους συνεστώτων ἤ ἀναλογόν γε ὕλη καὶ εἴδει τὴν σύστασιν ἐχόντων, ὥσπερ ὁ ἀνδριὰς ἐξ ὕλλης μὲν τοῦ χαλκοῦ, εἴδους δὲ τοῦ σχήματος, οὕτως καὶ ὁ ἄνθρωπος ὁ κοινός τε καὶ εἰδικος ἐξ ὕλης μὲν ἀναλογοῦ συνέστηκεν τοῦ γένους, ἐκ μορφῆς δὲ τῆς διαφορᾶς, τὸ δὲ ὅλον τοῦτο, ζῷν λογικόν, ὁ ἄνθρωπος, ὡς ἐκεί ὁ ἀνδιάς[2].

573. Quae vero tradit *Dexippus* nullam praeseferunt novitatem, cum potius divisionem supponat aequivocorum quam explicet. Attamen circa notionem aequivocorum et univocorum eorumque differentias, utiles quasdam adnotationes superaddit. Ita, exempli gratia, magna notat insistentia aequivoca a consilio, quae analoga dicimus, vagare per diversa genera; univoca vero esse intra idem genus. Qua de causa, ens, unum, idem, diversum aliaque id genus quae convertuntur cum ente vel circumeunt diversa genera entis, sunt aequivoca, idest analoga: dum e contra, species contentae sub eodem genere sunt univoca[3].

Est autem proprium univocorum participare notionem et rationem communem aequaliter et eodem modo, non diverso modo neque secundum prius et posterius, quia ubi aliquid dicitur secundum prius et posterius ibi

[1] *Op. cit.*, cap. 6, p. 131, 12-22.
[2] *Isagoge*, cap. 4, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. I, p. 11, 12-17. Berolini 1887.
[3] Dexippus, *In Categorias Aristotelis*, lib. I, cap. 4-20, ed. cit., pp. 11-12, passim.

nequit esse unum genus commune: ἐν οἷς γὰρ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον, ἐν τούτοις οὐ δύναται εἶναι κοινὸν γένος[1]; et ideo species participant genus suum secundum aequalitatem, κατὰ τὴν ἴσην et genus ex aequo, ἐξ ἴσου, praedicatur de eis[2].

Analogorum vero proprium est rationem communem participare secundum prius et posterius in ordine ad unum primum et maximum, sicut diversa genera accidentium participant rationem entis secundum prius et posterius in ordine ad substantiam quae est primum et maximum ens, et consequenter dicuntur entia eo aequivocationis modo qui est ab uno et ad unum et in uno: πάλιν γε μὲν καθόσον περὶ τὴν οὐσίαν εἰσὶ τὰ συμβεβηκότα καὶ ἐν τῇ οὐσίᾳ καὶ συντάττεται πρὸς αὐτὴν ὁμολογουμενος, κατὰ τοσοῦτον ἀφομοιωτέον αὐτὰ τοῖς ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ περὶ ἓν συνταττομένοις; siquidem τάξιν μέντοι διασώζει τὴν πρὸς ἓν καὶ περὶ ἓν καὶ ἀφ᾽ ἑνὸς, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἡ οὐσία τὴν πρώτην καὶ κυριωτάτην τάξιν εἴληφε, περὶ δὲ αὐτὴν τὰ συμβεβηκότα ὑφέστηκε[3].

Sed praeter istum modum aequivocorum ab uno et ad unum, admittit alium modum secundum analogiam cum propriam tum metaphoricam. Propriam quidem, quando res diversorum generum eandem vel similem habitudinem habent ad sua absque nominis translatione, ut si dicamus substantiam eodem modo se habere ad suas proprietates sicut se habet quantitas vel qualitas vel relatio ad suas, vel si affirmemus genus et differentiam et definitionem singulis praedicamentis convenire proprie, unicuique tamen secundum modum suum; haec enim tot modis dicuntur quot sunt praedicamenta, scilicet decem modis: ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἕτερον δεκαχῶς, ἤ οὐσία πρὸς οὐσίαν ἤ ποιὸν πρὸς ποιὸν ἤ ποσὸν πρὸς ποσὸν καὶ επὶ τῶν λοιπῶν· τὰ δὲ ἐναλλὰξ κατὰ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν πλείω[4].

[1] *Op. cit.*, lib. III, cap. 3, p. 67, 12-13.
[2] *Ibid.*, p. 68, 5, 7.
[3] *Op. cit.*, lib. II, cap. 1, p. 40, 2-5, 9-12.
[4] *Op. cit.*, lib. I, cap. 4, p. 13, 35; p. 14, 1-2.

Metaphoricam vero, quando unus terminorum eiusdem proportionis sumitur proprie et alius tropice sive per translationem, sicut pes dictus de pede animalis et de pede montis; nam pes animalis dicitur proprie pes, montis autem dicitur per translationem: κυρίως δὲ κατὰ μεταφορὰν, ὡς επὶ τοῦ ποδὸς τοῦ τε ἡμετερου καὶ τῶν ὀρῶν [1]; οὔτε ἄρα τὸ τροπικὸν ἤ μεταφορικὸν ὄνομα ὡς τὸ ἀνεχαίτισεν ἤ πόδα νείατον Ἴδης [2].

Postremo, intra unum idemque genus supremum substantiae admittit analogiam quandam, nempe inter substantiam σωματικὴν, φυσικὴν, κινητικὴν, αἰσθητὴν ex una parte, et substantiam ἀσωματικὴν, ἀκινητικὴν, νοητὴν ex alia: tum quia substantia incorporea non est nobis cognoscibilis et nominabilis nisi per analogiam ad substantiam corpoream, ἀρρήτων τοίνυν ὄντων τῶν νοητῶν κατὰ μεταφορὰν καὶ ἀναλογίαν ἀπὸ τῶν κατ᾽ αἴσθησιν γνωρίμων; tum etiam quia, ex adverso, in ordine ontologico substantia corporea dependet ab incorporea sicut a suo principio, ideoque per analogiam ad ipsam appellatur et est substantia, ὡς μὲν γὰρ πρὸς τὴν [νοητὴν] ἔσται ὁμώνυμος αὕτη τῇ ἀναλογίᾳ μόνῃ τὴν ἔμφασιν αὐτῆς παρέχουσα [3]. Et tamen utraque substantia conveniunt in eodem genere supremo entis quod non est in subiecto neque dicitur de subiecto: καὶ μάλισθ᾽ ὅτι ἡ περὶ αὐτῆς ὑπογραφή, τὸ μήτε καθ᾽ ὑποκειμένου μήτε ὑποκειμένῳ, δύναται κἀκείναις ἐφαρμόσαι [4].

Nimirum substantia corporea et substantia incorporea conveniunt in eodem genere logico sive in eodem praedicamento, differunt tamen genere physico quia nulla est utriusque materia communis; et in hoc sensu reali et physico analogice tantum conveniunt, eo analogiae modo qui intra et iuxta genus, παρὰ γένος, dicitur. Nihil enim impedit quominus unum idemque dicatur

1 *Op. cit.*, lib. II, cap. 3, p. 41, 24-25.
2 *Op. cit.*, lib. I, cap. 4, p. 12, 20-21.
3 *Op. cit.*, lib. II, cap. 3, p. 41, 18-19, 27-30.
4 *Ibid.*, p. 42, 2-3.

univocum et aequivocum secundum diversas comparationes: et sic substantia corporea, si comparetur ad species corporis physici sub ea contentas, iure appellatur συμώνυμον; eadem vero, si comparetur ad substantias incorporeas, quae sub ipsa non continentur sed potius transcendunt ipsam, merito vocatur ὁμώνυμον, ἀπὸ διανοίας tamen et non ἀπὸ τύχης, et quidem eo τῆς ὁμωνυμίας modo qui ἀφ᾽ ἑνὸς et πρὸς ἕν audit, maxime vero qui πατὰ γένὸς dicitur [1].

Sic ergo, quantum ex usu Dexippi constat, eosdem ipse analogiae modos agnoscit et admittit quos et Aristoteles et Porphyrius tradiderant. Unum tamen addit Dexippus maioris momenti, scilicet ipsam ὁμωνυμίαν ἀπὸ διανοίας esse quid ὁμώνυμον, idest ipsam analogiam esse analogam secundum diversos eius modos: κατὰ γὰρ τὸ ὄνομα μόνον ὁμώνυμον τὸ ὁμώνυμον [2].

574. Magis tamen explicitus magisque accedens ad Porphyrium in modo dividendi aequivoca, est *Ammonius*, tum in commentario super Isagogen Porphyrii, tum praesertim in expositione super Categorias Aristotelis: nam in tradenda notione aequivocorum et univocorum omnino premit vestigia Porphyrii et Dexippi [3].

Aequivocorum igitur alia sunt ἀπὸ τύχης, sicut casu accidit quod unus homo vocetur Socrates apud Byzantium et alius eodem nomine donetur extra Byzantium [4] vel sicut nomen canis pure aequivoce dicitur de cane terrestri, de cane marino et de cane caelesti sive de constellatione quadam [5], quia mere per accidens, κατὰ συμβεβηκός, idem nomen pluribus imponitur; alia vero ἀπὸ διανοίας, idest consilio et ratione, ob aliquam con-

1 Cf. *ibid.*, cap. 2-3, pp. 40-42.
2 *Op. cit.*, lib. I, cap. 11, p. 18, 32-33.
3 Cf. Ammonium, *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. IV, pp. 15-21. Berolini 1895.
4 *Ibid.*, p. 21, 16-19.
5 *In Porphyrii Isagogen*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. III, p. 48, 18-25, p. 49, 1-6.

nexionem dependentiae aut similitudinis inter ea quae idem nomen sortiuntur, sicut nomen generis dicitur de genere logico seu praedicabili ob similitudinem quandam cum genere physico eorum quae ab eodem principio per viam generationis descendunt: quem ad modum enim omnes eiusdem progeniei continentur sub primo parente vel generante quasi sub universali in causando, ita omnes species alicuius generis continentur sub ipsa veluti sub universali in essendo et praedicando, et ideo nomen generis dicitur de genere praedicabili καθ' ὁμοιότητα vel κατὰ μίμησιν ad genus physicum generantis et generatorum ab ipso [1].

Quae quidem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας subdividuntur in ὁμώνυμα ἀφ' ἑνός καὶ πρὸς ἕν, in ὁμώνυμα καθ' ὁμοιότητα et in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν.

Aequivoca ab uno et ad unum sunt illa quae ab ipsomet uno denominationem accipiunt, ἀφ' οὗ παρώνυμα λέγεται, ob relationem dependentiae quam habent ab eo sicut a causa efficienti vel sicut a causa finali: et si quidem nomen sumant sicut a causa efficienti, dicuntur ἀφ' ἑνὸς, idest ἀπὸ ποιητικοῦ αἰτίου, ὡς τὸ ἰατρικὸν σμιλίον ἤ βιβλίον, nam et scalpellum vocamus medicativum et librum, licet aliter et aliter scalpellum et liber medicinae concurrant ad medicationem; sin autem denominationem communem accipiant sicut ab una causa finali, dicuntur ὁμώνυμα πρὸς ἕν, idest ἀπὸ τοῦ τελικοῦ, οἷον τὸ ὑγιενὸν φάρμακον, siquidem medicamentum appellatur sanum per ordinem ad sanitatem animalis, ad quam dicit relationem sicut medium ad finem [2].

Putat autem Ammonius ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς et ὁμώνυμα πρὸς ἕν esse eadem: ταῦτα δὲ ἐστι τὰ ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, licet πρὸς ἑνὸς dicatur ab efficienti et πρὸς ἑν a fine; ἀφ' ἑνὸς μὲν ἀπὸ τοῦ ποιητοκοῦ, πρὸς ἕν δὲ πρὸς τὸ τελικόν [3]: quia revera unum idemque medicamentum et est causa

1 *Ibid.*, p. 53, 5-24.
2 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. cit., p. 21, 19-21, 23.
3 *Ibid.*, p. 21, 21-23.

sanitatis et est medium ad eandem sanitatem acquirendam. Qua in re solutionem conatus est dare quaestioni motae a Porphyrio de identitate vel diversitate eorundem.

Notat insuper ad ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν reduci posse ὁμώσυμα ἀπὸ διανοίας quae dicuntur a memoria et a spe, κατὰ μνήμην et κατὰ ἔλπιδα [1]. Quando enim ob memoriam patris imponitur filio ipsum nomen patris, revera est denominatio ab uno, idest a causa vel auctore filii, ut ipse memoriam patris et causae sui retineat. Pariter, cum nomen alicuius hominis egregii imponitur parvulo, verbi gratia nomen Socratis vel Platonis vel Aristotelis, eo consilio fit, ut desiderium et spes exprimatur talem liberum vestigia pressurum illorum magnorum philosophorum et ad similem celebritatem perventurum: ab hoc ergo fine desiderato et sperato nomen idem Socratis vel Platonis vel Aristotelis attribuitur parvulo.

Sic ergo ὁμώνυμα κατὰ μνήμην apte reducuntur ad ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς, sicut et ὁμώνυμα κατ' ἐλπίδα ad ὁμώνυμα πρὸς ἕν: nam et *memoria* respondet apprime principio vel causae efficienti, cuius actio productiva vel generativa in *praeterito* posita est; dum *spes*, quae de futuris et bonis est, optime correspondet *fini* in executione, qui *futurus* est et *bonus*.

Quin etiam, sicut ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν incidunt frequenter in idem re, ita etiam ὁμώνυμα κατὰ μνήμην καὶ κατ' ἐλπίδα: saepe enim idem nomen patris imponitur et attribuitur filio, non solum ob memoriam patris, verum etiam ob spem quod filius vestigia sequatur patris et obtineat eandem dignitatem vel virtutem quibus pater eminebat.

Homonyma vero καθ' ὁμοιότητα sive κατὰ τὴν τῶν πραγμάτων ὁμοιότητα tunc obtinent quando nomen unius rei attribuitur alii ob aliquam similitudinem quam haec habet cum illa.

1 *Ibid.*, p. 21, 24-28; p. 22, 1-2.

Quod quidem contingit tripliciter: primo, secundum operationem vel modum operandi, διὰ τὴν τῆς ἐνεργείας ὁμοιότητα, ut si quis appelletur Gorgias ex eo quod imitatur Gorgiam in operando, videlicet in exercendo operationes similes operationibus Gorgiae vel in modo simili eandem operationem producendi, verbi gratia in loquendo, in ambulando, in respiciendo, οἷον Γοργίας ἀπὸ τοῦ γοργεύεσθαι τόνδε τινά; secundo, ob imitationem vel similitudinem in forma et figura exteriori, διὰ τὴν τῆς μορφῆς ὁμοιότητα, sicut pictura vel statua hominis, puta Aristotelis, dicitur Aristoteles, et universaliter imago nomine exemplaris appellatur, οἷον ἐπὶ τῆς εἰκόνος καὶ τοῦ παραδείγματος; tertio, secundum translatam vel metaphoricam similitudinem, κατὰ μεταφορὰν, ut cum infimam partem montis vocamus pedem, supremam vero caput, ὡς πόδες Ἴδης καὶ κορυφή [1].

Tandem ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν dicuntur quae idem nomen sortiuntur ob eandem vel similem habitudinem quam diversa habent ad diversa, ut pes lecti et pes montis, quia eadem est comparatio partis inferioris lecti ad lectum et partis inferioris montis ad montem: κατὰ ἀναλογίαν, οἷον ὡς ἔχει τόδε πρὸς τόδε, οὕτω τόδε πρὸς τοδε, ὡς πόδες κλίνης καὶ πόδες ὄρους [2].

Est tamen notandum quod ὁμωνυμία κατὰ μεταφορὰν bifarie sumitur ab Ammonio: uno modo, ut simplex metaphora, et sic nihil est aliud quam translatio nominis a propria ad impropriam significationem, ob similitudinem eius cui improprie et secundario attribuitur nomen ad id cui proprie et primario nomen convenit, ut patet in exemplo citato, et sic reducitur ad ὁμωνυμιαν καθ' ὁμοιότητα, quasi unius ad unum; alio modo, ut comparatio sive ut metaphora comparata, et tunc explicatur talis similitudo per proportionem sive proportionalitatem inter rationem eius quod primo et proprie dicitur et rationem eius quod secundario et per translationem eodem nomine significatur: quo in casu reducitur ad ὁμωνυμίαν κατ' ἀναλογίαν.

1 *Ibid.*, p. 22, 2, 6-10.
2 *Ibid.*, p. 22, 5-6.

Id, quod mirum nemini videri debet, quia revera analogia metaphorica media quodammodo consistit inter analogiam attributionis καθ' ὁμοιότητα et analogiam proportionalitatis propriae; et ideo quandoque ad extremum attributionis, nonnunquam ad extremum proportionalitatis reducitur, sicut et medium quandoque trahitur ad unum extremum et aliquando ad aliud.

Licet ergo Ammonius reducat ὁμώνυμα κατὰ μεταφορὰν ad analogiam attributionis καθ' ὁμοιότητα potius quam ad analogiam proportionalitatis, ut patet ex hoc quod ex professo dividens ὁμώνυμα talem facit reductionem, minime tamen negat ὁμωνυμίαν κατὰ μεταφορὰν induere posse formam τῆς ὁμωνυμίας κατ' ἀναλογίαν ut patet ex usu eius, verbi gratia quando explicat definitionem scientificam essentiarum secundum proportionalitatem metaphoricam ad definitionem vel delimitationem agrorum. Sic enim scribit: ὁρισμὸς δὲ λέγετα ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἐν τοῖς χωρίοις ὅρων· ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνοι περιλαμβάνουσι τὸ χωρίον καὶ χωρίζουσι τῶν ἀλλοτρίων, οὕτῳ, καὶ οἱ ὁρισμοὶ περιλαμβάνουσι τὸ πρᾶγμα καὶ χωρίζουσι τῶν ἄλλων ἁπάντων [1].

Itaque ὁμώνυμα κατ' ἀναλογίαν gemina sunt: alia μεταφορικῶς peracta, ut in exemplo citato; alia κυρίως facta, ut cum dicimus: ita se habent differentia ad genus et species ad utrumque, sicut se habent forma ad materiam et essentia ad utramque; vel etiam: ita se habent forma ad materiam et substantia corporea ad materiam et formam, sicut se habent figura cupri ad cuprum et statua cuprea ad cuprum et figuram [2]. Eodemque iure dicimus: ita se habet exemplum ad inductionem sicut enthymema ad syllogismum, ἀναλόγως γὰρ [ἔχει] τῇ τε ἐπαγωγῇ καὶ τῷ συλλογισμῷ τὸ παράδειγμα καὶ τὸ ἐνθύμημα [3]. Similiter,

1 *In Porhyrii Isagogen*, prooemium, ed. cit., p. 1, 7-10.
2 *Op. cit.*, cap. 2, p. 106, 12-24; p. 107, 1-21.
3 *Op. cit.*, prooemium, p. 8, 5, Cf. *ibid.*, 1, 6-15. Quo etiam in loco aliud affert exemplum analogiae proportionalitatis inter quatuor elementa naturae, scilicet ignem et aquam, terram et aerem, ex una parte, et quatuor humores corporis humani, nempe calidum et frigidum, humidum et siccum, ex alia. Quod exemplum, ut patet, accipiendum est ut exemplum, non ut veritas (p. 7, 32; p. 8, 1-4).

sicut se habet substantia individua ad speciem ita se habet species ad genus, nempe ἀπὸ τῆς ἀναλογίας· ὡς γὰρ ἔχει ἡ πρώτη οὐσία πρὸς τὸ εἶδος, οὕτω καὶ τὸ εἶδος πρὸς τὸ γένος [1].

Item, τοῦτο δεύτερον ἐπιχείρεμα τὸ ἐκ τῆς ἀναλογίας· φησὶ γὰρ ὅτι ὥσπερ αἱ πρῶται οὐσίαι διὰ τοῦτο πρῶται λέγονται διὰ τοῖς ἄλλοις ὑποκεῖσθαι, οὕτω τὰ εἴδη καὶ τὰ γένη δεύτεραι οὐσίαι λέγοντα διὰ τὸ καὶ αὐτὰ ἄλλοις ὑποκεῖσθει· ὑπόκειται δὲ τὰ εἴδη καὶ τὰ γένη τοῖς συμβεβηκόσιν· εἰκοτως οὖν ταῦτα θεύτεραι οὐσίαι λέγονται· ὡσαύτως δὲ καὶ ἔπι τῶν ἄλλων [2].

Et in suis commentariis super librum Perihermeneias et super I Priorum Analyticorum frequenter utitur analogia proportionalitatis, verbi gratia quando ait quod sicut verum et falsum non est in simplici apprehensione sed in iudicio, ita verum et falsum non significatur mero nomine vel termino incomplexo sed enunciatione vel propositione [3]; et quando affirmat materiam et formam syllogismi esse analogas sive proportionales materiae et formae rerum naturalium vel artificialium [4].

575. Ammonii vestigia e vicino premit *Olympiodorus* tam in notione quam in divisione τῶν ὁμωνύμων, addens tamen maiorem claritudinem et praecisionem in verbis et aliter coordinans nonnulla membra divisionis.

Recte igitur Aristoteles definivit aequivoca, dicens ea esse ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς

---

1 *In Categorias Aristotelis*, cap. 3, ed. cit., p. 41, 23-24. Cf. etiam *ibid.*, p. 42, 5-20.

2 *Ibid.*, p. 43, 24-25; p. 44, 1-4.

3 *In librum Aristotelis de Interpretatione*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. V, p. 26, 12-22. Berolini 1897. Alia exempla, *ibid.*, p. 25, 25-30; cap. 2, p. 35, 21-34; p. 36, 1-21; cap. 5, p. 66, 31-32; p. 67, 1-19; cap. 7, p. 94, 2-7; p. 111, 10-22; cap. 12, pp. 166-167, 171-172, 174, 227, 229.

4 *In Aristotelis Analyticorum Priorum librum I*, prooemium, ed. M. Wallies, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IV, P. VI, p. 4, 8-35. Berolini 1899. Alia exempla, *ibid.*, cap. 1, pp. 15-16, 25, 34.

οὐσίας ἕτερος. Quam quidem definitionem fuse explicat ac tuetur [1].

At haec ratio substantiae diversa secundum idem nomen potest esse duplex: alia totaliter diversa, absque ulla reali convenientia; alia non penitus diversa, sed cum aliquali convenientia et reali habitudine inter plures rationes eodem nomine significatas. Consequenter aequivoca sunt duplicis generis: alia pure et omnino aequivoca, quae nonnisi in nomine conveniunt, et haec dicuntur ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης, κατὰ τύχην, οὐδὲ τέχνῃ, οὐδὲ ἐπιστήμῃ: ἀπὸ τύχης εστιν ὁμώνυμα, ὡς ὅταν ἐν διαφόροις τόποις οἰκοῦντές τινες τῷ αὐτῷ ὀνόματι προσαγορεύνται θεμένων, ut si quis Persiae nominetur Socrates et alius eodem nomine vocetur Athenis, οὐ διὰ αὐτὴν τὴν διάνοιαν ἑκατέροις κειμένου τοῦ ὀνόματος, ἀλλὰ κατὰ τινα τύχην [2]; alia non omnino neque pure aequivoca, utpote quae non solum in nomine, verum etiam in re et ratione per nomen significata aliquantenus conveniunt, quin tamen ad plenam et totalem rationis identitatem, quae propria est univocorum, accedant, et huiusmodi appellantur ὁμώνυμα ἐκ διανοίας, ἀπό διανοίας, ἀπὸ τεκνης, ἀπὸ ἐπιστήμης, ut homo pictus dicitur homo ob similitudinem quam habet ad hominem vivum, cum sit imago eius [3].

Haec autem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας subdividuntur in ὁμώνυμα secundum meram denominationem extrinsecam ab uno eorum quae sic dicuntur, τῷ δὲ ἀφ᾽ οὗ παρώνυμα et in ὁμώνυμα secundum rem et non secundum meram denominationem extrinsecam, τῷ ὄντι ὁμώνυμα [4].

Et prima quidem, scilicet secundum meram denominationem extrinsecam ab uno, duplicem formam induunt. Quaedam enim denominantur ab uno secundum rationem causae efficientis, ἀφ᾽ ἑνὸς ἀπὸ ποιητικοῦ αἰτίου sicut

---

1 Olympiodorus, *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XII, P. I, pp. 26-33. Berolini 1902.

2 *Ibid.*, p. 34, 8-13.

3 *Ibid.*, p. 34, 1-6.

4 *Ibid.*, p. 34, 19-21, 30-31.

scalpellum et liber medicinae dicuntur medicativa per denominationem extrinsecam a vi medendi quae primo et formaliter convenit medico, ὡς ὅταν εἴπωμεν ἰατρικον σμιλίον, ἰατρικὸν βιβλίον - ταῦτα γὰρ ὡς ἰατρικῆς ποιητικῆς ὀνομάζεται [1]. Alia vero denominantur ab uno secundum rationem causae finalis, quasi ad unum relata et ordinata, ἀπὸ τελικοῦ πρὸς ἕν sive πρὸς ἕν τέλος, sicut cibus et medicina et potio dicuntur sana per respectum ad unam eandemque sanitatem animalis, ὡς ὅταν εἴπωμεν ὑγιενον σιτίον, ὑγιενὸν φάρμακον, ὑγιενον ποτόν· ἀπὸ γὰρ τῆς ὑγείας, ὅπερ ἐστὶ τελικὸν τῆς ἰατρικῆς, ταύτην τὴν προσηγορίαν εἰλήφασι [2].

Secunda vero, idest ὁμώνυμα non secundum puram attributionem vel denominationem extrinsecam sed secundum esse vel rem, τῷ ὄντι ὁμώνυμα, triplicem modum suscipere valent pro triplici forma temporis, διαιροῦνται κατὰ τὴν τριμέρειαν τοῦ χρόνου, scilicet secundum praeteritum, secundum futurum et secundum praesens, πρὸς τὸν παρεληλυθότα, πρὸς τὸν μέλλοντα καὶ πρὸς τὸν ἐνεστῶτα.

Quae habitudinem praeteriti connotant, dicuntur ὁμώνυμα secundum memoriam vel a memoria, κατὰ ἀνάμνησιν, ut si quis filio suo imponat nomen quod gerebat pater suus ad colendam memoriam talis et tanti patris, qua de causa frequenter nepotes nomen portant avorum suorum; quae autem futuri connotant relationem, appellantur ὁμώνυμα a spe vel secundum spem, κατ' ἐλπίδα ut si quis filio suo Socrati superaddat nomen Platonis ob spem quam habet eum futurum esse quasi novum Platonem in sapientia; quae tandem praesentis habitudinem connotant, vel saltem abstrahunt a praeterito et futuro, tripliciter contingere possunt, καὶ τοῦτο τριχῶς, scilicet secundum participationem, secundum metaphoram et secundum imitationem vel similitudinem [3].

Secundum participationem quidem, κατὰ μέτεξιν, si-

[1] *Ibid.*, p. 34, 23-24, 27.
[2] *Ibid.*, p. 34, 24-26.
[3] *Ibid.*, p. 34, 31-36; p. 35, 1-2.

cut mulierem aliquam vocamus grammaticam vel musicam ex eo quod participat artem Grammaticae vel Musicae, ἀπὸ τῆς γραμματοκῆς τέχνης ἤ... ἀπὸ τῆς μουσικῆς [1].

Secundum metaphoram vero, κατὰ μεταφορὰν, ut cum dicimus: pastor populi, caput montis, pes Idae, ὡς ποιμένα λαῶν, κορυφὴν ὄρους, πόδας 'Ιδης [2]. Metaphora namque est abbreviata quaedam analogia, sicut et analogia metaphorica est metaphora quaedam explicata et dilatata. Haec siquidem metaphora: rex est pastor populi, resolvitur et explicatur in istam analogiam: sic se habet rex ad populum sicut pastor ad gregem, quatenus sicut pastor curam habet de grege et ad pascuas ducit, ita rex curam de populo habet et ad beatitudinem et prosperitatem ducit quae vera hominum pascua est. Ἔστι δὲ ἡ μεταφορὰ, ὡς φησιν ὁ Θεμίστιος, σύντομος ἀναλογία· καὶ ἀληθεύεα ὁ ἀνὴρ λέγων τοῦτο· τῆς γὰρ ἀναλογίας λεγούσης ὅτι ὥσπερ ποιμὴν ἐν ποιμίῳ, οὕτω βασιλεὺς ἐν ἀνθρώποις, ἡ μεταφορὰ ἀφ' ἑκατέρας συστοιχίας ἓν λαβοῦσα συνέπλεξε συντόμως καὶ φησι τὸν βασιλέα ποιμένα λαῶν [3].

Secundum imitationem autem sive similitudinem, καθ' ὁμοιότητα, bifarie ὁμώνυμα dicuntur: uno modo, in vita intellectuali et morali sive cognoscitiva et affectiva, πρὸς τὴν γνῶσιν τῆς ζωῆς sive κατὰ τὴν γνῶσιν τῆς ζωῆς καὶ τὸ ἦθος τῆς ψυχῆς ut si quis discipulum imitanten scientiam et virtutem sui magistri appellet nomine ipsius magistri, verbi gratia Theiatiteton vocet Socratem; alio modo, in forma exteriori et figura corporali, πρὸς την μορφήν, ut picturam vel statuam Socratis nominamus Socratem, et ad hunc modum reducitur exemplum Aristotelis de homine vivo et homine picto [4].

Dicuntur autem haec omnia ὁμώνυμα secundum esse et non secundum meram denominationem, quia ipsa forma significata per nomen commune convenit vere et rea-

[1] *Ibid.*, p. 35, 2-3.
[2] *Ibid.*, p. 35, 3-4.
[3] *Ibid.*, p. 35, 4-8.
[4] *Ibid.*, p. 35, 8-14.

liter, licet diverso modo diversaque ratione, omnibus eodem nomine designatis, non autem eodem modo eademque ratione sicut univocis [1].

Neque tamen Olympiodorus solam analogiam proportionalitatis metaphoricae cognoscit, exclusa analogia proportionalitatis propriae, nam postea admittit expresse analogiam proportionalitatis propriae, verbi gratia cum dicit nomen substantiae analogice dici de substantia prima et de substantia secunda, quatenus sicut substantia prima se habet ad esse ita substantia secunda se habet ad intelligi; ac insuper diversae substantiae secundae dicuntur plus minusve secundae sive universales secundum quod ἐκ τῆς ἐγγύτητος καὶ τῆς ἀναλογίας se habent ad ipsam substantiam primam, quo in sensu species magis dicitur substantia quam genus, quia magis accedit ad substantiam primam quam genus; ut praeteream quod ita se habet genus ad species sicut species ad individua [2]. Ita Olympiodorus, licet non nova tradat respectu Ammonii a quo dependet, ea tamen novo modo digessit ac expressit profundiusque penetravit.

576. Eandem viam secutus est *Elias*, qui ex Ammonio et Olympiodoro simul dependet, licet nonnulla membra divisionis aequivocorum a consilio sive analogorum aliter coordinet ac sui praedecessores nitidiusque explicet.

Relata ergo et explicata definitione aristotelica aequivocorum [3], ea dividit in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης vel κατὰ τύχην et in ὀνώνυμα κατὰ διανοίας, sive κατὰ τέγνην. Prima dicuntur quando plura diversis in locis eodem nomine donantur quin ulla sit ratio communis significata per nomen, sed mere per accidens et absque ullo respectu unius ad aliud, commune nomen sortiuntur, ut Alexander Parides et Alexander Macedo nomen idem sortiti sunt

[1] Cf. *ibid.*, p. 35, 15-39; pp. 36-37.
[2] *Op. cit.*, cap. 5, pp. 59-60; pp. 64-67.
[3] Elias, *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XVIII, P. I, pp. 135-139. Berolini 1900.

nullo habito respectu unius ad alium: ὡς ὅταν τινες ἐν διαφόροις τόποις ὄντες τῷ αὐτῷ ὀνόματι ὀνομάζωνται, μηδεμίαν ἔννοιαν ἐσχηκοτος τοῦ ὀνομάσαντος τῶν ἐν ἄλλῳ τόπῳ οὕτως ὀνομαζομένων, ὥσπερ 'Αλέξανδρος ὁ Πάρις καὶ ὁ Μακεδών [1].

Secunda vero appellantur quae, diversa cum sint, nomen idem sortiuntur habito respectu unius ad aliud, utpote quae simul in aliquo conveniunt, et ideo consilio et arte et scientia communi nomine adunantur, ut homo verus et homo pictus, siquidem pictura hominis dicitur homo quia est imago et similitudo hominis veri: ὡς ὅταν βουλεισάμενός τις ὀνομάσῃ ὄνομα, scilicet ὑπὸ τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν προβάλλονται [2], οἷον ζῷον ὅ τε ἄνρθωπος καὶ τὸ γεγραμμένον· ὁ γὰρ ἀληθὴς ἄνθρωπος οὐσία ἔμψυχός αἰσθητική, ὁ δὲ γεγαμμένος οὐκ οὐσία ἀλλὰ συμβεβηκός, οὐκ, ἔμψυχος ἀλλ' ἄψυχος, οὐκ αἰθητικος ἀλλ' ἀναιηθητος, ἀλλὰ ζῷον λέγεται ὡς εἰκὼν οὐσίας ἐμψύχου αἰσθητικῆς [3].

Et haec quidem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας in duas classes subdividit: quaedam enim important connotationem temporis, alia vero nullam involvunt temporis connotationem.

Quae igitur dicuntur secundum connotationem temporis, κατὰ χρονικὴν ἔννοιαν, duplicem formam suscipere valent, scilicet formam connotationis temporis praeteriti, et tunc appellantur ὀνώνυμα secundum memoriam, κατὰ μνήμην, ut si quis ob memoriam patris sui imponat nomen eius filio suo, ὡς εἴ τις τοῦ πατρὸς μνημονεύων τὸν υἱὸν τὸν ἴδιον τῷ ἐκείνου ὀνομάσῃ ὀνόματι [4]; et formam connotationis temporis futuri, quo in casu vocantur ὁμώνυμα secundum spem, κατ' ἐλπίδα, ut si quis proprio filio suo imponat nomen Platonis sperans eum futurum esse quasi alterum Platonem, ὡς εἴ τις τὸν υἱὸν αὑτοῦ πνομάσῃ Πλάτωνα ἐλπίσας αὐτὸν γενήσεσθαι τοιοῦτον [5], accidit autem aliquando utramque formam simul concurrere,

[1] *Ibid.*, p. 139, 30-33.
[2] *Ibid.*, p. 140, 1-3.
[3] *Ibid.*, p. 139, 25-28.
[4] *Ibid.*, p. 140, 5-7.
[5] *Ibid.*, p. 140, 7-8.

κατὰ τὸ συναμφότερον, ut si discipulus Platonis proprio filio imponat nomen Platonis in memoriam tanti magistri simulque ob spem quod filius suus sit Platonem imitaturus, et sic κατὰ τὸ συναμφότερον dicuntur simul καὶ κατὰ μνήμην καὶ κατ' ἐλπιδα. Semper tamen substernitur omnibus istis formis notio sive idea imitationis cuiusdam, et ideo appellari possent ὁμώνυμα πρὸς μίμησιν [1]: recolitur namque memoria patris vel magistri, quia digna reputatur imitatione.

Quae vero dicuntur sine temporis connotatione, οὐ κατὰ χρονικὴν ἔννοιαν, duplicem formam pariter induere possunt, nempe formam participationis, sicque vocantur ὁνώνυμα κατὰ μέθεξιν, ut si mulier quaedam dicatur musica quia participat artem musicae, ὡς ἀπὸ τῆς μουσικῆς μουσικὴ γυνή [2]; et formam metaphorae, et tunc vocantur ὁμώνυμα κατὰ μεταφορὰν, ut cum regem dicimus pastorem populi.

Haec porro ὁμωνυμία μεταφορικὴ aequivalet analogiae proportionalitatis, eo quod metaphora nihil est aliud quam analogia contracta, sicut et analogia metaphorica est ipsa metaphora evoluta et explicata, verbi gratia si metaphoram praedictam explicemus hoc modo: ita se habet rex ad populum sicut se habet pastor ad gregem; ob hanc enim similitudinem proportionalem regis ad populum et pastoris ad gregem, transfertur ad regem nomen pastoris.

En ipsa Eliae expositio: διαφέρει δὲ μεταφορὰ ἀναλογίας· μεταφορὰ γὰρ ἐστι σύντομος ἀναλογία, ἀναλογία δὲ ἐστιν ὡς ὅταν εἴπω ὅτι οἷον λόγον ἔχει τόδε πρὸς τόδε, τοῦτον ἔχει τόδε πρὸς τόδε ἡ δὲ μεταφορὰ οὐ λόγῳ κέχρηται ἀλλ' ὀνόματι. ὀφείλων γὰρ εἰπεῖν τις «ὁποῖον λόγον ἔχει ὁ ποιμὴν πρὸς τὰ πρόβατα, τοῦτον ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν λαόν» και χρήσασθαι οὗτω τῇ ἀναλογία, μή εἴποι οὕτως ἀλλὰ ποιμένα καλέσαι λαῶν τὸν βασιλέα μεταφορικῶς [3].

1 *Ibid.*, p. 140, 9-11.
2 *Ibid.*, p. 40, 12-13.
3 *Ibid.*, p. 40, 13-19.

Sed praeter hunc modum analogiae proportionalitatis metaphoricae, cuius tantum meminit hoc in loco, admittit etiam Elias alium modum analogiae proportionalitatis propriae, exempla proferens utriusque. Ita, exemplum affert analogiae proportionalitatis metaphoricae cum ait quod ita se habet ratio, irascibilis et concupiscibilis in unoquoque homine singulari sicut se habent princeps, minister et populus in republica: sicut enim in republica princeps imperat et non imperatur; minister autem et imperat et imperatur, quia et imperat populo et imperatur a principe; populus vero imperatur tantum et non imperat, ita in homine singulari ratio imperat et non imperatur: irascibilis imperat et imperatur, quia imperat concupiscibili et imperatur a ratione; concupiscibilis vero imperatur et non imperat: οἷον ἵνα ὁ λόγος ἄρχῃ ὡς ὁ βασιλεύς, ὁ θυμος ἄρχῃ καὶ ἄρχηται [ἄρχῃ μὲν τῆς ἐπιθυμία ἄρχηται δὲ ὑπὸ τοῦ λογου) ἀναλογῶν στρατιώταις, ἡ ἐπιθυμία ἄρχηται ἐοκυῖα δήμῳ [1].

Exemplum autem analogiae proportionalitatis propriae exhibet quando dicit quod sicut se habet forma artificialis ad subiectum eius, puta statua cuprea ad cuprum, ita se habet forma naturalis et substantialis ad materiam naturalem et substantialem; quasi dicat: sicut se habet forma secunda ad materiam secundam, ita se habet forma substantialis idest prima, ad materiam primam. Vel etiam: ita se habent genus, differentia et species inter se sicut se habent inter se materia prima, forma substantialis et tota natura ex eis composita: ἀναλογεῖ δὲ τῇ μὲν ὕλῃ τὸ γένος..., τῷ δὲ εἴδει ἡ διαφορα...· ὥσπερ γάρ ἡ ὕλη ἀσχημάτιστος οὖσα καὶ ἄμορφος προσερχομένου αὐτῇ τοῦ εἴδους μορφοῦται καὶ τοιόνδε τι σχῆμα γίνεται, οὕτως καὶ τὸ γένος τὸ ἀναλογοῦν τῇ ὕλῃ τῆς διαφορᾶς αὐτῷ προσελθούσης τῆς ἀναλογούσης τῷ εἴδει τοιόνδε τι γίνεται [2].

Item substantia secunda, quae dicitur substantia per analogiam ad substantiam primam cui primo et maxime

1 *Prolegomena philosophiae*, cap. 7, op. cit., p. 18, 34-35; p. 19, 1-2.
2 *In Porphyrii Isagogen*, cap. 2, op. cit., p. 87, 33-34; p. 88, 1-4.

convenit ratio substantiae, analogiam proportionalitatis propriae suscipere valet quando comparatur cum alia substantia secunda, verbi gratia: ita se habet species ad individua sub ea contenta sicut se habet genus ad species sub eo contentas [1]. Adest quoque analogia quaedam proportionalitatis propriae inter substantiam primam prout induit rationem subiecti accidentium sive materiae secundae et materiam primam, quatenus sicut eadem substantia numero est susceptiva contrariarum formarum accidentalium, puta albedinis et nigredinis, ita materia prima una et eadem numero est susceptiva contrariarum formarum substantialium; licet unitas numerica substantiae primae sit positiva, dum unitas numerica materiae primae est negativa tantum [2].

Tandem subdividit ὁμώνυμα in ὁμώνυμα ab uno, ἀφ' ἑνὸς et in ὁμώνυμα ad unum, πρὸς ἕν [3].

Analoga sive ὁμώνυμα πρὸς ἕν dicuntur secundum diversum respectum ad unum idemque finem, πρὸς ἕν τέλος ἀφορῶντα, sicut aura dicitur sana et cibus sanus per ordinem ad sanitatem animalis, οἷον... ὑγιεινὸν οὖρον ὑγιεινὸν σιτιον [4].

Analoga vero sive ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς bifarie dicuntur: uno modo, secundum diversum respectum ad unam eandemque causam efficientem, ἀπὸ ποιητοκοῦ, ὡς ἀπὸ ἰατρικῆς ἰατροκὸν σμιλίον καὶ βιβλίον, alio modo, secundum diversàm habitudinem ad unam eandemque causam exemplarem, ut homo pictus dicitur homo per respectum ad hominem verum, ἀπὸ παραδειγματικοῦ, ὡς ἀπὸ ἀληθινοῦ ἀνθρωποῦ ὁ γεγραμμένος· εἴκων γὰρ ὁ γεγραμμένος τοῦ ἀληθινοῦ ἀνθρώπου, siquidem τὸ παράδειγμα οὖν ἐλήφθη ἀπὸ τῶν ἀφ' ἑνὸς καὶ τούτων ἀπὸ τοῦ παραδειγματου [5]

Quae quidem, quantum ex contextu deduci potest,

---

1 *In Aristotelis Categorias*, cap. 5, ed. cit., p. 168, 5-23.
2 *Ibid.*, p. 182, 26-34; p. 183, 1-18.
3 *Ibid.*, cap. 1, p. 140, 19-20.
4 *Ibid.*, p. 140, 23-24.
5 *Ibid.*, p. 140, 20-25.

commode reduci possunt ad ὁμώνυμα quae nullam de se connotationem temporis important: quo in casu ὁμώνυμα οὐ κατὰ χρονικὴν ἔννοιαν tripliciter dicerentur, scilicet κατὰ μέθεξιν, κατὰ μεταφορὰν vel potius κατ' ἀναλογίαν et ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν.

577. Pauciora tradunt *Syrianus* et *Asclepius*, qui solummodo recolunt divisionem aequivocorum in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης et ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας [1], horumque subdivisionem in ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, in ὁμώνυμα κατ' ἀναλογίαν sive propriam sive metaphoricam et in ομώνυμα καθ' ὁμοιότητα sive ἀπὸ παραδειγματικοῦ αἰτίον, idest κατὰ τὴν εἰκονα [2], sobrietatem Alexandri Aphrodisiei, a quo dependent, imitantes.

Aequivoca a casu sunt totaliter aequivoca, ἁπλῶς ὁμώνυμα; e contra, aequivoca a consilio media essentialiter sunt inter totaliter aequivoca et totaliter univoca, ἁπλῶς συνωνύμων; μεταξὺ ταῦτα τῶν τε ὁμωνύμων καὶ τῶν συνωνύμων [3]. μεταξύ οὖν εστι τῶν τε ὁμώνύμων καὶ τῶν συνωνύμων [4]. Pure enim et simpliciter aequivoca non habent nisi nomen commune, absque ulla communicatione rei et rationis significatae per nomen, quae ideo maxime distat in diversis rebus nomine communi adunatis, ut nomen canis dictum de animali et de constellatione: τὸ γὰρ ὁμώνυμον ψιλόν ἐστιν ὄνομα μηδὲν κοινωνοῦν κατὰ τὸ πρᾶγμα. ἡ γὰρ κύων φωνὴ λέγεται καὶ ἐπὶ τοῦ χερσαίου καὶ τοῦ

---

1 Syrianus, *In III Metaphysicorum*, cap. 1-2, ed. G. Kroll, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. VI, P. I, pp. 54-58, Berolini 1902; *In XII Metaph.*, cap. 4, p. 115; cap. 8, pp. 148-149; *In XIII Metaph.*, cap. 6, p. 194. Asclepius, *In I Metaph.*, cap. 9, ed. M. Hayduck, Comment. in Arist. graeca, vol. VI, P. II, Berolini 1888, p. 88; *In III Metaph.*, cap. 2, p. 244; *In VI Metaph.*, cap. 6, pp. 395, 397-398; cap. 8, p. 404.

2 Syrianus, *In III Metaph.*, cap. 1-2, pp. 54-58, 61-62; cap. 3, pp. 64-65. Asclepius, *In I Metaph.*, cap. 5, pp. 46-47; cap. 9, pp. 71, 83, 106; *In II Metaph.*, cap. 1, p. 113; *In III Metaph.*, cap. 1, pp. 222-224, 226-227; *In IV Metaph.*, cap. 1, p. 303; cap. 16, pp. 338-339; *In I Metaph.*, cap. 9, pp. 87-88.

3 Syrianus, *In III Metaph.*, cap. 2, pp. 57, 36-37; *In XII Metaph.*, cap. 4, p. 115, 5-6.

4 Asclepius, *In III Metaph.*, cap. 2, p. 229, 6-7; cap. 1, p. 226, 25-35.

οὐρανίου· διέστηκε δὲ ὁ χερσαῖος τοῦ οὐρανίον πλείσοις ὅσοις μέτροις [1]. Pure autem et simpliciter univoca non solum communicant in nomine, verum etiam in ratione per nomen significata, quae aequaliter et eodem modo convenit univocatis eodem nomine, sicut homini, equo et cani convenit aequaliter ratio generica animalis in qua univocantur: τα γὰρ συνώνυμα κοινωνοῦσι κατὰ τὰ πρᾶγμα [2]; καθὸ τὰ μὲν συνώνυμα ὁμοτίμως πᾶσι τοῖς εἴδεσι παρέχουσι τὸ εἶναι —ὁμοτίμως γὰρ πάντα ζῷα ὑπάρχουσι κατὰ τὸ ζῷον—; animal siquidem est genus, genus autem univoce praedicatur de speciebus sub eo contentis, τὰ δὲ γένη συνωνύμως κατηγορεῖται [3]. At verso ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας, praesertim quae ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν dicuntur, ita communicant in nomine et ratione significata per nomen ut tamen haec ratio non conveniat aequaliter omnibus aequivocatis illo nomine, sed secundum prius et posterius, eo ipso quod non conveniunt in eodem genere: οὐχ ὁμοτίμως, quia ὅπου τὸ πρότερον καὶ ὕστερον κατεγορεῖται, τὸ κοινῶς κατεγορεύμενον οὐκ ἔστι γένος [4]. Exemplum classicum invenitur in sanis et medicabilibus, quae de diversis diversimode dicuntur, in ordine tamen ad unam sanitatem animalis et ad unam causam principalem medicativam quae perito et experto medico convenit. Quod ita evolvit Asclepius: κατὰ γάρ κοινήν τινα φύσιν τοιαῦτά φησιν εἶνας τά τε ὑγιενὰ καὶ τὰ ἰατρικὰ. τὰ μεν γὰρ ὑγιενα τῷ πρὸ ὑγείαν ἔχειν πως οὕτως ὠνόμασται· τὸ μὲν γὰρ ὑγιενον τι λέγεται τῷ φυλάττειν ὑγιείαν, ὡς δίαιτα τοιαύτη, γυμνασια περίπατοι, τὸ δὲ τι τῷ ποιεῖν, ὡς τὰ φάρμακα καὶ τὰ βοηθήματα, τό δὲ τῷ εἶναι σημεῖον ὑγείας, ὡς ἡ εὔχροια ἤ εὔπνοια, τὸ δὲ τῷ δεκτικὸν εἶναι αὐτῆς, ὡς τὸ σῶμα τὸ ἐπιτήδειον ὄν πρὸς τὸ ὑγιαίνειν· ὥστε τὸ γε μηδὲν εἰς ὑγείαν συντελοῦν εἰ λέγοιτο εἶναι ὑγιενόν ὁμωνύμως λέγοιτο ἄν· ὁμοίως καὶ τὸ ἰατρικόν τὸ μὲν λέγεται οὕτως τῷ ἔχειν ἰατρι-

1 Asclepius, *ibid.*, cap. 1, p. 226, 25-29; cap. 3, p. 353, 4-9; cap. 4, p. 261, 14-17; *In IV Metaph.*, cap. 1, p. 303, 13-15.
2 Asclepius, *In IV Metaph.*, cap. 1, p. 303, 16-17.
3 Asclepius, *In III Metaph.*, cap. 1, p. 226, 22, 32-34.
4 Asclepius, *In III Metaph.*, cap. 1, n. 226, 21-22; p. 227, 4-5.

κήν, ὡς ὁ ἰατρός, ὅ καὶ κυρίως καὶ μάλιστα ἰατρικόν, τὸ δὲ τῷ εὐφυὲς εἶναι πρὸς τὸ λαβεῖν ἰατρικήν, τὸ δὲ ὡς ἔργον καὶ ἀποτέλεσμα ἰατρικῆς, ὥσπερ λέγομεν ἰατρικῶς τετμηται, τὸ δὲ ὡς θεώρημα, τὸ τὲ ὡς ὄργανον πρὸς ἴασιν συντελοῦν ἢ φάρμακον· λέγεται δὲ καὶ ἰατρικὸν βιβλίον τὸ περὶ ἰατρικῆς συντεταγμένον [1].

Et ad huiusmodi aequivocationis formam accedit aequivocatio entis, quod diversimode dicitur de diversis praedicamentis, in ordine tamen ad substantiam, cui primo et principaliter et maxime convenit ratio entis: μὴ συνωνύμως τὸ ὄν κατά πάντων λέγεται, ἀλλ' οὖν οὐδὲ ὁμωνύμως, ἀλλ' ἔιοικε τοῖς ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν [2]. οὐ γὰρ ὁμοτίμως πᾶσι τοῖς εἴδεσι χαριζεται τοῦ εἶναι [3].

Notant insuper, et quidem sapienter, hunc modum aequivocationis ab uno et ad unum maxime convenire philosophiae platonicorum, iuxta quam omnia sunt ab Uno et ad Unum secundum ordinem prioris et posterioris[4], utpote ab illo Uno participata et ad illud Unum exemplata[5]. Quo fit ut et ipsa ὁμώνυμα καθ' ὁμοιότητα idest ἀπὸ παραδειγματικοῦ ἀιτίον reducantur ad ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς siquidem dicuntur per denominationem ab uno exemplari quod suo modo imitantur.

Ab eo tamen apprime distinguunt modum τῶν ὁμώνυμῶν κατ' ἀναλογίαν, quae non dicuntur secundum diversos respectus ad unum, sed secundum unam vel similem habitudinem diversorum ad diversa. Et quidem, licet expresse non nominent nisi analogiam metaphoricam, quam et symbolicam appellant [6], ut cum submontana vocamus pedem montis [7] aut habilem furem dicimus *per-*

1 Asclepius, *In III Metaph.*, cap. 2, p. 229, 15-26.
2 Syrianus, *In III Metaph.*, cap. 1, p. 54, 22-23; p. 55, 1. Cf. p. 56-57.
3 Asclepius, *In III Metaph.*, cap. 2, p. 229, 9-10.
4 Asclepius, *In I Metaph.*, cap. 6, pp. 46-47; cap. 9, p. 71, 10-24; pp. 83-84.
5 Syrianus, *In XII Metaph.*, cap. 4, pp. 114-115.
6 Asclepius, *In I Metaph.*, cap. 5, pp. 37-38; Syrianus, *In XII Metaph.*, cap. 6, pp. 122-123; *In XIII Metaph.*, cap. 1, p. 169; cap. 4, p. 181, 20-25.
7 Asclepius, *In I Metaph.*, cap. 9, pp. 87-88.

fectum latronem [1], nihilominus analogiam propriam ab
ea distinctam agnoscunt, cuius et plura exempla in me-
dium proferunt; verbi gratia, cum dicunt ita se habere
punctum ad lineam sicut instans ad tempus [2]; vel ita
se habere Metaphysicam ad considerationem sui obiecti
quod est ens in quantum ens et quidquid quocumque
modo aliquam dicit habitudinem ad ens, sicut se habent
Medicina ad considerationem sanitatis et ad ea omnia
quae respectum dicunt ad sanitatem quae est eius pro-
prium obiectum, et Geometria ad quantitatem continuam,
et Musica ad sonos harmonicos [3]; aut cum asserunt ge-
nus se habere ad differentiam sicut se habet materia ad
formam [4], vel ita se habere materiam primam ad for-
mam primam sive substantialem sicut se habet materia
secunda ad formam secundum sive accidentalem artis [5],
vel sic se habere litteram ad nomen sicut se habent uni-
tas ad numerum et punctum ad lineam [6], aut etiam sic
se habere carinam ad navem sicut se habet cor ad ani-
mal: ὡς τρόπις πλοίου, οὕτως ζῴου καρδία ἀρχὴ ὑπάρχει...;
ἓν γὰρ ἐστι κατ᾽ ἀναλογίαν τρόπις καὶ καρδία [7]. ὁμοίως
ἡ ναῦς τοῦ ζῴον διαφέρει καὶ ἔχει κοινωνίαν κατὰ ἀναλογίαν·
ὡς γὰρ ἐπὶ τῆς νεώς ἐστι τρόπις, οὕτως ἐπι τοῦ ζῴου καρδία [8].

578. Idemque a fortiori, sobrietatem quod attinet, dicendum est de *Stephano*, qui eos solum recolit aequivocorum modos quibus ad expositionem libri Perihermeneias indigebat. Hic ergo expresse distinguit ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης, ut nomen canis dictum de animali et de constellatione; et ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας, ad quae reducit

---

1 ASCLEPIUS, *In IV Metaph.*, cap. 16, pp. 338-339.
2 SYRIANUS, *In II Metaph.*, cap. 6, p. 51, 7-8.
3 SYRIANUS, *In III Metaph.*, cap. 1, pp. 55-58.
4 ASCLEPIUS, *In II Metaph.*, cap. 3, p. 181, 7-27; *In VII Metaph.*, cap. 13, p. 430, 2-10.
5 ASCLEPIUS, *In I Metaph.*, cap. 9, p. 91, 14-20; p. 109, 19-28; p. 131, 15-20; *In VII Metaph.*, cap. 3, p. 380, 7-9; p. 383, 20-24.
6 ASCLEPIUS, *In VII Metaph.*, cap. 2, p. 379, 3-10.
7 ASCLEPIUS, *In IV Metaph.*, cap. 6, p. 316, 19-20, 25.
8 ASCLEPIUS, *In IV Metaph.*, cap. 9, p. 321, 12-14.

ὁμώνυμα αφ᾽ ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν: horum enim commune est
non solum nomen sed et aliquo modo ipsa ratio signi-
ficata per nomen, ἐν τουτοις γὰρ λαμβάνεται τὸ κοινὸν
ἐκεῖνο ἐν τῇ ὑπογραφῇ ἀλλήλων. οἷον τί ἐστι τὸ φλεβότομον
ἢ τὸ σιτίον; φαμὲν ὄργανον ὑγιενὸν συμμέτρως ἔχον πρὸς
τόδε, ἢ ποιητικὸν αἴτιον ὑγιείας [1].

Insuper commemorat alium modum τῶν ὁμώνυμῶν
ἀπὸ διανοίας scilicet κατ᾽ ἀναλογίαν, verbi gratia possibile
et impossibile itemque necessarium multipliciter dicuntur,
πολλαχῶς λέγεται, sicut et causa a qua sequuntur et se-
cundum quam dicuntur, et ideo ὁμώνυμίαν causae susci-
piunt: tot enim modis dicitur possibile sicut causa cui
proportionatur, et similiter necessarium et impossibile [2].
Pariter conceptus et nomina conveniunt proportionaliter
in eo quod utraque eodem modo se habent ad veritatem
et falsitatem exprimendam, non obstante quod νοήματα
sunt ὁμοιώματα rerum dum ὀνόματα sunt mera σύμβολα:
ἀναλογίαν, inquit, παραδίδωσι τῶν φωνῶν πρὸς τὰ νοήματα·
ἔστι δὲ ἀναλογία ἡ τῶν λόγων ὁμοιότης, οἷον ὡς τόδε πρὸς
τόδε, ὡς ἁπλοῦν νόημα πρὸς τὴν ἁπλῆν φωνήν· ὥσπερ γὰρ
ἐν τῷ ἁπλῷ νοήματα οὐκ ἔστιν τὸ ἀληθες καὶ τὸ ψεῦδος,
οὕτως καὶ ἐν τῇ ἁπλῇ φωνῇ· καὶ ὥσπερ ἐν τῳ συνθέτῳ νοή-
ματι πάντως ἔστιν τὸ ἀληθὲς ἢ τὸ ψεῦδος, οὕτως καὶ ἐν τὸ
συνθέτῳ λόγῳ ἐστιν. ἐν τούτῳ καὶ αὕτη ἐστιν ἡ ἀναλογία [3].
Eodem iure, quia vox se habet ad nomen ut genus ad
speciem sive ut materia ad formam, sequitur τὴν φωνὴν
ὡς ὕλην ἔλαβεν ἀναλογοῦσαν τῷ γένει, siquidem τῷ μὲν γένει
ἀναλογεῖ ἡ ὕλη [4].

579. Sed ad antiquam traditionem Porphyrii, Olympiodori, Ammonii et Eliae rediit *Simplicius*, qui data

---

1 STEPHANUS, *In Librum Aristotelis de Interpretatione*, cap. 2-3, ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XVIII, P. III, p. 7, 15-24; p. 17, 10-20. Berolini 1885.
2 *Ibid.*, cap. 12-13, p. 61.
3 *Ibid.*, cap. 1, p. 6, 16-21. Cf. etiam p. 2, 2-10.
4 *Ibid.*, p. 7, 9-11.

opera notionem et divisionem τῶν ὁμωνύμων completam tradere conatus est [1].

Explicat ergo in primis descriptionem aequivocorum, quam dederat Aristoteles, scilicet ὁμώνυμα λέγεται ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος [2], animadvertens eam non esse definitionem presse dictam sed meram descriptionem, eo quod sola univoca sunt proprie loquendo definibilia: porro ὁμώνυμα non sunt univoca, sed sunt et ipsa ὁμώνυμα et ideo non possunt nisi ὁμωνυμως describi per verba ὁμώνυμα [3]; et ideo concludit: ἐπιστῆσαι δὲ ἄξιον, ὅτι τὴν ὅλην τῶν ὁμωνύμων ὑπογραφὴν δι' ὁμωνύμων ἐποιήσατο· καὶ γὰρ τὸ ὄνομα καὶ τὸ μόνον και τὸ κοινὸν τῶν πολλαχῶς λεγομένων εστ καὶ μᾶλλον καθ' ὁμωνυμίαν ὑπαρχόντων [4], similiter et *ratio* et *substantia* et *diversa* multipliciter dicuntur et inter aequivoca numerantur [5].

Quam quidem doctrinam applicans motui, qui non univoce sed aequivoce dicitur de motu secundum substantiam et de motu secundum quantitatem et de motu secundum locum, eo quod haec quatuor non conveniunt in eodem genere sed pertinent ad diversa genera sive praedicamenta [6] et consequenter ἡ κίνησις φωνὴ ἂν εἴη ὁμώνυμος καὶ οὐχὶ γένος [7], ἀλλ' εἰ ὁμώνυμος ἡ κίνησις, πῶς ['Αριστοτέλης] ὁρίζεται αὐτὴν; τῶν γὰρ ὁμωνύμων οὐκ εἰσὶν ὁρισμοί, ἢ ὁ ὅρος ὁμώνυμος γίνεται τῶν ὁμωνύμων. καὶ γὰρ

1 Simplicius edidit *Commentaria in Aristotelis Categorias* (ed. C. Kalbfleisch, Comment. in Aristotelem graeca, vol. VIII Berolini 1907), *In octo libros Physicorum* (ed. H. Diels, eadem collectione, vol. IX-X. Berolini 1882-1885), *In tres libros de Anima* (ed. M. Hayduck, ibid., vol. XI. Berolini 1882) et *In quatuor libros de Caelo* (ed. I. L. Heiberg, ibid., vol. VII, Berolini 1894).

2 Aristoteles, *Categoriae*, cap. 1, n. 1 (I, 1, 1-2).

3 Simplicius, *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, ed. cit., pp. 21-22, 24.

4 *Ibid.*, p. 28, 8-11.

5 *Ibid.*, pp. 28-30.

6 Ὁμώνυμός ἐστιν ἡ κίνησις. Καὶ οὐχ ἔστι κοινὸν γένος παρὰ τὰ καθ' ἕκαστον ἢ αὐτὸ τοῦτο γενικὴ κίνησις, εἴπερ ἐν αὐτοῖς μόνοις τοῖς πράγμασίν ἐστιν ἡ κίνησις τετραχῶς ὑφεστῶσα κατὰ οὐσίαν κατὰ ποιότητα κατὰ ποσότητα κατὰ τόπον. τούτων δὲ οὐδὲν ἔστι κοινὸν γένος, εἴπερ αὐτὰ ταῦτα πρῶτα γένη νεμόμισται. (*In III Physicorum*, cap. 1, ed. cit., vol. IX, p. 402, 20-24). p. 402, 20-24).

7 *Ibid.*, p. 403, 35.

τῆς ἀρχῆς ὁμωνύμου οὔσης ὁμώνυμος ὁ ὅρος ἀρχὴν λέγων εἶναι τὸ ἑκάστου πρῶτον. καὶ ἡ ἐντελέχεια τοίνυν τοῦ κινητοῦ ᾗ κινητὸν ὁμώυμος ἔσται. δι' ὁμωνύμων γὰρ τὸ ὁμώνυμον ἀποδοθείη ἄν. ἀναγκαίως οὖ καὶ τοῦτο προσέλαβε τὸ λῆμμα, ἵνα μή τις οἰηθείη τὸν ὁρισμὸν τῆς κινήσεως ἀκούων, ὅτι ὡς γένους αὐτῆς ὁ ὁρισμὸς ἀποδίδοται, ἀλλ' ᾗ δῆλον ὅτι ὡς ὁμωνύμου φωνῆς δι' ὁμωνυμων ἡ ἀπόδοσις γίνεται [1].

Et postea: ὅτι μὴ συνωνύμως, inquit, ἡ κίνησις κατηγορεῖται τῶν πολλῶν κινήσεως, ἀλλὰ τῶν πολλαχῶς λεγομένων ἐστίν, εἴρηται πρότερον· τοιαύτης δὲ οὔσης αὐτῆς δεῖ καὶ τὸν ὁρισμὸν αὐτῆς ὁμωνυμως εἰλῆφθα... [2].

Et inde est quod ὁμώνυμα non dividuntur sicut genus in species per differentias extrinsecas, sed sicut nomen commune in diversas eius significationes per modos intrinsecos; sicut *esse in aliquo*, τὸ ἔν τινι πολλαχῶς λέγεται καὶ ὁμώνυμός ἐστιν ἡ φωνή [3], et ideo τὸ ἔν τινι ὡς ὁμώνυμον διήρεται εἰς τὰ σημαινόνενα, οὐχ ὡς γένος εἰς εἴδη [4].

Hoc igitur in sensu dividuntur ὁμώνυμα quasi in duos supremos modos in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης et in ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας. Aaequivoca a casu, quae et pure ac totaliter aequivoca dicuntur ,πάντῃ ὁμωνύμως, sunt illa quae commune nomen sortiuntur mere per accidens, κατὰ συμβεβηκός, absque ulla convenientia dependentiae vel habitudinis rei et rationis significatae per nomen, sed πολὺ ἀπέχουσαι inter se, ut Alexander Macedo et Alexander Parides, vel nomen canis dictum de cane terrestri, de cane marino et de cane caelesti: ἄλλη γὰρ ἡ [ἔννοια] περὶ τοῦ χερσαίου κυνὸς παρὰ τὴν τοῦ θαλασσίου καὶ παρὰ τὴν ἀστρῴου καὶ ἔτι παρὰ τὴν τοῦ ὡς σπασμοῦ ἔννοιαν [5]. Aequi-

1 *Ibid.*, 404, 8-15.

2 *Ibid.*, p. 415, 27-29. Cf. etiam *In I de Anima*, cap. 5, ed. cit., vol. XI, p. 69, 1-10; p. 71, 13-15; *In II de Anima*, pp. 81-82.

3 *In IV Physicorum*, cap. 3, ed. cit., vol. IX, p. 553, 11-12.

4 *Ibid.*, p. 559, 30-31.

5 *In Categorias*, cap. 1, ed. cit., p. 24, 12-13; p. 26, 24-26; p. 31, 22-27; *In II de Anima*, cap. 1, ed. cit., vol. XI, p. 81, 15-16, 17-19; *In I Physicorum*, cap. 2, ed. cit., vol. IX, p. 94, 28; *In II Physicorum*, cap. 8, ibid., p. 373, 6-10; *In VII Physic.*, cap. 4, ed. cit., vol. X, p. 1086, 19; p. 1096, 29; epilogus, ibid., p. 1114, 24-25.

voca vero a consilio non solum conveniunt in nomine communi, verum etiam aliquo modo in ipsa re et ratione per nomen significata propter aliquam dependentiam ab una eademque causa vel propter similes habitudines quas habent ad diversa, et ideo cum fundamento in re commune nomen sortiuntur, καθάπερ τὸ ὄν ἀγαθόν, τὸ ὑγιεινον, ἡ κίνησις [1], τὸ ἕν [2]; οὕτως ὄν κοινὸν ὡς τὰ πολλαχῶς λεγόμενα [3].

Itaque πάντων τῶν ὁμωνύμων ἑτεροφυῶν ὄντων, εἴπερ ὄνομα μόνον κοινὸν ἔχουσι τὴν δὲ οὐσίαν διάφορον; verumtamen τῶν ὁμωνύμων πολλή τις ἐστι διαφορά· καὶ γὰρ αἱ μὲν πολὺ ἀπέχουσιν ὥσπερ αἱ ἀπὸ τύχης..., αἱ δὲ ἐγγύς εἰσιν, τὰ δὲ ἐγγυτέρω ἐστίν ut ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας [4].

Haec autem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας quadrifariam subdividuntur, scilicet in ὁμώνυμα καθ᾽ ὁμοιότητα ut pictura vel statua hominis dicitur homo ob similitudinem quam habet cum homine vivo; in ὁμώνυμα ἀφ᾽ ἑνὸς ἀρχῆς καὶ αἰτίας, sicut ex diversa habitudine ad causam principalem medendi quae est medicus peritus et expertus dicuntur medicativa liber, scalpellum et pharmacum: liber quidem, quoniam praecepta et regulas tradit bene medendi; scalpellum autem, quia instrumentum est secandi secundum artem medicinalem; pharmacum vero, quia utile est ad medicationem; in ὁμώνυμα πρὸς ἕν τέλος, sicut ex diverso respectu ad unum eundemque finem principalem qui est sanitas dicitur cibus sanus et medicina sana et ambulatio sana; et in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν, sicut unitas dicitur principium numeri, punctum principium lineae, fons principium fluminis et cor principium animalis, nam sicut se habet unitas ad numerum ita se habent cetera ad sua, nempe punctum ad lineam et fons ad flumem et cor ad animal [5].

---

1 *In I de Anima*, cap. 5, ed. cit., vol. XI, p. 71, 15.
2 *In II de Anima*, cap. 1, p. 82, 2-3.
3 *Ibid.*, p. 82, 2.
4 *In VII Physicorum*, cap. 4, vol. X, p. 1096, 26-29, 30-31; epilogus, p. 1114, 25.
5 *In Categorias*, cap. 1, ed. cit., p. 31, 27-33; p. 28, 1-12.

Cum enim huiusmodi ὁμώνυμα non habeant significationes et rationes omnino distantes et penitus disparatas ut ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης, sed aliquo modo convenientes et propinquas, eorum divisio sumenda est secundum diversum modum quo talis propinquitas et convenientia pluribus eodem nomine adunatis convenire potest citra omnimodam convenientiam univocorum. Porro haec propinquitas modum triplicem suscipere valet: alium similitudinis unius vel plurium ad unum exemplar; alium propinquitatis genere, qui duplicem formam induit, scilicet ab uno et ad unum quasi ab una causa efficienti et ad unam causam finalem; alium propinquitatis proportione, quatenus ita se habet unum ad aliud sicut aliud ad aliud. Quare enumerans ὁμώνυμα aliquam convenientiam et propinquitatem habentia, scribit: αἱ δὲ ἔχουσί τινα ὁμοιότητα ὡς αἱ εἰκόνες πρὸς τὰ πρωτότυπα, αἱ δὲ ἐγγύς εἰσιν ἢ γένει ἢ ἀναλογίᾳ, γένει μὲν τὰ ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν λεγόμενα· κοινὸν γαρ τι αὐτοῖς τὸ τε ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ πρὸς ὃ φαντασίαν ἀποτελοῦν γένους. ἀναλογίᾳ δὲ ὁμώνυμά ἐστι τὰ τὴν ἐν τῷ λόγῳ καὶ τῇ χρείᾳ ὁμοιότητα σῴζοντα ὡς ἡ ἀρχή· καὶ γὰρ ἡ πηγὴ καὶ ἡ καρδία καὶ μονὰς καὶ σημεῖον καὶ τὸ ἡγούμενον ἐν πόλει ἀρχὴ λέγεται τοσοῦτον ἀλλήλων τῇ φύσει διαφέροντα [1].

Quantum tamen ex usu Simplicii colligi potest, hanc divisionem quadripartitam pressiori modo ipse reducit ad bimembrem. Etenim τῶν ὁμωνύμων ἀπὸ διανοίας quaedam sunt ὁμώνυμα κατὰ μέθεξιν, alia vero κατὰ ἀναλογίαν.

Et quidem eorum quae per participationem, κατὰ μέθεξιν dicuntur, alia sunt ἀφ᾽ ἑνὸς, idest ἀπὸ τινος ποιτικοῦ αἰτίου, sicut a medico perito et experto qui est principalis causa medendi, κυρίως ποιητικόν αἴτιον participant vim medicativam et nomen medicinalis, liber qui docet artem medendi, et scalpellum quo utitur ad medendum, et pharmacum quod propinat medendi causa, quasi αἴτια ὀργανικὰ; alia πρὸς ἕν, hoc est, πρός τι τέλος, sicut a sanitate quae rationem habet finis et ap-

---

1 *In VII Physic.*, cap. 4, p. 1096, 29-32; p. 1097, 1-4.

petibilis per se, participant appetibilitatem et nomen sani omnia media ad eam obtinendam et conservandam et roborandam quoquo modo perducentia, verbi gratia medicina sana, cibus sanus, diaeta sana, deambulatio sana, nam ὧν πάντω ἡ ὑγίεια εἴν ἄν αἴτιον τελικόν, cetera vero λέγεται ὑγιεινα τάξιν ἔχοντα πρὸς ἄλληλα et maxime πρὸς ὑγίειαν ὡς τέλος; tertia ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν simul, idest ἀπὸ τινος παραδειγματικοῦ αἰτίου sive ἐπὶ τῆς εἰκόνος καὶ παραδείκματος et ὡς ἰκόνες πρὸς τὰ πρωτότυπα, quae uno verbo dicuntur καθ' ὁμοιότητα, ut pictura et statua hominis participant ab homine vero et vivo similitudinem et nomen hominis quasi exemplatae ab ipso et ad ipsum repraesentandum ordinatae: πᾶσα δὲ εἰκόν ωμοίωται, πρὸς τὸ παράδειγμα, τό δὲ ὁμοιωμένον ὁμοιώσεως μεθέξει ἀπό τοῦ παραδείγματος ὡμοιῶται πρὸς αὐτό, ἄλλο μέν ἐστι τὸ μετέχον, ἄλλο δὲ τὸ μετεχόμενον καὶ ἡ μέθεξις καθ' ἣν ὁμοιοῦται ἡ εἰκών. τὸ ἄρα μετέχον τοῦτό ἐστι τὸ ἐν ᾧ καὶ ἐξ οὗ γίνεται ἡ εἰκών [1].

Notat autem Simplicius huiusmodi ὁμώνυμα κατὰ μέθεξιν esse essentialiter media inter univoca et pure aequivoca, licet non eodem modo ac παρώνυμα quae etiam media consistunt inter ea. Denominativa enim participant quidem rationem et nomen ab aliquo principali a quo denominantur, sicut grammaticus a Grammatica et album ab albedine, et quidem secundum modum non omnino eundem neque omnino diversum, verumtamen deficiunt a perfecta unitate et identitate nominis quae necessario requiritur ad aequivocationem, quia denominata differunt casu sive terminatione a denominante [2]: ὁμώνυμα vero κατὰ μέθεξιν ita participant rationem et nomen ab aliquo principali secundum modum partim eundem et partim diversum ut simul omnimodam servent nominis identitatem [3].

---

[1] *In I Physic.*, cap. 9, vol. IX, p. 255, 5-9. Cf. etiam *ibid.*, p. 249, 19-26; *In II Physic.*, cap. 1, p. 279, 11-25; *Ibid.*, cap. 3, pp. 315-316; p. 317, 29-33; *In I de Anima*, cap. 3, vol. XI, p. 38, 3-10; *In II de Anima*, p. 98, 16-32; *In I Physic.* Prooemium, p. 7.

[2] *In Categorias*, cap. 1, p. 23, 1-25; p. 37, 3-12.

[3] *Ibid.*, p. 32, 13-15.

Quo fit ut pure aequivoca nomen habeant omnino idem, plura tamen aequo primo et principaliter significans absque ulla convenientia et sine ullo ordine prioris et posterioris inter ea, sed mere per accidens sub eodem nomine adunentur; pure autem univoca nomen etiam habent omnino idem pluraque significans, at secundum rationem omnino eandem et prorsus aequaliter participatam ab omnibus et singulis; pure vero denominativa nec nomen habent prorsus idem neque rationem significatam per nomen, sed nomen et rationem aliqualiter diversa, et quidem secundum participationem et ordinem prioris et posterioris; ὁμώνυμα tandem κατὰ μέθεξιν nomen habent prorsus idem sicut pure aequivoca et pure univoca, rationem vero significatam per nomen non omnino eandem neque aequaliter participatam ut pure univoca, sed inaequaliter participatam secundum prius et posterius ut denominativa, maiori licet inaequalitate quam pure denominativa.

Differentiam inter pure aequivoca et haec ὁμώνυμα κατὰ μέθεξιν expressit Simplicius hisce verbis: τῶν δὲ ὁμωνύμας λεγομένων τὰ μὲν ἐπ' ἴσης ὑπάρχει ὡς τὸ ἐρῶ κατὰ τοῦ φιλῶ καὶ κατὰ τοῦ λέξω (οὐδὲν γὰρ κυριώτερον ἐν τω ἑτέρῳ μᾶλλον ἤ ἐν τῳ ἑτέρω), τὰ δὲ οὐκ ἐπ' ἴσης ὡς τὰ μὲν κυριώτερου τὰ δὲ ἀκυρότερον λέγεσθαι [1].

Differentiam vero inter ὁμώνυμα κατὰ μέθεξιν et pure univoca explicat dicens univoca esse eiusdem praedicamenti, ὁμώνυμα diversorum [2]; illa unam eandemque habere definitionem, haec plures et diversas [3]; illa esse tota et aequaliter participata a suis inferioribus, haec non esse tota in suis inferioribus neque ab eis aequaliter participata [4]; illa ex toto et eodem modo praedicari de

---

[1] *In IV Physic.*, cap. 3, vol. IX, p. 553, 12-15.

[2] *In Categorias*, cap. 1, pp. 20-21; pp. 23-24; p. 28; *In III Physic.*, cap. 1, pp. 402-404.

[3] *In III Physic.*, cap. 1, pp. 415-416; *In II de Anima*, cap. 3, vol. XI, p. 107, 9-10; p. 108, 1-2.

[4] *In Categorias*, cap. 1, p. 32, 14-19; *In III Physic.*, cap. 1, pp. 403-406; cap. 7, pp. 509-510; *In IV Physic.*, cap. 3, pp. 551-553.

suis inferioribus, haec ex parte tantum praedicari et diverso modo sive secundum prius et posterius de inferioribus suis.

Ut enim ipse frequenter inculcat: εἴπερ τὰ γένη συμπληρωτικὰ τῶν εἰδων ἐστι καὶ εἴπερ ἐπ' ἴσης αὐτοῖς ὑπάρχει [1]; καὶ τὸ μὲν γένος πᾶν συνωνύμως πάντων τῶν εἰδῶν κατεγορεῖται... εἴπερ γένος μὲν ἐστι κοινότης τοῖς ἤδη διακεκριμένοις ἐπ' ἴσης ὑπάρχουσα [2]. E contra, ἐν πᾶσι μὲν τοῖς ἀφ' ἑνὸς τὸ πρῶτόν ἐστι καὶ δεύτερον καὶ τρίτον. καὶ τὸ ἐν τῷ πρώτῳ καὶ ἐν τοῖς ἐφεξῆς ὑπαρχει, εἰ καὶ ἐξαλλαττόμενον καὶ ἑτέρως ἀεὶ καὶ ἑτέρως. τὸ δὲ πρώτως μετασχὸν τοῦ κοινοῦ οὐκ ἔστι πάντως καὶ αὐτὸ ἐν τοῖς ἐφεξῆς· ἡ γοῦν οὐσία πρώτως οὖσα ὂν οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς συμβεβηκόσιν [3]. Ideo ἐν οἷς δὲ τὸ πρῶτον καὶ δεύτερον οὐκ ἔστι κυινὸν ἀπαράλλακτον, ἀλλὰ καθ' ἕκαστον διαφορούμενον [4].

Qua de causa, cum *ens*, verbi gratia, non sit genus ad decem praedicamenta, μὴ πᾶσι τοῖς ουσῖν ὁμοίως ἐφαρμόττει sicut genus convenit speciebus, neque decem praedicamenta participant aequaliter rationem communem entis sicut species ἐπ' ἴσης μετέχοντα τοῦ γένους [5]; et similiter *unum* [6], et *bonum* [7], et *motus* qui ad quatuor praedicamenta datur ideoque μὴ ἐπ' ἴσης μηδὲ κατὰ τὴν αὐτὴν ἰδιότητα πᾶσιν ὑπαρχῃ τοῖς ἑξῆς [8], et *finitum atque infinitum* quae diversa praedicamenta consequuntur ac proin οὐ γὰρ ἐπ' ἴσης αὐτῶν κατηγορεῖται, ὅπερ προσήκει τοῖς γένεσιν, ἀλλὰ τοῦ μὲν προτέρου, τοῦ ὑστέρον, scilicet

[1] *In III Physic.*, cap. 1, p. 403, 7-8.
[2] *In IV Physic.*, p. 551, 32-33; p. 552, 4-5.
[3] *In II de Anima*, cap. 3, vol. XI, p. 108, 8-12.
[4] *Ibid.*, p. 107, 7-8.
[5] *In I Physic.*, cap. 7, vol. IX, p. 216; cap. 3, pp. 122-123; *In III Physic.*, cap. 1, p. 405, 7-8, 10-11; *In I de Anima*, cap. 5, vol. XI, pp. 68-69.
[6] *In I Physic.*, cap. 2, pp. 94-95; *In VII Physic.*, cap. 4, vol. X, pp. 1088-1191.
[7] *In I Physic.*, cap. 9, pp. 249-250; *In I de Anima*, cap. 3, vol. XI, p. 38, 3-10; cap. 5, p. 71, 14-15; *In II de Anima*, cap. 1, pp. 81-82.
[8] *In III Physic.*, cap. 1, p. 405, 14-15; pp. 402-403.

οὐκ ἐπ' ἴσης οὐδὲ ὡς γένος κατηγορεῖται, ἀλλ' ἀεὶ τοῦ δευτέρου διὰ τὸ πρότερον, καὶ διὰ τοῦτο πρότερον καὶ ὕστερον. ἡ δε ὡς προτέρου καὶ ὑστέρου κατηγορία ἔστι μὲν καὶ ἐν τοῖ ὁμωνύμοις (οὕτως γὰρ ὁμώνυμος ὁ ἔγγονος εἰ τύχοι τῷ πάππῳ), ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀφ' ἑνός [1], et *causa* prout complectitur quatuor causarum genera diversosque modos singulorum generum: εἰκότως τῶν πολλαχῶς λεγομένων ἐστὶ τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐχὶ τῶν ὡς ἀφ' ἑνὸς γένους διῃρημένων [2].

Eorum vero quae ὁμώνυμα dicuntur κατὰ ἀναλογίαν duplex est modus: alius secundum analogiam propriam, alius secundum analogiam metaphoricam.

Secundum analogiam quidem *propriam* quando quatuor termini comparati et duae eorum rationes proportionales sumuntur omnes in sensu proprio hinc et inde. Exempli gratia, cum motus sint reductive in categoria termini ad quem sunt, ita se habent motus inter se sicut se habent eorum termini inter se, et ideo sic se habet alteratio ad generationem sicut se habet qualitas ad substantiam, pariterque ita se habet alteratio ad augmentum sicut se habet qualitas ad quantitatem: quod si sumamus terminos negativum et positivum eiusdem generis motus, ita se habet negativus ad positivum sicut privatio ad formam, puta sic se habet corruptio ad generationem sicut privatio ad formam, et ita se habet diminutio ad augmentum sicut corruptio ad generationem atque ideo ut privatio ad formam in genere quantitatis: πανταχοῦ δὲ ἡ μὲν ἐπὶ τὸ κρεῖττον τῶν ἀντικειμένων ὁδὸς τὸ εἴδους ἔχον λόγον εἴδει καὶ αὐτὸ ἀναλογήσει, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ χεῖρον καὶ στερητικόν τερήσει [3].

Eodem modo, unitas se habet ad numerum sicut punctum ad lineam, quatenus sicut unitas est principium

[1] *In III Physic.*, cap. 7, p. 509, 27-28, 35; p. 510, 1-4 Cf. etiam *ibid.*, cap. 4, pp. 469-471.
[2] *In II Physic.*, cap. 3, p. 316, 28-29. Cf. etiam *ibid.*, cap. 1, p. 279.
[3] *In III Physic.*, cap. 1, p. 407, 18-20.

et terminus numeri ita punctum est principium et terminus lineae: καθό καὶ ἀνάλογον τοῖς σημείοις ἐστί [1].

Item ὁ χαλκὸς δὲ καὶ τὸ ξύλον ἀναλογίαν ἔχουσι πρὸς τὴν πρώτην ὕλην· ὡς γὰρ ταῦτα πρὸς ἀνδριάντα καὶ κλίηνη οὕτως ἐκείνη πρὸς πάντα τὰ εἰδοπεποιημένα. τοῦτο οὖν τὸ πρῶτον καθ' αὑτὸ ὑπάρχον ἐν ἑκάστῳ ἀρρύθμιστον τὴν πρώτην καὶ κοικὴν φύσιν εἶναί φασιν ὥσπερ τὸ προσεχὲς τὴν προσεχῆ, οἷον ἀνδριάντος μὲν χαλκός, κλίνης δὲ ξύλον [2]. Et propter hoc materia prima non est cognoscibilis nisi per analogiam, ἡ μὲν ὕλη κατὰ ἀναλογίαν ἐστί γνωστή [3]. ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκὸς ἢ πρὸς κλίνην ξύλον ἢ πρὸς ἄλλο τι τῶν ἐχόντων μορφὴν τεχνητῶν τὸ ἄμορφον ἔχει πρὶν λαβεῖν τὴν μορφην, οὕτως ἡ ἐν τοῖς φυσικοῖς πρώτη ὕλη πρὸς οὐσίαν ἔχει καὶ τὸ ὄν [4].

Pariter natura et ars proportionaliter conveniunt: sicut enim ars operatur propter finem transmutando materiam secundam ad formam accidentalem artis, puta lignum ad formam lecti vel statuae quae est finis artis, ita natura operatur propter finem transmutando materiam primam ad formam substantialem quae est finis generationis naturalis [5].

Secundum analogiam vero *metaphoricam*, quando duo termini comparationis eiusque ratio sumuntur in sensu proprio, alii autem duo eiusque ratio in sensu improprio et translato, ut cum dicimus: sicut se habent pes et caput ad animal ita se habent basis et cacumen ad montem, τὰ δὲ οὐκ ἐπ' ἴσης ὡς τὰ μὲν κυριώτερον τὰ δὲ ἀκυρότε-

[1] *In III Physic.*, cap. 8, p. 516, 35-36.
[2] *In II Physic.*, cap. 1, p. 273, 30-34.
[3] *In II Physic.*, cap. 2, p. 299, 25-26.
[4] *In I Physic.*, cap. 7, p. 226, 6-9. Cf. *ibid.*, pp. 226-227, 229, 233; *In IV Physic.*, cap. 2, p. 542, 17-29.
[5] *In II Physic.*, cap. 2, pp. 282-289, ubi hanc analogiam pulcherrime evolvit. Alia exempla videri possunt *In I Physic.*, cap. 5, pp. 188-189; *In II de Anima*, cap. 1, pp. 88-89; cap. 2, pp. 104-105; cap. 10, pp. 154-155; cap. 11, pp. 158-159, 164; *In III de Anima*, cap. 4, pp. 222-224; cap. 5, pp. 241-242; cap. 7, pp. 265-266, 275-276.

κορυφὴ κυριώτερον μεν ἐπὶ τῶν
ρον λέγεσθαι, ὡς ποὺς καὶ
ζῴων, ἀκυρότερον δὲ καὶ μεταφορικώτερον ἐπὶ τοῦ ὄρους [1].

Similiter Plato materiam appellavit metaphorice locum formarum, et Aristoteles intellectum possibilem vocavit locum specierum intelligibilium, quia sicut locus recipit locatum ita materia recipit formas et intellectus possibilis species intelligibiles; locus tamen nonnisi κατὰ μεταφορὰν dicitur de materia, et a fortiori de intellectu possibili: τόπος δὲ ὡς δεκτικὴ ἐπικτήτως καὶ ἔξωθὲν πως, ἵνα σώζηται ἡ πρὸς τὸν σωματικὸν τόπον ἀναλογία [2].

Eodem pacto dicimus ita se habere sonum acutum et gravem ad auditum sicut se habent corpus acutum et obtusum ad tactum; acutum enim et obtusum proprie dicuntur de quantitate molis et nonnisi per metaphoram extenduntur ad sonos: pariterque cum vocem appellamus claram vel obscuram secundum analogiam metaphoricam ad colorem clarum vel obscurum cui proprie convenit ratio claritatis vel obscuritatis [3].

580. Hanc Simplicii aliorumque praecedentium doctrinam reassumpsit *Sophonias* in secunda medietate saeculi XIII, cuius videtur esse Paraphrasis quaedam anonyma in Aristotelis Categorias [4]. Ergo τῶν ὁμωνύμων alia sunt ἀπὸ τύχης, ut Alexander Parides et Alexander Macedo; alia vero sunt ἀπὸ διανοίας quorum septem sunt modi differentes.

Primus est τῶν ὁμωνύμων καθ' ὁμοιὸτητα, ut homo verus et imago eius, ως ἄνθρωπος αί ἡ εἰκων αὑτοῦ.

Secundus, τῶν ὁμωνυμων κατ' ἀναλογίαν, sicut unitas

[1] *In IV Physic.*, cap. 3, p. 553, 14-16; *In Categorias*, prooemium, p. 10, 26-27; cap. 1, pp. 32-33; cap. 3, p. 57, 14-22; cap. 5, 5-14.
[2] *In IV Physic.*, cap. 2, pp. 540-541; *In III de Anima*, cap. 4, pp. 228-229.
[3] *In II de Anima*, cap. 8, pp. 146-147. Alia exempla *In II de Anima*, cap. 6, pp. 126-127; *In III de Anima*, cap. 8, pp. 282-283; *In IV Physic.*, corollarium de loco, pp. 613-614, 617.
[4] Cf. Anonymi, *In Aristotelis Categorias Paraphrasis*, ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XXIII, P. II, praefatio, p. III. Berolini 1883.

est principium numeri, punctum est principium lineae, fons principium fluminis, cor principium animalis, carina principium navis: ὡς ἀρχὴ μὲν ἀριθμῶν ἡ μονάς, γραμμῆς δὲ στιγμή, ποταμοῦ δὲ πηγὴ καὶ ζῴου καρδία καὶ τρόπις ἐν νηί· ὡς γὰρ πρὸς ἀριθμόν ἡ μόνας, οὕτω καὶ τἄλλα ἔχει, ὅπερ ἐστιν ἀναλογίας ἴδιον.

Tertius est τῶν ὁμωνυμων ἀφ' ἑνὸς, quando scilicet ab aliquo uno principio vel causa sumitur communis praedicatio suo quoquo modo pluribus rebus ab eo dependentibus attributa, ὡς ὅταν ἀπὸ τινος κοινὴ ἐν πολλοῖς καὶ διαφόροις πράγμασι κατηγορία γίνηται, sicut a medicina dicitur liber medicinius quia tradit artem medicandi, scalpellum medicum quia est instrumentum medendi, et pharmacum medicabile, quia porrigitur ad medendum.

Quartus est τῶν ὁμωνύμων πρὸς ἕν, quando nimirum plura communem accipiunt denominationem ob diversum respectum ad unum finem ad quem ordinantur, ὅταν διάφορα πρὸς ἕν ἀναφέρηται τέλος, ἐκείνου καὶ τῆς προσηγορίας τυγχάνοντα, sicut cibus dicitur sanus et medicina sana, exercitium corporale sanum, secundum diversam habitudinem ad unam eandemque animalis sanitatem ad quam ordinantur.

Quintus, τῶν ὁμωνυμων κατ' ἐλπίδα, ut si quis filium suum nominet Platonem vel Aristotelem spe fretus eum tantos philosophos imitaturum.

Sextus est κατὰ μνήμην, velut si quis nato suo imponat nomen benefactoris, gratitudinis et memoriae causa.

Septimus est τῶν ὁμωνύμων κατὰ μεταφορὰν, quando nempe nomen proprie dictum de una re transfertur et extenditur ad aliam, ob aliquam similitudinem quam ad ipsam gerit, ut cum partem inferiorem montis vel mensae vel arboris dicimus pedem, ratione similitudinis cum inferiori parte animalis quae proprie dicitur pes [1].

---

[1] *Op. cit.*, cap. 1, p. 1, 24-26; p. 2, 1-27. Alia exempla τῶν ὁμωνύμων ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς, ἓν, κατ'ἀναλογίαν et κατὰ μεταφορὰν videri possunt in eius *Paraphrasi super libros Aristotelis de Anima*, ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XXIII, P. I, p. 43, 2-22; p. 53, 27-33; pp. 87-88. Berolini 1883.

Notat autem hos omnes aequivocorum modos esse inter res vel rationes diversi generis: εἰ δὲ μὴ τὸ κοινόν γένος [1], τῶν δὲ τοιούτων τὸ κοινῶς κατηγορούμενον οὐκ ἔστι γένος [2]. Ac specialiter de aequivocis ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν animadvertit ea saepe in unum re incidere, esseque media inter pure aequivoca et pure univoca, μέσον μᾶλλον ὁμωνύμων καὶ συνωνύμων τίθεσθαι [3].

581. At haec potius enumerationem continent modorum τῶν ὁμωνύμων quam divisionem proprie dictam, cum nullam exhibeant coordinationem. *Philoponus* e contra, qui prius enumerationem similem proposuerat [4], postea completam et ordinatam divisionem tradere contendit, dicens: δύνατοι δὲ τὸ ὁμώνυμον διαιρεῖσθαι οὐ μόνον κατὰ τὴν ἔμπροσθεν ἀποδεδομένην διαίρεσιν, ἀλλὰ καὶ ποικιλώτερον κατὰ τὸν ὑποκείμενον τρόπον [5].

Pro cuius intelligentia duo sunt consideranda. Primo quidem differentia inter ὁμώνυμα, ὁμωνυμίαν et ὁμωνύμως; ὁμώνυμα enim sunt ipsae res, ὁμωνυμία est relatio secundum quam ὁμώνυμα communicant in eodem nomine, ὁμωνύμως vero significat ipsam praedicationem nominis communis de rebus aequivocatis: ὁμώνυμα μὲν οὖν ἐστιν αὐτὰ τὰ πράγματα, ὁμωνυμία δὲ ἡ σχέσις αὐτή, καθ' ἣν τῷ ὀνόματι κεκοινωνήκασιν, ὁμωνύμως δὲ αὐτὴ ἡ κατηγορία, ἣ κατὰ τῶν πραγμάτων ἐστίν [6]. Secundo, aequivocatio sive multiplicitas significationis ipsius nominis aequivoci, quo fit ut talis multiplicitas explicari nequeat nisi per nomina et ipsa aequivoca, ut Aristoteles fecit: τὴν τῶν ὁμωνυμων διδασκαλίαν δι' ὁμωνύμων φωνῶν ἐποιήσατο· καὶ γὰρ

---

[1] *In libros Aristotelis de Anima Paraphrasis*, lib. I, cap. 1, p. 5, 20-21.

[2] *In libros Aristotelis de Anima Paraphrasis*, lib. II, cap. 3, p. 53, 28-29.

[3] *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, p. 2, 12.

[4] Philoponus, *In Aristotelis Categorias commentarium*, cap. 1, ed. A. Busse, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XIII, P. I, p. 16, 20-30; p. 17, 1-19. Berolini 1898.

[5] *Ibid.*, p. 21, 14-15.

[6] *Op. et loc. cit.*, p. 16, 11-14.

αὐτὸ τὸ ὁμώνυμον ὁμώνυμον ἐστι· πολλαχῶς γὰρ λέγεται[1]. Nam et singula verba, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, quibus propria eorum indoles describitur, huius generis sunt, ut apparet diligenter consideranti. Ita λόγος melius dicitur quam ὁρισμὸς, eo quod aequivoca non sunt proprie loquendo definibilia definitione presse dicta, licet communem quandam descriptionem suscipere valeant; λόγος igitur, qui ὁμώνυμον est ad ὁρισμόν et ad ὑπογραφὴν, convenienter adhibetur: λόγος γὰρ λέγεται καὶ ὁ ὁρισμὸς καὶ ἡ ὑπογραφὴ τῆς οὐσίας[2]. Similiter non dixit tantum Aristoteles ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος ἕτερος, sed λόγος τῆς οὐσίας, quia in mera voce seu puro nomine possunt aequivoca univocari, cum grammaticaliter sit eorum nomen omnino commune, ut nomen muris est omnino idem grammaticaliter sive dicatur de mure terrestri sive de mure marino[3]: porro οὐσία non sumitur pro solo primo praedicamento, quod univocum est, sed prout communiter nominat essentiam, quae non tam substantiae quam accidenti convenit[4]. Tandem λόγος ἕτερος non solum importat diversitatem rationis significatae per nomen ut contradistinctam unitati et identitati rationis significatae per nomen univocum, sed positive nominat quamcumque rationis diversitatem, sive totalem et absolutam ut in pure aequivocis, sive partialem et mere relativam ut in aequivocis a consilio vel analogis, quo in casu unum aequivocum non suscipit nomen sine alius vel aliorum correlatione sive connotatione: οὐ γὰρ δυνατὸν ἑκάστον ἰδία καὶ ἀσχέτως οὔτε τὸ ὄνομα οὔτε τὸν ὁρισμὸν κατηγορῆσαι..., ἀλλὰ ἄλλω λέγεται ὁμώνυμος [ὁ Αἴας], καὶ τοὐλάχιστον δύο πράγματων κατηγορηθήσεται ἡ τοῦ ὁμωνύμων προσηγορία, ἐπειδὴ καὶ τῶν ἐν σχέσει ἐστίν[5].

1 *Ibid.*, p. 16, 20-21. Cf. etiam *In II de Anima*, cap. 1, ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XV, p. 206, 7-10. Berolini 1897.
2 *Ibid.*, p. 20, 3.
3 *Ibid.*, p. 14, 33.
4 *Ibid.*, p. 20, 4, 21.
5 *Ibid.*, p. 21, 7-12.

τί δὴ ποτε ὅλως προσέθηκε
Iure igitur sciscitanti sibi, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος ἕτερος,
τῆς οὐσίας, καὶ μὴ εἶπεν τις ἀποδιδοὺς τῆς φωνῆς
respondet: λέγομεν οὖν ἵνα μὴ εἶναι συνώνυμα[1]. Et ideo
τῶν ὁρισμὸν λέγῃ τὰ ὁμώνυμα ταῦτα συνώνυμα
nervose inculcat ὁμώνυμα οὔτε δυνατον
λέγειν[2]; et vicissim οὐ συνώνυμα ἄρα τὰ ὁμώνυμα[3].

Quae cum ita sint, ὁμώνυμα non sunt dividenda in modos suos univoce et quasi in species univocas quemadmodum dividuntur συνώνυμα, sed aequivoce et quasi in partes vel significationes diversas ex todo vel ex parte prout convenit ipsi naturae τῶν ὁμωνύμων.

Hoc ergo in sensu ὁμώνυμα dividuntur in ὁμώνυμα ἀπὸ
τύχης vel κατὰ τύχην ὡς ὅταν ἐν διαφόροις τόποις τύχωσί
τινες τὸ αὐτὸ ἔχοντες ὄνομα, ὡς Ἀλέξανδρος ὁ Πάρις καὶ
Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδών[4]; et in ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας sive
κατὰ προαίρεσιν καὶ διανοίαν, ὡς ὅταν πρὸς τινα ακοπὸν
ἀφορῶσα ἡ διάνοια ἐπιτίθησι τα ὀνόματα, verbi gratia cum
saporem appellamus acutum et acutum dolorem et vocem acutam et acutum gladium, et similiter cum vocem dicimus gravem et graves mores et pondus grave[5]: non enim casu, sed consilio et fundamento in re dicitur acutum et grave, licet diversimode, de omnibus istis.

Haec autem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας subdividuntur in ὁμώνυμα quae ita denominantur ab uno ut tamen sint ad invicem ὁμώνυμα, ut medicativum dicitur ὁμωνυμως de diversis instrumentis medicandi, puta de medicina et de scalpello, cum tamen omnia dicantur denominative medicativa ab una arte medendi quam habet medicus peritus et expertus; et in ὁμώνυμα inter se absque denominatione ab aliquo uno, ut si quis nomen patris sui imponat filiis aut nepotibus eius: καὶ τῶν ἀπὸ διανοίας ἢ τῷ
μὲν ἀφ' οὗ παρώνυμα ἀλλήλοις δὲ ὁμώνυμα, ὡς ἀπὸ ἰατρικῆς
τὰ ἰατρικὰ ὄργανα (παρωνύμως γὰρ ἀπ' αὐτῆς ὀνομάζεται,

1 *Ibid.*, p. 20, 14-17.
2 *Ibid.*, p. 20, 34.
3 *Ibid.*, p. 21, 12-13.
4 *Loc. cit.*, p. 16, 22-24; p. 21, 16-17.
5 *Ibid.*, p. 21, 17-19; p. 20, 4-9.

ἀλλήλοις δὲ ὁμωνύμως), ἢ καὶ τῷ ἀφ' οὗ καὶ ἀλλήλοις, ὡς ὅταν τις τῷ τοῦ πατρὸς ὀνόματι τοὺς παῖδας ἢ τοὺς ἐκγόνους καλέσῃ [1].

Rursus τῷ ἀφ' οὗ παρώνυμα ἀλλήλοις δὲ ὁμώνυμα subdistinguuntur in ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς, idest ἀπὸ τινος ἀρχῆς; et in ὁμώνυμα πρὸς ἕν, hoc est, πρὸς τι τέλος sive ἀπὸ τοῦ τιλικοῦ, ut cibus dicitur sanus et diaeta sana et gymnasia sana per relationem ad unum finem qui est sanitas animalis.

Et quidem ea quae ὁμωνύμως ἀφ' ἑνὸς dicuntur duplicem formam induere valent: aliam, ab una causa efficienti, ἀπὸ ποιητικοῦ τινος αἰτίου, ὡς ἀπὸ ἰατρικῆς ἰατρικὰ ὄργανα (ἀπ' ἐκείνης γὰρ παρωνύμως λέγοντα; aliam ab una causa exemplari, ἀπὸ παραδειγματικοῦ αἰτίου, ὡς ὁ ἐν τῇ εἰκόνοι ἄνθρωπος ἀπὸ τινος ἀληθινοῦ ἀνθρώπου [2].

Quae vero τῷ ἀφ' οὗ καὶ ἀλλήλοις ὁμώνυμα dicuntur, subdistinguuntur in aequaeva, idest ἰσόχρονα καὶ τῷ ἀφ' οὗ; et non aequaeva, ἰσόχρονα τῷ δὲ ἀφ' οὗ οὐκέτι.

Non aequaeva sive ἀνισόχρονα sunt illa ὁμώνυμα quae necessario connotant inaequalitatem temporis, quatenus alia sunt temporis praesentis, alia vero temporis praeteriti vel futuri; et ideo subdividuntur in ὁμώνυμα κατ' ἐλπίδα, quando scilicet alia sunt temporis praesentis et alia temporis futuri, ὡς ὅταν τινὲς Πλάτωνας τοὺς υἱοοὺς καλέσωσιν ἐλπίζοντες αὐτοὺς γενέσθαι κατὰ Πλάτωνα; et in ὁμώνυμα κατὰ μνήμην, quando nempe alia sunt temporis praesentis et alia temporis praeteriti, ὡς ὅταν τινὲς καλέσωσι τὸν παῖδα τῷ τοῦ πάππου ὀνόματι, ἵνα φυλάττηται ἡ ἐκείνου μνήμη. Qui duo modi frequenter in idem incidunt, ut si quis proprio filio imponat nomen avi sui doctissimi et ob memoriam tanti viri et ob spem natum suum esse eum imitaturum: καὶ πολλάκις συντέχει τῷ κατὰ μνήμην τὸ κατ' ἐλπίδα, ὡς ὅσαν τιοῦτον ἐπιτήδευμα μεταχειρισάμενος ὁ πάππος εὑρεθῇ [3].

---

1 *Ibid.*, p. 21, 19-23; p. 17, 4.
2 *Ibid.*, p. 21, 23-27; p. 17, 7-9.
3 *Ibid.*, p. 22, 7-11; p. 16, 24-29.

Aaequaeva tandem sive ἰσόχρονα sunt ὁμώνυμα illa quae, ex se nullam involvunt neque connotant temporis inaequalitatem, quamvis natura sint alia aliis priora. Et haec subdividuntur in ὁμώνυμα καθ' ὁμοιότητα et in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν.

Ea dicuntur ὁμώνυμα secundum similitudinem, καθ' ὁμοιότητα, quorum unum vel plura nomen idem suscipiunt eius quod aliquo modo imitantur, sive in forma et figura exteriori sive in operatione: et ideo subdividuntur in ὁμώνυμα ατὰ μορφήν sive κατ' εἰκόνά, ut cum picturam vel statuam Socratis appellamus Socratem; et in ὁμώνυμα κατ' ἐνέργειαν, ut cum hominem imitantem sapientiam Platonis Platonem nominamus [1].

Ea vero appellantur ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν quorum unum se habet ad aliud sicut aliud ad aliud, ad similitudinem proportionis geometricae in qua ὡς ἔχει ὁ πρῶτος πρὸς τὸν δεύτερον, καὶ οὗτος πρὸς τὸν τρίτον [2]. Haec enim proportio sive analogia postulat ad minus quatuor terminos re vel ratione distinctos, quorum duo eandem vel similem rationem habent sicut alii duo, puta sicut se habent duo ad octo ita se habent decem ad quadraginta, scilicet in quadrupla proportione: τὸ ἀνάλογον ἐν τέτρασι τὸ ἐλάργιστον θεωρεῖται, λέγομεν γὰρ, εἰ τύχει, ὅτι τὰ ὀκτὼ ἀναλογίαν ἔχει ὡς τὰ θέκα πρὸς τὰ τεσσαράκοντα· τετραπλασίονα γὰρ λόγον ἔχει ἑκάτερα [3]. Quo in sensu dicimus, exempli gratia: ὡς ἔχει ἡ πρώτη οὐσια πρὸς τὸ εἶδος, οὕτω τὸ εἶδος πρὸς τὸ γένος [4].

Et haec subdividuntur in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν μεταφορικὴν vel συμβολικὴν, ut cum dicimus pedem lecti ob translatam similitudinem pedis animalis de quo proprie dicitur pes, ὃν γὰρ λόγον ἔχουσιν οἱ πόδες πρὸς τὸ ὅλον ζῷον,

---

1 *Ibid.*, p. 22, 4-7.
2 *In Aristotelis de Anima libros commentaria*, lib. I, cap. 3, ed. M. Hayduck, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XV, p. 118, 24-25. Berolini 1897.
3 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, p. 17, 15-17.
4 *In Aristotelis Categorias*, cap. 5, p. 59, 11-12. Cf. etiam *ibid.*, p. 60, 6-19; p. 61, 20-30; p. 62-63.

οὕτω καὶ τὰ κάτω μέρη τῆς κλίνης [1], aut vocem tubae κατὰ
μεταφορὰν καὶ ὁμοιότητα ad vocem animalis de quo pro-
prie dicitur vox [2]; et in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν κυριο-
λογικὴν, ut si dicamus: sicut se habet tota anima ad
totum corpus, ita se habet pars animae ad partem corpo-
ris, ὅν λόγον ἔχει ἑκάστη αἴσθησις πρὸς τὸ ὑποκείμενον
αὐτῇ αἰσθητήριον, οὕτω καὶ ὅλη ψυχὴ πρὸς τὸ ὅλον αἰσθητι-
κὸν σῶμα [3], vel etiam: sicut se habet sensus ad sensibile
proprium ita se habet intellectus ad intelligibile pro-
prium, et ideo sicut sensus non fallitur circa sensibile
proprium ita nec intellectus circa proprium intelligibile;
pariter sicut visus non solum est albi et nigri sed etiam
iucundi et molesti, ita intellectus non solum est veri et
falsi sed etiam boni et mali: speculativus quidem veri
et falsi, practicus vero boni et mali. Sicut namque se
habent album et nigrum ad visum, ita se habent verum et
falsum ad intellectum speculativum, et sicut se habent
bonum et malum ad intellectum practicum ita se habent
iucundum et molestum ad sensum visus: ἀναλογεῖν τὸ μὲν
ἐν ὄψει ἡδυ τῷ ἀγαθῷ, τὸ δὲ ἐν ὄψει λυπηρὸντῷ κακῷ [4].
Item, sicut se habet centrum ad lineas ex eo procendentes
ita se habet sensus communis ad sensus proprios et
particulares ex eo procedentes, et sicut se habet linea ad
lineam sub eodem centro ita se habet unus sensus ad
alium sub eodem sensu communi: ὅτι ὥσπερ ὁ ὅρος, του-
τέστι τὸ κέντρον, οὕτως ἔχει καὶ ἡ κοινὴ αἴσθησις καὶ τῇ ἀναλο-
γία καὶ τῷ ἀριθρῷ. τῇ μὲν ἀναλογίᾳ, ὅτι ὥσπερ τὸ κέντρον ἔχει
πρὸς ἑκατέραν τῶν ἀπὸ τοῦ κέντρου γραμμῶν, οὕτως ἔχει
καὶ ἡ κοινὴ αἴσθησις πρὸς ἑκατέραν τῶν αὐτῆς αἰσθήσεων·
καὶ ὥσπερ αἱ εὐθεῖα πρὸς ἀλλήλας, οὕτω καὶ κατὰ μέρος αἰσ-
θήσεις πρὸς ἀλλήλας, φησίν, ἀναλογίαν τινὰ ἔχουσιν. οὕτω
μὲν τῇ ἀναλογίᾳ· τῷ δὲ ἀριθμῷ πῶς; ὅτι ὥσπερ ἕν ὑπάρχον

---

1 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, p. 22, 2-4. Cf. *ibid.*, p. 17, 1-2; cap. 3, p. 42, 4-7; *In I de Anima*, cap. 3, ed. cit., p. 125, 23-29.

2 *In II de Anima*, cap. 8, p. 375, 23-25. Cf. alia exempla *ibid.*, p. 375, 14-26; cap. 9, pp. 388-390; cap. 1, p. 203, 23-25.

3 *In II de Anima*, cap. 1, p. 221, 35-37.

4 *In III de Anima*, cap. 6, p. 554, 2-32; p. 557, 11-15.

τὸ κέντρον πρὸς πολλὰς ἔχει γραμμὰς σχέσιν, οὕτω καὶ ἡ
κοινὴ αἴσθησις μία οὖσα πρὸς πολλὰς αἰσθησεις ἔχει σχεσιν [1].

Licet ergo Philoponus explicite non nominet nisi
analogiam proportionalitatis metaphoricae inter divisio-
nes τῶν ὁμωνύμων, reapse tamen agnoscit etiam analogiam
proportionalitatis propriae, eaque frequentissime utitur.
Ceterum Philoponus paulo latius μεταφορὰν sumit pro
omni extensione significationis termini a primaeva ad
derivatas acceptiones, licet tropica non sit, prout ipse
Aristoteles aliique eius graeci commentatores facere con-
sueverunt; et ideo sub hac una formula comprehendit
et analogiam metaphoricam presse dictam et analogicam
propriam.

Est autem magna differentia inter ὁμώνυμα ἀφ᾽ ἑνὸς
καὶ πρὸς ἕν et ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν, licet omnia con-
veniant in hoc quod ὁμωνυμία semper et necessario sit
inter res vel rationes diversorum generum, nam quae
in eodem genere conveniunt συνώνυμα sunt [2].

Primo quidem, quia ὁμονυμία ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν
dari potest inter duos terminos tantum, ut inter hominem
pictum et hominem verum, ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀληθινοῦ ἀνθρώπου
ὁ γεγραμμένος ὠνόμασται; dum ὁμωνυμία κατὰ ἀναλογίαν
necessario postulat ad minus quatuor terminos binos et
binos inter quos eadem vel similis habitudo reperitur [3].

Secundo, quia ὁμώνυμα ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν essentiali-
ter important inaequalitatem inter illud unum a quo de-
nominantur et aliud vel alia ab eo denominata, et ideo
essentialiter praedicantur secundum prius et posterius;
ὁμώνυμα vero κατὰ ἀναλογίαν non involvunt necessario
talem inaequalitatem neque ideo necessario praedicantur
secundum prius et posterius, licet hoc conveniat analo-
giae metaphoricae, non tamen ratione proportionalitatis
ut sic, sed ratione metaphorae, quae necessario connotat

---

1 *In III de Anima*, cap. 7, p. 560, 25-33.

2 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, pp. 15-16; *In I de Anima*, cap. 1, p. 37, 9-16; *In II de Anima*, cap. 1, pp. 206-207, 210.

3 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, p. 17, 10-19

dependentiam denominationis termini translati et improprie dicti a termino proprie et principaliter accepto: ἔστι γὰρ ἐν αὐτοῖς τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον· ἐκ γὰρ τοῦ ἀληθινοῦ [ζῴου] τὸ χαλκοῦν ἢ τὸ ξύλινον [1].

Huiusmodi tamen inaequalitas essentialis non impedit quominus horum aequivocorum ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν dari queat una communis descriptio, ut si dicamus omnia sana convenire in hoc quod habitudinem commensurationis ad sanitatem quocumque modo habent: αὐτὸς δὲ ['Αριστοτέλης] φησιν ἐν τοῖς Τόποις [2] ὅτι δυνατὸν τῶν ὁμωνύμων ἕνα ὁρισμὸν ἤτοι ὑπογραφὴν δι' ὁμωνύμων φωνῶν ἀποδοῦνι. λέγομεν γὰρ ὑγιενὸν σιτίον καὶ φάρμακον ὑγιενόν, ὁμοίως καὶ φλεβοτομίαν, λέγομεν δὲ καὶ γυμνάσιον ὑγιενὸν καὶ οὖρα ὑγιενα καὶ σφυγμόν. τούτων οὖν ὁμωνύμων ὄντων δυνάμεθα, φησίν, ἕνα ὁρισμὸν αὐτῶν δι' ὁμωνύμων φωνῶν ἀποδοῦναι λέγοντες ὑγιενὸν εἶναι τὸ συμμέτρως ἔχων πρὸς ὑγίειαν. τοῦτο δὲ τὸ συμμέτρως ἔχον πρὸς ὑγίειαν ὁμώνυμόν ἐστιν· ἢ γὰρ ὡς ποιητικὸν ἢ ὡς σημαντικὸν ἢ ὡς φυλακτικόν· καὶ εἰ προσθῶμεν τῷ κοινῷ τὸ ἰδίᾳ ὑπάρχον ἑκάστῳ, τότε γίνετα ἰδίᾳ ἑκάστου ὁρισμός, οἷον τὸ συμμέτρως ἔχον πρὸς ὑγίειαν, ὥστε φυλάττειν αὐτήν, ὡς τὸ γυμνάσιον, ἢ ὥστε σημαίνειν, ὡς τὰ οὖρα ἢ ὡς ὁ σφυγμός, ἢ ὥστε ποιεῖν ὡς τὸ σιτίον. ὥστε φωνῇ μὲν εἷς ὁ ὁρισμὸς οὗτος ὁ λέγων τὸ συμμέρως ἔχον πρὸς ὑγίειαν, τῷ σημαινομένῳ δὲ πολλοί [3]. Nam τὰ δὲ ὁμώνυμα τῇ μὲν φωνῇ ἕν τί εἰσι, τῷ δὲ σημαινομένῳ πλείοντα [4]. εἰ γὰρ ὁμώνυμόν ἐστι τὸ κοινωνοῦν μὲν τῷ ὀνόματι τῷ δὲ πράγματι διαφερον [5].

Divisionem igitur τῶν ὁμωνυμων apud Philoponem sequens contrahit tabella:

1 *In II de Anima*, cap. 1, p. 210, 7-17; p. 206, 28-33; p. 207, 18-25; *In I de Anima*, cap. 1, p. 36, 30-32; p. 37, 1-11.
2 *I Topic.*, cap. 13, n. 10 (I, 182, 43-50), n. 15 (I, 183, 43-50); *VI Topic.*, cap. 10, nn. 5-8 (I, 249, 29-51; p. 250, 1-9).
4 *In II de Anima*, cap. 1, p. 206, 4-16.
4 *Ibid.*, p. 206, 3-4.
5 *In Aristotelis Categorias*, cap. 1, p. 14, 33-34.

ὁμώνυμα

- I) ἀπὸ τύχης, κατὰ τυχην.
- II ἀπὸ διανοίας, κατὰ προαίρεσιν καὶ διάνοιαν
  - A ἀφ' οὗ παρώνυμα ἀλλήλοις δὲ ὁμώνυμα
    - a) ἀφ' ἑνὸς = ἀπὸ τινος ἀρχῆς...
      - 1) ἀπὸ ποιητικοῦ τινος αἰτίου.
      - 2 ἔπὸ παραδειγματικοῦ αἰτίου.
    - b) πρὸς ἕν = Πρὸς ἓν τέλος sive ἀπὸ τοῦ τελικοῦ.
  - B) ἀφ' οὗ καὶ ἀλλήλοις ὁμώνυμα...
    - a) ἰσόχρονα καὶ τῷ ἀφ' οὗ
      - 1) καθ' ὁμοιότητα
        - a) κατ' ἐνέργειαν
        - b) κατὰ μορφὴν sive κατὰ τὴν εἰκόνα.
      - 2) κατὰ ἀναλογίαν
        - a) μεταφορικὴν aut συμβολικὴν.
        - b) κυρίαν sive κυριολογικὴν.
    - b) ἰσόχρονα τῷ δὲ ἀφ' οὗ οὐκέτι = ἀνισόχρονα τῷ δὲ ἀφι οὗ...
      - 1) κατ' ἐλπίδα.
      - 2) κατὰ μνήμην.

582. Horum omnium principaliora tantum retinet *S. Joannes Damascenus*, ea tamen magna cum perspicuitate et proprietate describit, ut postulabat propria indoles sui compendii *Dialectices*.

Primo ergo notionem tradit univocorum et aequivocorum, dicens: συνώνυμα δὲ εἴσιν, ὅσα καὶ τῷ ὀνόματι καὶ τῷ ὁρισμῷ ἢ τῇ ὑπογραφῇ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος κοινωνοῦσιν, ut animal dictum de homine et de equo[1]; ὁμώνυμα μὲν εἴσι τὰ τῷ ὀνόματι κοινωνοῦντα, τῷ δὲ ὁρισμῷ ἢ τῇ ὑπογραφῇ διαφέρουντα, ut canis dictus de cane terrestri et de cane marino[2]. Et ideo συνώνυμος μὲν κατηγορία ἐστιν, ὅτε καὶ τὸ ὄνομα καὶ τὸν ὅρον αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος δέχεται τὸ ὑποκείμένον, ut animal de homine; e contra ὁμώνυμος δὲ ἐστι κατηγορία, ὅτε τὸ μὲν ὄνομα δέχεται, τὸν δὲ ὅρον οὐδαμῶς, ut imago hominis dicitur quidem homo, sed non habet hominis definitionem: hominis enim veri definitio est animal rationale mortale capax intelligentiae et scientiae; at vero imago eius non est animal, cum non sit vivens, neque intelligentiae et scientiae capax est, cum non sit rationis particeps[3].

Dein affert τῶν ὁμωνύμων divisiones fundamentales, animadvertens tamen horum divisionem per se, κατ' οὐσίαν, non esse rei sed nominis communis in diversas eius significationes, ὡς ὁμώνυμος φωνὴ εἰς διάφορα σμμαινόμενα, sive tale nomen sit nomen totius sive partis: ut nomen *totius* quidem, sicut vox *canis* dividitur quasi in totidem eius significationes in terrestrem, marinum et sidereum; ut *pars* autem, sicut vox *lingua* dividitur in linguam animalem et in linguam calceamenti et in linguam fistulae veluti in totidem eius significata[4].

Itaque sumendo τὰ ὁμώνυμα in tota sui extensione et communitate, distinguuntur in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης, ut de

---

1 S. IOANNES DAMASCENUS, *Dialectica*, cap. 32, MG. 94, 600.
2 *Dialectica*, cap. 31, MG. 94, 596.
3 *Op. cit.*, cap. 16, col. 580. Cf. etiam, cap. 47, col. 621; cap. 9, col. 557.
4 *Op. cit.*, cap. 6, cols. 545, 548, 549.

nomine *canis* dictum est, et in ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας, ut de voce *linguae* relatum fuit. Non enim casu et pure aequivoce nomen linguae dicitur de quodam membro animalis et de quodam parte tibiae vel calceamenti: de quadam enim calceamenti extremitate dicitur lingua ob similitudinem formae vel figurae quam habet cum lingua animalis; de parte vero fistulae dicitur lingua non solum ob exteriorem similitudinem formae cum lingua animalis, verum etiam ob similem functionem instrumenti in sonis emittendis: sicut enim lingua animalis est organum vocis diversis modulis emittendi, ita et lingua tibiae est instrumentum soni diversimode emittendi.

Et haec quidem ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας subdividuntur in trimembra, scilicet in ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς, πρὸς ἕν et κατὰ ἀναλογίαν.

Quae autem ἀφ' ἑνὸς ὁμώνυμα dicuntur, ea sunt quae ab uno principali, ἔκ τινος αἰτίου, denominationem accipiunt, ut a medicina liber medicus et instrumentum medicum: ἀπὸ γὰρ ἑνὸς, τῆς ἰατρικῆς, ὀνομάσθησαν ἰατρικά. Duplicemque induunt formam: *primam*, ab una causa *vera*, et naturali, ἐξ ἀληθινοῦ αἰτίου, sicut imago hominis dicitur homo secundum dependentiam et participationem a vero homine qui est homo vivus, et haec dicuntur etiam ὁμώνυμα καθ' ὁμοιότητα sive ἀπὸ παραδειγματικοῦ αἰτίου; *secundam*, ab una causa artificiali sive ab ipso denominante *adinventa*, ἀπὸ τινος ἐξευρήμενα, ut scalpellum ab ipso medico adinventum dicitur medicativum[1], et huiusmodi appellantur etiam ὁμώνυμα ἀπὸ ποιητικοῦ αἰτίου.

Quae vero dicuntur ὁμώνυμα πρὸς ἕν, illa sunt quae ad unum principale referuntur ab eoque denominationem accipiunt, sicut per ordinem ad unam eandemque animalis sanitatem dicitur cibus sanus et medicamentum sanum. Et haec similiter duplicem modum suscipere valent: *primum*, ad unum *finem*, πρὸς ἕν τέλος, ut in exemplo de sanitate apparet, quia sanitas animalis est finis cibi et medicamenti; *secundum*, ad unum *subiectum*,

---

1 *Op. cit.*, cap. 6, cols. 548, 552; cap. 31, col. 600; cap. 16, col. 580.

πρὸς ἓν ὑποκείμενον, ut quantitas et qualitas ceteraque accidentia dicuntur entia per ordinem ad unum primum subiectum quod est substantia in qua sunt et a qua sustentantur[1].

Est autem proprium τῶν ὁμωνύμων ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν esse veluti media inter pure aequivoca et pure univoca, quatenus non solum conveniunt in nomine ut pure aequivoca, verum etiam in ratione sive definitione sicut univoca, non tamen totaliter ut haec, sed aliquo modo tantum, ita ut partim conveniant in ea et partim differant. Quod ideo est, quia haec ὁμώνυμα aliquid participant de denominativis, cum secundaria et posteriora denominentur a primo et principali a quo dependent vel ad quod referuntur. Porro denominativa medium tenent locum inter univoca et aequivoca: εἰσὶ δὲ τινα μέσα τῶν ὁμωνύμων καὶ συνωνύμων· κοινωνοῦντα καὶ διαφέροντα τῷ δὲ ὀνόματι καὶ τῷ ὅρῳ ἅ τινα λέγονται παρώνυμα· ὡς ἀπὸ τῆς γραμματικῆς, γραμματικός. Κοινωνοῦσι γὰρ τῷ ὀνόματι· διαφέρουσι δὲ κατὰ λῆξιν τοῦ ὀνόματος, ἤγουν τὴν τελευταίαν συλλαβήν· καὶ πάλιν τῷ ὅρῳ κοινωνοῦσι τε καὶ διαφέρουσιν· ὅτι ἡ μὲν γραμματικὴ γνῶσις ἐστιν ὁ δὲ γραμματικὸς οὐσία ᾗ ἡ γνῶσις[2].

Differunt tamen ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν a pure denominativis dupliciter: primo, quia ὁμώνυμα illa nullam habent inter se nominis differentiam, cum ne flexione quidem sive terminatione differant, dum pure παρώνυμα flexione et terminatione nominis differant; secundo, quia pure παρώνυμα formaliter includunt illud unum a quo denominantur, dum ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν non includunt formaliter illud unum a quo vel ad quod dicuntur, cum ratio significata per nomen illi uni tantum formaliter conveniat, non ceteris: τὰ παρώνυμα περιέχουσι τὰ ἀφ' ὧν παρωνομάσθησαν, ὡς ὁ γραμματικὸς τὴν γραμματικὴν καὶ ὁ δίκαιος τὴν δικαιοσύνην· τὰ δὲ ἀφ'

---

[1] *Op. cit.*, cap. 6, cols. 548, 552, 553; cap. 10, cols. 564, 569; cap. 46, col. 617.

[2] *Op. cit.*, cap. 35, col. 601.

ἑνός, οὐδαμῶς· οὐ γὰρ περιέχει τὸ ἰατρικὸν ἐρφαλεῖον τὴν ἰατρικήν[1].

Accidit tamen aliquando ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς vere et intrinsece participare naturam et rationem illius primi a quo et ad quod dicuntur, ut homo reapse participat bonitatem, sapientiam et virtutem Dei. Quia tamen non eas participat secundum eundem modum eandemque rationem quibus sunt in ipso Deo, iure dici potest haec ὁμώνυμα nunquam includere formaliter ipsam rationem primi prout est in primo et convenit primo, sed modo semper diminuto et imperfecto[2].

Quatenus ergo ὁμώνυμα haec recedunt ab univocis, eis convenit essentialiter inaequalitas in ipsa communi ratione significata per nomen, ideoque necessario dicuntur secundum prius et posterius et secundum magis et minus. Συνώνυμα siquidem aequaliter et eodem modo participant totam rationem generis et individua totam rationem speciei; e contra ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν non participant totam rationem significatam communi nomine, sed partem tantum et partialiter, idest secundum magis et minus sive secundum prius et posterius pro modo propio uniuscuiusque: καὶ οὔτε Πέτρος ἐστὶ μᾶλλον, ἤγουν πλέον τοῦ Παύλου ἄνθρωπος ἢ ζῶον· οὐδὲ Παύλος τοῦ Πέτρου. Εὑρίσκεται δὲ φάρμακον ὑγιενότερον φαρμάκου, καὶ βιβλίον ἰατρικώτερον βιβλίου ἀλλόυ[3]. Unde et ipsum prius et posterius, quod multis modis dicitur, reducitur ad ὁμώνυμον ἀφ' ἑνὸς: τὸ δὲ πρότερον καὶ ὕστερον, καὶ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, οὐκ εἰσὶ τῶν ὁμωνύμων [ἀπὸ τύχης], ἀλλὰ τῶν [ὁμωνύμων] ἀφ' ἑνὸς[4]

Et hac de causa, loquens de similitudine ἐπὶ εἰκόνος καὶ τοῦ παραδείγματος, quae revera continet ὁμωνυμίαν καθ' ὁμοιότητα sive ἀφ' ἑνὸς παραδειγματικοῦ αἰτίου, ait hoc modo picturam hominis dici hominem per similitudinem

---

[1] *Ibid.*, paulo infra.

[2] *Op. cit.*, cap. 31, col. 600.

[3] *Op. cit.*, cap. 7, col. 552. Cf. *ibid.*, cap. 6, col. 552 B; cap. 10, cols. 564, 569; cap. 60, 649.

[4] *Op. cit.*, cap. 59, col. 649.

ad hominem vivum et verum, et homines sanctos appellari deos propter similitudinem ad Deum vivum et verum, licet utrobique sit magna differentia; quia homo pictus nonnisi nomen et figuram exteriorem participat ab homine vivo et vero, dum homo sanctus vere et realiter participat sanctitatem Dei vivi et veri: et quidem diversimode homines sancti divinam sanctitatem participant, pro modo et proportione donationis divinae gratiae et propriae dispositionis uniuscuiusque: ἄλλος ἄλλω· ὥστε οὐ πρὸς τὸν Θεὸν μόνον ἄπειρος ἡ διαφορὰ, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄλληλα κατὰ τὴν ἀναλογίαν. Ἔστιν οὖν ἡ ὁμοιότης ὡς ἐν τοῖς ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν [1].

Postremo quae dicuntur ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν, sunt illa quorum unum ita se habet ad aliud sicut aliud ad aliud. Quae pariter duplicem formam induere possunt: aliam metaphoricam, aliam propriam. *Metaphoricam* quidem, sicut definitio in scientiis dicitur ex metaphora definitionis in agris: εἴρηται δὲ ὁρισμὸς ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τῆς γῆς ὁροθεσίων· ὥσπερ γὰρ τὸ ὁροθέσιον χωσίζει τὸ ἴδιον ἑκάστου ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου, οὕτω καὶ ὁ ὁρισμὸς τὴν φύσιν ἑκάστου χωρίζει τῆς τοῦ ἑτέρου φυσεως [2]. *Propriam* autem, ut si dicamus definitionem essentialem constare ex genere proximo et differentia ultima sicut essentia definita constat ex materia prima et forma substantiali: nam materiae respondet genus, formae vero respondet differentia specifica: ἀναλογεῖ δὲ ἡ μὲν ὕλη τῷ γένει, τὸ δὲ εἶδος τῇ διαφορᾷ [3].

Verum quidem est Damascenum non adhibuisse propria verba significantia huiusmodi divisiones, nisi pro eis quae ἀφ' ἑνὸς καὶ πρός ἕν dicuntur; ea tamen in mente habet, ut ex usu divisorum ipsis significatorum apparet. Nulli ergo dubium est has omnes divisiones agnovisse, easque in actu exercito tradidisse.

---

[1] *Op. cit.*, cap. 31, col. 600.
[3] *Op. cit.*, cap. 8, col. 553 C.
[3] *Ibid.*, paulo supra.

583. Seriem hanc sat longam expositorum graecorum claudimus *Eustratio*, qui magna cum limpiditate et acumine proponit divisionem τῶν ὁμωνύμων, licet nova proprie loquendo non addat [1].

Notat ergo in primis ipsa ὁμώνυμα ὁμωνύμως dici, cum multipliciter dicantur: πολλῶν δὴ τρόπων ὄντων καθ' οὓς τὰ ὁμώνυμα ὁμώνυμα γίνεται [2]; πολλῶν ὄντων τρόπων καθ' οὓς τίθεται τὰ ὁμώνυμα [3]. Consequenter dividi debent in modos suos diversos sicut ὁμώνυμα in diversas res et significationes eodem nomine adunatas, ἀπὸ ὁμωνύμου φωνῆς εἰς διάφορα σημαινόμενα [4] et non sicut συνώνυμα in species per differentias extrinsecas: nam ὁμώνυμα sunt quae ὄνομα μόνον ἔχουσι κοινόν, τὸ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγον τῆς οὐσίας ἕτερον [5].

Et hoc in sensu dividuntur in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης et ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας. Prima dicuntur etiam totaliter aequivoca, πάντως ὁμώνυμα, eo quod in solo nomine conveniunt, cum positiva exclusione cuiuscumque alterius communicationis rei et rationis significatae per nomen: τὰ γὰρ οὕτως ὁμώνυμα οὐδεμίαν κοινωνίαν πραγματικὴν κατὰ τοὔνομα κέκτηται. ἦν γὰρ οὕτω λόγος αὐτοῖς τῆς κοινωνίας τῆς κατὰ τοὔνομα· τὰ δι' ἀπὸ τύχης οὐ κατὰ λόγον. οὐ γὰρ ἂν ὑπῆρχεν οὐδ' αὐτόματα. αὐτόματον γὰρ τὸ αὐτοματως ὄν ἢ γινόμενον καὶ μὴ ἔχον λόγον ἢ αἰτίαν, καθ' ἥν οὕτως ἔστιν ἢ γίνεται, οἷον εἴ τινος ἐν Αἰγύπτῳ Ἀλέξανδρον τὸν γεννηθέντα καλέσαντος, ἄλλος έν Ρωμῃ τῷ αὐτῷ ὀνόματι καλέσει ἕτερον, οὐδετέρου εἰδότος τὸν ἕτερον τις ἐστιν ἢ εἴ τινα κέκληκεν οὕτως [6]. Secunda vero, idest ἀπὸ διανοιαν, non sunt omnino aequivoca, eo quod non solum in nomine, verum etiam in

---

[1] Quae enim tradit Heliodorus Prusensis in sua *Paraphrasi in Ethica Nicomachea* (ed. G. Heylbut, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. XIX, P. II, Berolini 1889) nihil addunt ad textum aristotelicum.
[2] Eustratii e Michaelis et Anonymi *in Ethica Nicomachea commentaria*, ed. G. Heylbut, Comment. in Aristotelem graeca, vol. XX, Berolini 1892: Eustratius, *In I Ethic. Nicom.*, cap. 4, p. 55, 9.
[3] *Ibid.*, p. 55, 22.
[4] *In VI Ethic. Nicom.*, cap. 2, p. 267, 31.
[5] *Ibid.*, p. 55, 7-8.
[6] *Ibid.*, p. 55, 8, 11-18.

re et ratione per nomen significata aliquam habent communicationem, ὡς καὶ πραγματικήν τινα κοινωνίαν ἔχοντας [1].

Quae quidem subdividuntur in ὁμώνυμα secundum participationem, κατὰ μετοχὴν sive κατὰ μέθηξιν, et in ὁμώνυμα secundum proportionem, κατὰ ἀναλογίαν [2].

Dicuntur ὁμώνυμα κατὰ μετοχὴν illa quae ab uno primo et universali principio, quod est universale in causando sive ante rem quasi totum ante partes, τὸ ὅλον πρὸ τῶν μερῶν, dependet, ab eoque ordinate recipiunt secundum prius et posterius, κατὰ τάξιν, κατὰ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον, rem et rationem significatam per nomen, licet diminute et imperfecte [4]. Sicut enim est triplex totum, scilicet ante partes, ex partibus et in partibus, πρὸ τῶν μερῶν ἐκ τῶν μερῶν καὶ ἐν τοῖς μέρερι; ita et triplex est universale, nempe ante particularia, ex particularibus et in particularibus quasi post particularia. Relictis autem toto et universali ex partibus et ex particularibus, quod est totum integrale sive quantitativum, universale post particularia est universale in essendo et praedicando, quod et univocum dicimus, puta genus aut species, dum universale ante particularia est universale in causando tantum et non proprie in essendo vel praedicando: ἐκεῖ μὲν γὰρ τὸ [καθόλου] ἐπὶ τοῖς πολλοῖς καὶ ὑστερογενές, ἐνθαῦθα δὲ τὸ πρὸ τῶν πολλῶν ὡς προϋφεστηκὸς αὐτῶν κἀκείνων πρὸς αὐτὸ δεχομένων τὴν ὕπαρξιν [4]

Porro totum universale in essendo et praedicando non participatur secundum prius et posterius a particularibus sub eo contentis, sed aequaliter et secundum totum, sicut totum genus participatur aequaliter ab omnibus et singulis speciebus et tota species participatur ex aequo ab omnibus et singulis individuis, de quibus consequenter praedicatur secundum rationem omnino eandem: ὡς γὰρ ἐπὶ τῶν λογικῶν εἰδῶν καὶ γενῶν τὰ μετέχοντα τοῦ εἴδους ἄτομα ὁμοταχως μετέχουσο καὶ οὐ τὸ μὲν

1 *Ibid.*, p. 55, 25-26.
2 *Ibid.*, p. 55, 24-25; p. 56, 2-9; p. 40-49 passim.
3 *Ibid.*, pp. 42-47.
4 *Ibid.*, p. 40, 20-35.

πρῶτον, τὸ δὲ μετ' ἐκεῖνο, ὁμοίως καὶ τὰ μετέχοντα τοῦ αὐτοῦ γένους εἴδη οὔτε γὰρ τὸ εἶδος ἀτόμων, οὔτε δὲ γένος γένος τῶν εἰδῶν, τὰ καθ' ἑτέραν καὶ ἑτέραν μετεχόμενα τάξιν τοῖς ὑπ' αὐτὰ [1]; et ideo ἐν τοῖς τὸ πρῶτον καὶ ὕστερον, ἐν τούτοις ἰδέα οὐκ ἔστιν [2]. At vero totum universale in causando non participatur aequaliter et secundum totum a particularibus ab eo derivatis, sed imperfecte et inaequaliter pro modo proprio uniuscuiusque; siquidem soli principio et causae convenit per essentiam tota perfectio participanda, puta bonitas vel sapientia, dum ceteris ab eo causatis et derivatis nonnisi diminute et quasi per partes convenire potest, cum non sint talia nisi per participationem: et ideo perfectio illa in qua omnia communicant praedicatur de primo eminenter et substantive, de ceteris autem adiective et inferiori modo, inaequaliter tamen, idest secundum prius et posterius, prout magis vel minus accedunt ad illud primum. Exempli gratia, ratio entis aut boni convenit soli Deo per essentiam et secundum totam plenitudinem perfectionis; creaturis autem non convenit nisi diminute et per participationem, licet aliter conveniat substantiae et aliter accidentibus, aliter substantiis spiritualibus et aliter substantiis materialibus, aliter animae et aliter corpori, aliter uni generi accidentis et aliter ceteris, secundum diversam habitudinem quam habent ad illull primum: ἡ ἑτερότης τῆς τάξεως ἐν τῇ μετοχῇ, τὸ μὲν οἰκειότερον ποιήσει πρὸς τὴν ἀρχὴν, τὸ δι' ἀνοικει ὁτερον, καὶ μᾶλλον καὶ ἧττον ἔσται ἡ μετοχή [3].

Et huiusmodi triplicem modum suscipiunt: alium ab una causa efficienti principali, ἀπὸ τινος ἀρχῆς μιᾶς καὶ αἰτίας ὁρμώνμενα, sicut a principali causa medicativa quae est medicus peritus et expertus participant virtutem medendi secundum prius et posterius φάρμακα καὶ διαιτήματα καὶ βιβλία καὶ ὄργανα veluti causae instrumentales eius ab eaque medicativa denominantur, καὶ

1 *Ibid.*, p. 42, 25-29.
2 *Ibid.*, p. 43, 2-3.
3 *Ibid.*, p. 43, 32; p. 44, 1; pp. 44-49 passim; *In VI Ethic. Nicom.*, cap. 2, p. 287, 33-37; p. 288, 1-13; cap. 3, p. 293, 26-30.

εἴ τι ἄλλο ἀρχὴν μὲν ἔχον αὐτὴν ὡς ἐξ αὐτῆς ὁρμώμενον [1]; alterum ab una causa finali primaria, πρὸς τι ἕν τείνουσι τέλος, sicut a principali fine qui est sanitas bonitatem et appetibilitatem participant secundum prius et posterius diversa media ad eam conducentia, ut cauterium, potio amara, deambulatio aliaque id genus, τέλος δὲ ἕν ἔχον τὴν ὑγίειαν ab eaque denominationem, qua sana dicuntur, recipiunt [2]; tertium ab una causa exemplari, ἀπό τινος παραδειγματικοῦ αἰτίου, sicut ab uno exemplari archetypo diversa exemplata participant perfectionem et similitudinem secundum prius et posterius pro diverso modo et ordine quo ei assimilantur, ὡς εἰκόνα ἐξ ἀρχετύπου [3]. verbi gratia, omnia quae quocumque modo bona dicuntur et sunt, descendunt a Primo et Summo Bono quod τἀγαθὸν appellant, eius bonitatem participantia pro uniuscuiusque natura et capacitate, eamque pro suo quoquo modo imitantia ut exemplata ἀργέτυπον, ut corpus secundum rationem sanitatis, anima vero secundum rationem virtutis, πάντα οὖν τὰ δεύτερα ἀγαθὰ ἀναφέρεσται εἰς ἐκεῖνο ὡς κοινὸν ἀγαθόν καὶ ὑπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν μετεχόμενον. ἕκαστον γὰρ τὸ μετ' ἐκεῖνο ἀγαθόν, ἄλλοτι ὄν, ἀγαθὸν ἐστι κατὰ μετοχὴν τὴν ἐκείνου, καθὼς ἐκεῖνου μετέχειν ἕκαστον δύνατει [4]. Nimirum, πάντα ἐκεῖνο τὸ ἀγαθῦνον ἐστι καὶ πάντα κατὰ τὴν ἑκάστον ἀνάλογον μετοχὴν ἐκείνου ἀγαθὸν..., καὶ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ μέθεξιν ὑπάρχειν ἑκάστω κατὰ τὴν αὐτοῦ τάξιν; quo fit ut μετουσία τοῦ πρώτου ἑκάστῳ ἀνάλογος [5], ὡς καὶ τὴν τάξιν τῶν ὄντων σώζεσθαι καὶ τὴν μετοχὴν τοῦ πρώτου ὑπάρχειν τῃ τάξει ἀνάλογον· καὶ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς θεωρεῖσθαι [6]. Exemplata ergo et participata suo modo imitantur exemplar primum archetypum et non e converso: ἔνθα μὲν γὰρ πλείοσιν ἑνὸς ἐστι μετοχή, ἐκεῖ τὰ μετέχοντα ὅμοια πρὸς ἄλληλα τῷ ταὐτῷ

[1] *In I Ethic. Nicom.*, cap. 4, p. 55, 27, 28-30.
[2] *Ibid.*, p. 55, 28-30.
[3] *Ibid.*, p. 57, 4.
[4] *Ibid.*, p. 45, 15-18.
[5] *Ibid.*, p. 46, 20-21, 28-29, 34.
[6] *Ibid.*, p. 49, 1-3.

τῆς μεθέξεως, ἔνθα δὲ εἰκὼν καὶ παράδεικασται. τὸ δὲ παρά-
δειγμα ὅμοιον οὐ χρὴ τῃ εἰκόνι λέγειν ἀλλ' εἰκόνος ἀρχέτυπον [1].

Quae vero ὁμώνυμα dicuntur κατὰ ἀναλυγίαν, sunt illa quorum unum se habet ad aliud sicut aliud ad aliud, nam analogia est inter quatuor terminos vel saltem inter tres quorum unus bis sumitur, siquidem τὸ ἀναλογόν ἐστιν ἡ τῶν λόγων ὁμοιότης, et ἀναλογία δὲ ἐστιν ἡ τῶν λόγων ὁμοιότης [2]. Quam quidem ὁμωνυμίαν κατὰ ἀναλογίαν optime illustrat exemplum Aristotelis, quod ita evolvit Eustratius: ὡς γὰρ ἐν σώματι ὄψις ἀγαθὸν γνῶσιν τῶν ὄντων χορηγοῦν καὶ καλλῦνον τὸ ζῷον, οὕτως ὁ νους τῇ ψυχῇ γνῶσιν τῶν νοητῶν διδοὺς καὶ ὡραίζων αὐτὴν ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν, καὶ ἄλλο δὴ ἐν ἄλλῳ [3].

Porro haec ὁμωνυμία dupliciter fieri contingit: uno modo κατὰ ἀναλογίαν μεταφορικὴν; alio modo κατὰ ἀναλογίαν κυριολογικὴν.

Analogiam *propriam* illustrat huiusmodi exemplis: ita se habet genus ad differentias specificas sicut materia prima ad formas substantiales, quatenus sicut materia prima est in potentia ad formas substantiales quibus informatur et distinguitur, ita genus est in potentia ad differentias specificas quibus formatur et distinguitur; quemadmodum enim materia prima est una unitate potentialitatis et indeterminationis et informabilitatis, ita et genus est unum unitate indeterminationis et indifferentiae. Et ideo sicut materia prima continet formas substantiales in potentia, quae ex potentia materiae educuntur; ita genus continet differentias specificas potestate, quae et ex potentia generis quasi educuntur. Τὸ γὰρ γένος ὕλῃ ἀναλογεῖ τῃ τῶν διαφορῶν ἐπεισελεύσει εἰδοποιούμενον, ἥ τε ὕλη γένει συγκεχυμένη καθ' ἑαυτὴν οὖσα καὶ ἀδιάρθρωτος καὶ ὑπὸ τῶν εἰδῶν μορφουμένη ὥς τινων διαφορῶν. καὶ ὡς τὸ γένος δυνάμει τὰ εἴδη, καὶ ἐκ τοῦ δυνάμει προϊὸν εἰς ἐνέργειαν, οὕτο καὶ ἡ ὕλη δυνάμει τὰ

[1] *Ibid.*, p. 56, 6-9.
[2] Anonymus, *In V Ethic. Nicom.*, cap. 6-7, vol. cit., p. 217, 10-33.
[3] *In I Ethic. Nicom.*, cap. 4, p. 55, 33-34; p. 56, 1.

ἐξ αὐτῆς, καὶ ἐν τῆς στερήσεως προϊοῦσα εἰς εἰδοποίησιν[1]. Propter quod sicut tota essentia vel natura constat ex materia prima et forma substantiali, ita et tota species et definitio constat ex genere proximo et differentia ultima: ἐν γὰρ τοῖς ὁρισμοῖς ὕλη μὲν τὸ γένος ἀναλογεῖ, εἴδει δὲ αἱ διαφοραί[2].

Eodem iure, sicut se habet intellectus ad verum et falsum ita se habet voluntas ad bonum et malum, quatenus sicut intellectus affirmat verum et negat falsum ita voluntas prosequitur bonum et respuit malum. Unde sicut se habet affirmatio et negatio ad intellectum ita prosequutio et fuga se habent ad voluntatem: ὅτι ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει καὶ φυγή[3].

Analogiam vero *metaphoricam* illustrat hoc pulcherrimo exemplo: sicut in corpore bene se habente inveniuntur haec quatuor, scilicet sensuum integritas, vigor, pulchritudo et sanitas; ita in anima bene se habente inveniuntur quatuor haec, nimirum prudentia, fortitudo sicut vigor et robur eius, temperantia sicut eius pulchritudo, iustitia sicut sanitas eius. Ὡς γὰρ ἐν τῇ ψυχῇ τέσσαρες αἱ γενικαὶ ἀρεταί, φρόνησις ἀνδρεία σωφροσύνη δικαιοσύνη, οὕτως ἐν τῷ σώματι ταῦτα τέτταρα, εὐαισθησία ἰσχὺς κάλλος ὑγεία, ἡ μὲν φρονήσει ἀναλογοῦσα, ὡς γνῶσις τις οὖσα ἐν ζῴου θεωρουμένη σώματι, ἡ δὲ τῇ ἀνδρείᾳ, ὡς καρτερικὸν τὸ σῶμα ποιοῦσα και φερέπονον, τὸ δὲ σωφροσύνη, ὡς τὸ σύμμετρον παριστῶν ἐν μεγέθει καὶ συνθέσει πρὸς ἄλληλα τῶν μορίων τοῦ σώματος, ἡ δὲ τῇ δικαιοσύνη, ὡς ἐν ᾗ κράσει τῶν χυμῶν τὴν κατὰ φύσιν ἀναλογίαν φυλάττουσα[4].

---

1 *In I Ethic. Nicom.*, cap. 1, p. 19, 28-33.
2 *In VI Ethic. Nicom.*, cap. 2, p. 281, 26-27.
3 *In VI Ethic. Nicom.*, cap. 2, p. 278, 31-36.
4 *Ibid.*, p. 20, 32-35; p. 21, 1-4. Alia exempla proponit Michael Ephesinus, nempe: ita se habet fons ad rivulum sicut se habet cor ad vitam, quia sicut fons est principium rivuli ita cor est principium vitae; pariter sicut cor et fons se habent ad vitam et ad flumen ita benevolentia se habet ad amicitiam utpote principium quoddam eius; eodemque iure ita se habet poculum ad Bacchum sicut se habet clypeus ad Martem: διὸ μεταφέρων ἄν αὐτήν [=εὔνοιαν] τις εἶναι ἀρχὴν φιλίας, ὥσπερ ὁ λέγων τὴν καρδίαν πηγὴν μεταφορὰν εἶπεν, ὁμοίως καὶ ὁ τὴν ἀσπίδα κρα-

Ut enim egregrie dicit Pseudo Plutarchus, μεταφορὰ δὲ ἥπερ ἐστὶν ἀπὸ τοῦ κυρίως δηλουμένου πράγματος ἐφ' ἕτερον μετενηνεγμένη κατὰ τὴν ἀμφοῖν ἀνάλογον ὁμοιοτητα, ut cum dicimus κορυφὴν ὄρεος, ὅν γὰρ λόγον ἔχει κορυφὴ πρὸς ἄνθρωπον, τοῦτον καὶ ἡ ἀκρώρεια πρὸς τὸ ὄρος[1].

Quae cum ita sint, divisio τῶν ὁμωνυμων apud Eustratium sequenti exhibetur tabella:

ὁμώνυμα
- I) ἀπὸ τύχης sive οὐ κατὰ λόγον = πάντως ὁμώνυμα.
- II) ἀπὸ διανοίας sive κατὰ λόγον
  - A) κατὰ μετοχὴν
    - a) ἀπό τινος ἀρχῆς μιᾶς καὶ αἰτίας.
    - b) πρὸς ἕν τέλος.
    - c) ἀπό τινος παραδειγματικοῦ αἰτίου sive ἐξ ἀρχετύπου.
  - B) κατὰ ἀναλογίαν
    - a) κυριολογικὴν.
    - b) μεταφορικὴν.

584. Ex hac longa et fere monotona serie expositionum apparet omnes graecos communtatores pro suo quoquo modo collaborasse ad maiorem doctrinae aristotelicae illustrationem vel saltem conservationem, licet potiores habuerint partes Porphyrius, Ammonius, Elias, Simplicius, Philoponus et Eustratius.

τῆρα Ἄρεως καὶ τὸν κρατῆρα ἀσπίδα Διονύσου, οὕτω γὰρ ὁ τὴν εὔνοιαν λέγων ἀρχὴν φιλίας μεταφορικῶς εἴρηκε· μεταφορὰν δὲ εἶπεν ὅτι ὥσπερ ἡ καρδία οὐχ ταὐτὸν τῇ πηγῇ οὐδὲ ὁ κρατὴρ τῇ ἀσπίδι, οὕτως οὐδὲ τὸ ἦθος, ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ φιλίας, ταὐτόν ἐστι τῃ εὐνοιᾳ. δία γὰρ τὸ ἦθος γίνεται ἡ φιλία καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ τῆς φιλίας ἀρχή, ᾧ ἤθει ἕπεται ἡ εὔνοια. ἐκ μεταφορᾶς οὖν ῥηθείη ἄν φιλία ἡ εὔνοια. (*In IX Ethic. Nicom.*, cap. 5, ibid., p. 488, 26-34).

1 Pseudo Plutarcus, *De vita et poesi Homeri*, lib. II, n. 19. Opera, ed. F. Dübner, t. V, p. 108, 39-41, 43, 46-47. Parisiis, Didot, 1876. Videsis etiam Anonymi, *In Artem Rhetoricam commentaria*, ed. H. Rabe (Comment. in Aristotelem graeca, vol. XXI, P. II), lib. II, cap. 20, p. 124, 31-33; p. 125, 14-15; lib. III, cap. 2, p. 167, 15-31; pp. 168-171; p. 173, 22-26; cap. 11, p. 210, 2-10. Berolini 1896.

Quae quidem maior elucidatio partim afficit ipsam communem notionem aequivocationis partim quosdam modos eius speciales.

Circa communem notionem aequivocorum animadvertunt in primis ipsa aequivoca aequivoce dici de diversis aequivocorum modis, ut Dexippus, Simplicius, Philoponus et Eustratius; quod est aequivalenter docere ipsam rationem communem analogiae esse analogam. Ex quo inferunt consequenter omnes et singulos terminos quibus aequivoca vel analoga describuntur —nam presse loquendo non definiuntur—, esse aequivoce vel analogice intelligendos, et non univoce sicut intelligi debent termini quibus univoca definiuntur definitione presse dicta. Et inde concludunt, tertio, aequivoca et analoga non esse dividenda per differentias extrinsecas sicut univoca, sed per diversa significata unius eiusdemque vocis communis ut aequivoca, vel per diversos modos intrinsecos unius eiusdemque vocis et notionis communis ut analoga presse dicta, ut Simplicius, Philoponus, S. Joannes Damascenus et Eustratius.

Quantum vero ad modos quosdam particulares aequivocorum a consilio sive analogorum plura, eaque scitu digna, tradunt. Nam circa ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, notant ea necessitudinem quandam habere cum denominativis, eo quod et ipsa denominationem accipiunt ab illo uno et primo a quo vel ad quod dicuntur, ut Ammonius, Olympiodorus, Simplicius et Philoponus. Quae quidem denominatio aliquando vel circa quaedam secundaria est mere extrinseca, nonnunquam vero vel circa alia est insuper realis et formalis, ut addunt Olympiodorus et S. Joannes Damascenus; nam huiusmodi secundaria analogata dicuntur et sunt per participationem essentialiter inaequalem a primo et supremo analogante sui ordinis, non mere verbalem et logicam sed et realem, ut scite animadvertunt Olympiodorus, Elias, Syrianus, Asclepius, Simplicius, S. Joannes Damascenus et Eustratius. Qua in re doctrinae aristotelicae inserunt ea quae

sanus verusque platonismus praeseferebat, ut expresse notat Elias.

Et quia παρώνυμα medium tenent locum inter univoca et pure aequivoca, inde concludunt Alexander Aphrodisieus, Porphyrius, Syrianus, Asclepius, Simplicius, Sophonias et Joannes Damascenus ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν essentialiter media consistere inter pure aequivoca et univoca. Neque enim horum est solum nomen commune absque ullo communi conceptu ut in pure aequivocis contingit, verum etiam est communis quaedam ratio sive conceptus, licet inaequaliter et diversimode participatur et non aequaliter atque uniformiter ut in univocis: quo fit ut eorum inquantum huiusmodi dari queat una communis scientia sicut et unus quidem communis conceptus unaque communis descriptio prout omnia suo quoquo modo unum idemque principale respiciunt, ut Stephanus et Philoponus expresse inferunt.

Horum etiam coordinationem secundum causam efficientem, finalem, exemplarem et quasi materialem *in qua*, quae aequivalenter tantum et non verbis explicitis tradita erat ab Aristotele, omnino explicitam reddiderunt, licet ὁμώνυμα secundum causam exemplarem quidam reducant ad ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς, alii ad ὁμώνυμα πρὸς ἕν, alii ad ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν simul, quia revera exemplar respectu exemplatorum partim gerit munus causalitatis efficientis et partim causalitatis finalis, quamvis sub modo causalitatis formalis extrinsecae et non pura efficientia neque mera finalitate.

Circa distinctionem autem τῶν ὁμωνύμων κατὰ ἀναλογίαν in analogiam propriam et analogiam metaphoricam, licet plures usu tantum sive in actu exercito, ut aiunt, eam agnoscant, sicut et ipse Aristoteles, aliqui tamen ut Clemens Alexandrinus, Porphyrius, Philoponus ac praesertim Simplicius expressis verbis sive in actu signato defendunt: revera tamen omnes eam admittunt cum ipso Aristotele.

Sunt etiam qui, ut Ammonius et Olympiodorus, ana-

logiam metaphoricam comparant cum analogia καθ' ὁμοιότητα ἀφ' ἑνός vel πρὸς ἕν, quae scilicet fit secundum causam exemplarem, quia revera aliquid participat istius ὁμωνυμίας, licet magis accedat ad ὁμωνυμίαν καθ' ἀναλογίαν. Quo in sensu dici potest hunc analogiae modum quodammodo tenere medium inter pura ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς vel πρὸς ἕν et puram perfectamque analogiam proportionalitatis, quae est analogia propria.

Notare insuper iuvat quod, etiamsi nonnulli pauciora, alii plura membra, proponant, immo et illimet qui eadem admittunt membra aliter et aliter ipsa coordinent, omnes tamen in divisione fundamentali conveniunt, quae est in ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης et in ὁμώνυμα ἀπὸ διανοίας, horumque in ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν et in ὁμώνυμα κατὰ ἀναλογίαν.

Postremo considerandum est notionem participationis quam plerique commentatores ex platonismo et neoplatonismo introduxerunt in doctrinam aristotelicam τῶν ὁμωνυμων ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν non esse syncretismum quendam aristotelismi et platonismi multoque minus corruptionem veri aristotelismi, sed maiorem eius explicationem, demptis excessibus idealismi quocum apud platonicos et neoplatonicos miscebatur et deturpabatur.

Verum quidem est Aristotelem aliter intellexisse μέθεξιν ac Platonem, nimirum intra lineam univocorum. Ait enim omnia genera univoce de suis speciebus praedicari, eo quod species a genere participant et nomen et definitionem, quin tamen sint proprie loquendo denominata a genere: οὐδενὸς γὰρ γένους παρώνυμως ἡ κατηγορία κατὰ τοῦ εἴδους λέγεται, ἀλλὰ πάντα συνωνύμως τὰ γένη τῶν εἰδῶν κατηγορεῖται· καὶ γὰρ τοὔνομα καὶ τὸν λόγον ἐπιδέχεται τῶν γενῶν τὰ εἴδη [1]; siquidem participare est recipere rationem et definitionem eius quod per participationem communicatur, quo fit ut species participent genere et non e converso, cum genera non recipiant definitionem a speciebus sed species a generibus: ὅρος δὲ

---

1 Aristoteles, *II Topic.*, cap. 2, n. 1 (I, 187, 11-15).

τοῦ μετέχειν τὸ ἐπιδέχεσθαι τὸν τοῦ μετεχομένου λόγου. Δῆλον οὖν ὅτι τὰ μὲν εἴδη μετέχει τῶν γενῶν, τὰ δὲ γένη τῶν εἰδῶν οὔ· τὸ μὲν γὰρ εἶδος ἐπιδέχεται τὸν τοῦ γὲνους λόγον, τὸ δὲ γένος τὸν τοῦ εἴδους οὔ [1]. Quo in sensu negare debebat participationem inveniri in aequivocis a consilio ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, cum hoc esset introducere univocationem in ipsam aequivocationem, atque ideo eas aequivalenter confundere.

Attamen, si non loquamur de universali in essendo et praedicando, sed de universali in causando quod est singulare in essendo, participatio sive communicatio eius alium modum aliamque rationem induit. Porro Aristoteles non negat tale universale in causando, quin immo totum eius systema exigit et involvit illud. Quo fit ut, cum Aristoteles recusat admittere μέθεξιν Platonis, eo in sensu ipsam respuit quatenus extendebatur vel applicabatur ad communicationem universalis in essendo et praedicando, non autem quatenus afficiebat universale in causando. Hoc ergo elementum platonicum sane intellectum est perfecte ac vitaliter assimilabile a vero aristotelismo, et implicite, ne dicam aequivalenter, continetur in doctrina aristotelica de aequivocis a consilio ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν.

Utut sit, negari non potest insigne meritum neoplatonicorum explicantium diversas participationes diversosque modos participandi per analogias ab Uno et ad Unum, ut videre est apud Plotinum [2] et praesertim apud Proclum [3], a quo immediate dependet Pseudo Dionysius

---

1 *IV Topic.*, cap. 1, n. 6 (I, 206, 26-30).

2 Plotinus, *Enneades III*, lib. III, n. 5 (ed. Creuzer et Moser, Parisiis 1855), p. 136, et passim.

3 Proclus, *De decem dubitationibus circa Providentiam*, dub. III (ed. V. Cousin, Procli philosophi platonici Opera inedita, Parisiis 1864), col. 96, 22-35; dub. IV, cols. 98-103; *De malorum subsistentia*, ibid., cols. 209-210; *In Parmenidem Platonis*, lib. II-III, ibid., cols. 721-834; lib. VI, cols. 1039-1134; potissimum vero in suo opere celeberrimo Στοιχείωσις θεολογική (ed. Creuzer et Moser, in capite ed. Enneadum Plotini, Parisiis 1855), n. 21, p. LIX; n. C, p. LXXXIII; n. CXXXV, p. XCV; nn. CXLI-CXLII, pp. XCVI-XCVII; n. CLI,

Areopagita[1]. Proclus autem[2] maximeque Dionysius[3] magnum influxum exercuerunt in politiores theologos saeculi XIII, ut S. Bonaventuram, S. Albertum Magnum et S. Thomam in quaestione celeberrima de divinis nominibus, quae tota involvitur analogiis[4].

Simul tamen huiusmodi theologi compleverunt temperamentum doctrinae neoplatonicae iam incoeptum ab Augustino, ut accommodaretur revelationi christianae de processione rerum a Deo per creationem et non per pantheisticam quandam emanationem. Insuper S. Albertus Magnus et praesertim S. Thomas addiderunt temperamentum ex doctrina aristotelica, et sic consummata fuit assimilatio vitalis eorum quae ex neoplatonismo erant vere et realiter assimilabilia.

Art. 2.- Divisio Analogiae apud expositores arabos

585. Licet philosophi arabes complura ediderint commentaria in diversa opera Aristotelis ac praesertim in opera logica[5], ad rem nostram quod attinet adeo sobrii

---

p. XCIX; n. CLXXXIV, p. CIX; n. CCIX, pp. CXVI-C)VII; et passim.

[1] Huisusmodi dependentiam Dionysii a Proclo pluribus ostendit H. Koch, *Pseudo-Dionysius Areopagita in seinen Beziechungen zum Neuplatonismus und Mysterienwesen*. Mainz 1900.

[2] Ope Compendii cuiusdam excerpti ex *Elementatione theologica* vulgo dicti *Liber de Causis*: qua de re videri potest O. Bardenhewer, *Die pseudo-aristotelische Schrift Ueber das reine Gutl bekannt unter dem Namen Liber de Causis*. Freiburg in Breisgan 188 . S. Thomas primus exacte perspexit propriam indolem et originem huiusce compendii (*In Librum de causis*, lect. 1, Opuscula, ed. Mandonnet, t. I, pp. 195-196).

[3] Conferri potest J. Durantel, *Saint Thomas et le Pseudo-Denys*, Paris 1919.

[4] Videsis V. Lossky, *La notion des «Analogies» chez Denys le Psedo-Aréopagite*, apud «Archives d'histoire doctrinale et littéraire du mayen-age», V (1931), pp. 279-309.

[5] «De tous les Ncrits aristotéliques, ce livre [l'Organon] est sûrement le plus étudié et le plus commenté en arabe; il n'est presque

sunt, si unus excipiatur Averroes, ut fere simplici iteratione notionum aequivocorum, univocorum et denominativorum quas dederat Aristoteles sint contenti. Quod si nonnullam addant explicationem, e graecis commentatoribus eam mutuo accepisse videntur.

Ita *Avicenna* docet univocorum esse idem nomen eandemque rationem sive intentionem significatam per nomen, ita ut omnibus et singulis eo nomine adunatis aequaliter et eodem modo conveniat, verbi gratia intentio significata hoc nomine homo comitatur Socratem et Platonem et reliquos homines uno eodemque modo, et similiter natura generis praedicatur de speciebus sub se contentis aequaliter; aequivocorum e contra licet idem omnino sit nomen, ratio tamen sive intentio significata per nomen est diversa[1]. Et si quidem nulla omnino sit convenientia inter diversas rationes significatas per nomen, tale nomen appellatur simpliciter vel pure aequivocum; sin autem aliqua sit convenientia ita tamen ut non sit totalis ut in univocis, vocatur proprie loquendo *ambiguum*, seu *quasi aequivocum*, quatenus intentio significata per nomen non convenit omnibus sub eo contentis aequaliter et eodem modo, sed diversimode et secundum prius et posterius, exempli gratia «*unum* dicitur *ambigue* de intentionibus» eius, ita scilicet ut intentio unitatis «sit in eis secundum prius et posterius»[2], et similiter «quamvis *ens*... non sit genus nec praedicatum aequaliter de his quae sub eo sunt, tamen est intentio in qua conveniunt [diversa praedicamenta] secundum prius

---

pas de philosophe musulman qui n'ait consacré au moins un certain travail aux études logiques» (Ibrahim Madkour, *L'Organon d'Aristotele dans le monde arabe: ses traductions, son étude et ses applications*, p. 9, Paris 1934). Plerique tamen potius abbreviationes sive epitomes ediderunt quam commentaria proprie dicta.

[1] Avicenna, *Logica*, ed. Venetiis 1508, fol. 3vab; fol. 8ra; fol. 9ra, vb; fol. 10ra, vb; fol. 11rb, va; *De Anima*, I P., cap. 5 (Venetiis 1508), fol. 5va; II P., cap. 2, fol. 6v; *Metaphysica*, lib. II, tract. 1, cap. 1, ed. Venetiis 1495, sine numeratione foliorum; *Sufficientia*, lib. II, cap. 2 (Venetiis 1508), fol. 24vb; fol. 25rb-26va; lib. I, cap. 3, fol. 16ra.

[2] *Metaphysica*, ed. cit., lib. II, tract. 3, cap. 2, initio.

et posterius», nimirum substantia per prius et accidentia per posterius [1]: item tria principia, scilicet materia, forma et privatio suo modo sunt communia omnibus praedicamentis, sed «non possumus dicere quod unumquodque eorum praedicatur de contentis suis *univoce pure*, cum cadant sub unoquoque illorum diversi modi diversae praedicationis qui diversificantur in intellectu principalitatis secundum prioritatem et posterioritatem; sed potest, immo debet ut significatio eorum sit significatio *quasi aequivoca*, sicut significatis esse est principii et unius. Iam vero didicisti differentiam inter *univoca* et *aequivoca* et *quasi aequivoca* in logica» [2].

Haec ergo aliqualis unitas intentionum eodem nomine significatarum est unitas comparationis seu analogiae tantum, quae minor est quam unitas generis, sicut haec est minor quam unitas speciei, quae rursus minor est quam unitas numerica, verbi gratia «comparatio navis ad rectorem et civitatis ad regem una est, hae enim comparationes consimiles sunt» [3], vel etiam «comparatio regis ad civitatem et intellectus ad animam una est» [4].

Et ad hunc modum aequivocationis reducitur exemplum Aristotelis de homine vivo et de homine picto, sicut et metaphorae [5].

586. Ceterum quaecumque Alfarabi et Avicenna tradiderunt hac de re reffert *Algazel* tum in sua Logica tum in Metaphysica [6]. Univoca sunt universalia presse dicta, ut

[1] *Ibid.*, tract. 1, cap. 1.
[2] *Sufficientia*, lib. I, cap. 3, fol. 16ra.
[3] *Ibid.*, tract. 3, cap. 2, circa finem.
[4] *Compendium Metaphysices*, lib. I, I P., tract. 7, cap. 5, ed. N. Carame, p. 64. Romae 1926.
[5] *Al Chifa*, I P., apud I. Madkour, op. cit., p. 62.
[6] Notum est Algazelem exposuisse doctrinam philosophorum in his operibus ut eos impugnaret, ut ipsemet sincere fatetur in prologo ad suum *Magâcid*, ed. D. Salman, O. P., apud «Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen age», X (1963), pp. 125-127: quod et fecit data opera in *Tahâfot el falâcifa*, idest *Destructione philosophorum*.

genus et species, quae omnibus et singulis sub eo contentis conveniunt non solum secundum idem nomen, verum etiam secundum eandem prorsus rationem, idest modo omnino eodem et uniformi et penitus aequali, et nullo modo secundum prius et posterius, «sicut animal homini et equo, et sicut homo Petro et Joanni; non enim est uni eorum sine alio, nec in uno fortius vel plenius quam in alio» [1]; comparatio enim animalis ad omnes animalis species est una et eadem, et similiter «comparatio humanitatis ad omnes homines eadem est: singuli enim homines non differunt in humanitate ullo modo» [2]. Pure autem aequivoca conveniunt quidem in eodem nomine, sed non in intellectu nominis qui est penitus diversus in diversis, sicut canis nomen quidem est idem, sed prout dicitur de cane terrestri, marino et caelesti habet intellectum omnino diversum, absque ulla vera et reali convenientia [3]. Analoga vero sive ambigua medio modo se habent inter pure aequivoca et univoca, quatenus licet nomen habeant prorsus idem sicut illa, ratio tamen sive conceptus nominis nec est omnino idem sicut in univocis neque penitus diversus sicut in aequivocis, sed aliquo modo idem et aliquo modo diversus, ita quidem ut de diversis sub eo contentis dicatur secundum prius et posterius: verbi gratia, ens relate ad decem praedicamenta, nam «per prius convenit substantiae et deinde quantitati et qualitati mediante substantia, ceteris vero praedicamentis convenit esse mediantibus his duobus, quantitate scilicet et qualitate; sic ergo accidit eius prius et posterius... Haec igitur decem conveniunt in esse uno modo, et differunt in esse alio modo, et propter hoc sunt *media inter aequivoca et univoca*; et idcirco nomen huiusmodi

[1] Algazel, *Metaphysica*, lib. I, tract. 1, cap. 4, ed. J. T. Muckle, p. 25, 27-32; lib. II, tract. 1, cap. 11, p. 58, 10-11.
[2] *Op. cit.*, lib. I, tract. 2, cap. 1, p. 27, 26-30; p. 28, 2-15.
[3] *Op. cit.*, lib. I, tract. 1, cap. 4, p. 25, 1-2.

quod est *ens* vocatur nomen *ambiguum*, eo quod aptatur omnibus»[1].

Quo fit, ut univoca habeant communem definitionem proprie dictam, quae ex genere et differentia sumitur; pure autem aequivoca nullam definitionem vel descriptionem communem sortiantur; ambigua vero sive analoga descriptionem quandam communem habeant, non autem definitionem presse dictam, eo quod non conveniunt in eodem genere, sed secundum prius et posterius dicuntur[2].

Et huiusmodi unitas sive communitas rationis vel intellectus in quo conveniunt ambigua est proportionalis tantum, non generica vel specifica multoque minus numerica, «ut cum dicitur: proportio regis ad civitatem et animae ad corpus una est»[3]; et similiter eadem est comparatio materiae ad formam et lignorum ad lectum ex quibus lectum fit[4].

587. Hi tamen omnes nullum aut fere nullum analogiae usum fecerunt, quin potius ad univocismum quendam universalem inclinantur ut Alfarabi et Avicenna, vel ad aequivocismum purum ut Algazel[5]; et ideo frequenter corripiuntur ab Averroe, qui valoris analogiae plene conscius fuit, et melius quam ceteri philosophi arabes Aristotelem est interpretatus. Qua de causa, in uno *Averroe* tota doctrina expositorum arabum de notione et divisione analogiae veluti continetur et ad perfectum adducitur. Hunc itaque expositorem adire debemus[6].

---

1 *Ibid.*, p. 25, 33-35; p. 26, 1-10; lib. II, tract. 1, cap. 11, p. 58, 9-11.
2 *Op. cit.*, lib. I, tract. 1, cap. 1, p. 5; lib. II, tract. 1, cap. 11, p. 58.
3 *Op. cit.*, lib. I, tract. 3, p. 33, 17-18.
4 *Op. cit.*, lib. I, tract. 5, p. 37, 20-23.
5 Sicut et postmodum Maimonides, ut videre est in suo *Moreh Nebukim*, lib. I, cap. 50-60 (versio germanica A. Weiss, *Führer der Unschlüssigen*, Leipzig 1923-1924, t. I, pp. 153-221); lib. II, cap. 1 (t. II, pp. 3-19); lib. III, cap. 20 (t. III, pp. 118-126). Libri primi habetur versio hispanica, J. Suárez Lorenzo, *Guía de Descarriados*, Madrid, s.a.
6 Mittimus Abusalt de Denia (1067-1134), *Rectificación de la mente*, cap. 3 (texto árabe, traducción y estudio previo por C. A. González

Notat ergo Averroes quod «*univoca* sunt illa quorum definitiones sunt eaedem voce et ratione»[1], idest convenientia eodem nomine eademque definitione[2], et ideo significant eandem communem intentionem in eis[3] tali tantaque unitate ut revera significent idem omnibus modis[4], siquidem univoca naturam, quam significant, habent omnino eandem secundum omnia ex quibus constituitur natura illa[5], quo fit ut univocorum qua talium sit nomen unum et una natura significata per nomen et unus modus eam significandi, communis tamen pluribus specie vel numero differentibus, ut animal de homine et aequo, vel homo de Socrate et Platone[6]; univoca enim sunt eiusdem speciei atomae, vel saltem eiusdem generis[7]. Consequenter, ratio communis univoca aequaliter participatur a suis inferioribus, puta ratio communis animalis aequaliter participatur ab omnibus animalibus et ratio communis hominis aequaliter participatur ab omnibus hominibus: qua de causa «species sunt aequales aut non magis neque minus [in participatione generis]; et intendit [Aristoteles] per aequalitatem, paritatem»[8], «quia verum genus non habet species priores se ad invicem, sed omnes sunt secundum unum ordinem»[9].

Aequivoca e contra dicuntur illa quorum nomen est

Palencia, Madrid 1915), pp. 73-74, et Abentomlus de Alcira († 1223), *Introducción al arte de la Lógica*, cap. 2 (texto árabe y traducción española por M. Asín Palacios, Madrid 1916), pp. 70-71, qui notiones aristotelicas univocorum, aequivocorum et denominativorum simpliciter reproducunt.
1 Averroes, *In VII Physic.*, n. 26, fol. 306v. Lugduni 1542.
2 *In III Metaph.*, n. 7, fol. 45v, Lugduni 1542; *In IV Metaph.*, n. 11, fol. 76v; *In X Metaph.*, cap. 2, n. 2, fol. 24r, in fine.
3 *In I Metaph.*, n. 6, fol. 9r.
4 *In IV Metaph.*, cap. 2, n. 3, fol. 66r.
5 *In VII Physic.*, n. 27, fol. 307r; *In II Post.*, n. 80, fol. 394v. Lugduni 1542.
6 *Epitome in libros Logicae Aristotelis*, De Praedicamentis, fol. 157ra. Lugduni 1542.
7 *Compendio de Metafísica*, texto árabe con traducción y notas de Carlos Quirós Rodríguez, lib. II, n. 2, pp. 57-58. Madrid 1919.
8 *In I Metaph.*, n. 25, fol. 18r, in fine.
9 *In XI Metaph.*, cap. 1, n. 2, fol. 274v.

quidem unum et idem, sed natura per nomen significata et modus significandi est multiplex et diversus, et ideo habent plures intentiones seu definitiones diversas et non unam eandemque ut univoca [1]. Nomen itaque aequivocum plura eaque diversa actu et immediate significat, idest prima significatione; ex adverso nomen univocum significat sua inferiora quodammodo in potentia et mediante una intentione communi quam actu et directe significat, «quemadmodum hoc nomen *genus* significat species mediante aliquo communi», puta hominem et equum mediante *animali* quod directe et immediate significat et in quo equus et homo continentur in potentia [2]. Quo fit ut univocum suscipiat additionem differentiarum extrinsecarum per quas dividitur et descendit ad sua inferiora; dum e contra aequivocum, utpote plura actu et immediate significans, solum admittit additionem modorum intrinsecorum per quos ab actu confuso ad actum distinctum procedit et quodammodo descendit: «divisio enim entis ad possibile et necessarium [quae est divisio nominis aequivoci], non est similis divisioni animalis ad rationale et irrationale aut ad ambulans et natans et volans; ea enim addita sunt super genus et inferunt additionem in speciebus... et hae differentiae additae sunt super illud» [3].

Aequivocorum autem alia sunt pure et simpliciter aequivoca [4], alia vero nonnisi secundum quid, quae potius

[1] *In I Post.*, n. 200, fol. 244 ra, Lugduni 1542; *In II Post.*, n. 80, fol. 344va; *Epitome Logicae*, fol. 193vb; *In IV Metaph.*, n. 10, fol. 75v; *In X Metaph.*, n. 8, fol. 246r. Aliis verbis: univocorum nulla est differentia in nomine neque in definitione; aequivocorum autem nulla est differentia in nomine, at est differentia in definitione (*In III Metaph.*, n. 7, fol. 45v).

[2] *In X Metaph.*, n. 8, fol. 246r.

[3] *Tehâfot et Tehâfot* [=*Destructio destructionis*], disp. 3, dub. 14, ed. una *cum commentariis* Augustini Niphi, fol. 100r. Papiae 1521.

[4] *In VII Physic.*, n. 26, fol. 307r; *In III Metaph.*, n. 4, fol. 43v; *In VII Metaph.*, n. 15, fol. 159r; *In XII Metaph.*, n. 28, fol. 294v; *Comp. Metaph.*, lib. I, n. 19, p. 17; lib. III, n. 2, p. 130; n. 39, n. 164. Nimirum haec sunt aequivoca *a casu* vel, ut ipse Averroes ait, «*secundum quandam contingentiam*» (*Epitome Logices*, De Elenchis, fol. 193rb).

dici debent ambigua [1], convenientia [2], vel *analoga* [3]. Quorum haec est differentia, quod pure aequivoca solum habent nomen commune, dum analoga habent insuper aliquam rationis communicationem [4]; pure aequivoca plura principaliter sive aeque primo significant, analoga vero ita plura significant ut tamen unum principaliter et primo significent, cetera vero secundario et cum aliqua dependentia vel respectu ad illud primum [5]; naturae significatae per nomen pure aequivocum sunt omnino diversae, ita ut inter eas qua tales nulla penitus sit convenientia, dum naturae significatae per nomen analogum non sunt omnino diversae, sed aliquo modo convenientes, quatenus licet absolute consideratae sint diversae, simul tamen sunt eaedem relative et secundum quandam assimilationem [6]; modi significandi et intentiones significatae nomine pure aequivoco sunt omnino dissimiles absque ulla prorsus convenientia, dum modi significandi et intentiones significatae nomine analogo sunt aliquo modo consimiles et convenientes [7]; pure aequivocorum qua talium non est una scientia vel ars, analogorum autem qua talium est una scientia vel ars [8]. Ita nomen canis pure aequivoce dicitur de cane terrestri, marino et caelesti et de quadam secta philosophorum qui cynici sive canes dicuntur [9]; e contra nomen sani dicitur analogice de ani-

[1] *Quaesita circa logicalia*, quaesitum de omni prioristico et quid sit propositio de inesse et de modis conclusionum syllogismorum mixtorum, cap. 2, fol. 123v. Lugduni 1542; *In VII Physic.*, n. 27, fol. 307r; n. 31, fol. 309v-310r; *De Substantia orbis*, cap. 3, p. 231 in fine (ed. M. Alonso, S.J., una *cum commentariis* Alvari Toletani, Madrid 1941); *Destructio destructionis*, disp. 7, dub. 5, fol. 224v.

[2] *In III Metaph.*, n. 10, fol. 49v.

[3] *Comp. Metaph.*, lib. II, n. 3, p. 58; *In II Post.*, n. 80, fol. 345ra; n. 83, fol. 347va; n. 87, fol. 353va, et passim.

[4] *In I Metaph.*, n. 6, fol. 9r.

[5] *In X Metaph.*, n. 8, fol. 246r; *Comp. Metaph.*, lib. III, n. 12, p. 137

[6] *Epitome Logices*, fol. 156 vb; *In XII Metaph.*, n. 28, fol. 294v; fol. 295r.

[7] *In III Metaph.*, n. 4, fol. 43r.

[8] *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v.

[9] *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v; *In VI Topic.*, fol. 86vb.

mali sano, de cibo sano, de potione sana, de diaeta sana et de colore sano[1], et similiter «nomen causae dicitur aequivoce [secundum quid tantum sive analogice] super quatuor causis, scilicet materia et forma et fine et efficiente»[2].

Quae cum ita sint, dicendum est pure aequivocorum nullam esse communem definitionem neque descriptionem, cum nulla sit eorum communis intentio intellecta sive conceptus; univocorum autem e converso esse unam eandemque communem definitionem presse dictam, cum necessario conveniant in eodem genere remoto vel proximo aut etiam in eadem specie atoma, et ideo sunt perfecte definibilia, per terminos scilicet univocos, nam definitio presse dicta fit per genus proximum et differentiam ultimam, quae et ipsa univoca sunt; analogorum vero esse unam quandam communem descriptionem per terminos et ipsos analogos, non autem unam communem definitionem presse dictam, cum necessario sint diversorum generum et non conveniant in eodem genere vel in eadem specie sicut univoca[3].

588. Consequenter *analoga dividuntur* per modos intrinsecos diversarum significationum aliquo modo ordinatarum vel coordinatarum, idest per modos intrinsecos analogos; pure autem aequivoca aequivoce distinguuntur per diversa significata omnino disparata et nullum ordinem vel coordinationem inter se habentia; univoca vero univoce dividuntur per differentias extrinsecas vel superadditas generi dividendo[4].

---

[1] *Epitome Logices*, loc. cit.; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 65r; *In VII Physic.*, n. 31, fol. 309v.

[2] *Destructio destructionis*, disp. 4, dub. 2, fol. 147v.

[3] *Epitome Logices*, fol. 159v; fol. 194v; *Quaesita logicalia in librum Post. Analytic.*, quaestium primum, ibi., fol. 145v; *De primitate praedicatorum in demonstrationibus*, quaesitum quintum, ibid., fol. 116rb; *In VI Topic.*, n. 74, fol. 80r-87v (Lugduni 1542); *In VII Physic.*, n. 31, fol. 309v; *In II Post.*, n. 83, fol. 347v-348v;; *In VIII Topic.*, fol. 106v; *Destructio destructionis*, disp. 7, dub. 1, fol. 209v.

[4] *In II Topic.*, fol. 26vb.

Et ratione talis subordinationis vel coordinationis diversarum significationum, analoga dicuntur aliquando *genera*, sensu scilicet largiori, quem Averroes appellat *per quandam communitatem*, non autem sensu stricto pro primo praedicabili sub quo ordinantur sua inferiora *per consensum*, ut ipse dicit, idest secundum eundem omnino sensum vel definitionem[1]. Hoc enim genus presse dictum, quod est genus univocum, dicitur genus *primo et vere*; genus vero large supmtum, quod est genus analogum, vocatur potius genus *secundum narrationem vel proportionem*: verbi gratia, animal est genus presse dictum ad hominem et equum; ens autem et unum sunt genera large dicta ad diversa praedicamenta[2]. Cuius distinctionis, quae maximi est momenti, saepissime meminit[3].

Hoc ergo in sensu aequivoca secundum quid sive analoga dividuntur analogice secundum suos modos intrinsecos in *analoga secundum quid*, quae scilicet sunt diversorum generum physice et realiter tantum et non logice sive intentionaliter, ut materia sive potentia passiva et receptiva corporis corruptibilis et corporis incorruptibilis[4]; et in *analoga simpliciter*, quae nimirum sunt diversorum generum non tantummodo physice et realiter verum etiam logice et intentionaliter, ut acutum dictum de serra acuta, de sapore acuto et de sono acuto; «ratio enim acuti in serra est abscindere ligna, in vino autem est pun-

---

[1] *In I Post.*, n. 179, fol. 225rb; *In II Post.*, n. 80, fol. 344 rb.

[2] *Epitome Logices*, De definitionibus, fol. 187vb-188ra.

[3] Vídesis *In I Post.*, n. 179, fol. 225; *De primitate praedicatorum in demonstrationibus*, quaesitum quintum, fol. 116rb; *De demonstratione*, ibid., fol. 183ra; *In XII Metaph.*, n. 2, fol. 275r; n. 27, fol. 293v-294r; *Destructio destructionis*, disp. 7, dub. 1, fol. 209v; dub. 2, fol. 211r; disp. 8, dub. 1, fol. 230r; *Comp. Metaph.*, lib. II, n. 68, p. 115; lib. IV, n. 36, p. 229.

[4] *In X Metaph.*, n. 26, fol. 264r; *In III Metaph.*, n. 7, fol. 45v; *Comp. Metaph.*, lib. II, n. 80, p. 126; lib. IV, n. 69, p. 261; *De substantia orbis* (ed. M. Alonso, S.J., una *cum commentariis* Alvari Toleiani, Madrid 1941), cap. 1, p. 47; cap. 2, p. 173 et 184; cap. 3, p. 231, 239; cap. 4, p. 255; *Destructio destructionis*, disp. 5, dub. 2, fol. 170.

gere linguam, in pneumate vero percutere auditum fortiter» [1].

Analoga autem simpliciter dicta subdividuntur in analoga attributionis et in analoga proportionalitatis.

Illa dicuntur analoga *analogia attributionis* quae, diversa genere cum sint, uni tamen primo et principali continuantur a quo dependent et a quo idem nomen per quandam denominationem accipiunt, ideoque illi uni attribuuntur diversimode pro modo proprio uniuscuiusque secundum diversam relationem sive respectum quem dicunt ad illud, ita quidem ut huiusmodi attributiones in unoquoque eorum sint diversae, ordinatae tamen ad illud primum secundum prius et posterius: exempli gratia, «quoddam dicitur *medicum* quia acquirit artem medicinae ut homo medicus, quoddam quia convenit actioni medicinae ut diaeta, quoddam quia facit actionem medicinae licet non sit medicus ut vetula, vetula enim quae medicabat cum illa herba, sicut dicitur, agebat actionem medicalem licet non erat medica» [2]; similiter *esse in alio* dicitur diversimode de diversis secundum ordinem ad unum primum et principalem modum, qui est sicut aqua in vase et locatum in loco, nempe sicut contentum in continente: alia vero dicuntur esse in alio secundum similitudinem istius, et propinquior illorum huic est modus quo forma est in materia, deinde accidens in subiecto, postea pars in toto, consequenter particulare in universali, inde universale in particulari et totum in partibus secundum assimiliationem ad modum quo forma est in materia, tandem modus remotior est quo res aliquia est in suo agente et in suo fine [3].

Est igitur proprium analogiae attributionis habere unum primum et principale, cui essentialiter et plene et

---

1 *In VII Physic.*, n. 24, fol. 30r; *In II Post.*, n. 83, fol. 348va.
2 *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v-65v; *In V Metaph.*, n. 1, fol. 97v; *In VII Metaph.*, n. 15, fol. 159r; *Destructio destructionis*, disp. 7, dub. 5, fol. 224v-225r.
3 *In IV Physic.*, n. 23, fol. 125v.

formaliter convenit ratio significata per nomen quod et de illo formaliter et primo praedicatur; ceteris vero quae sub illo primo analogantur eique attribuuntur convenit ratio significata per nomen participative tantum et diminute et denominative ab illomet primo. Licet huiusmodi analogata secundaria non sint pure denominativa, quia retinent idem omne nomen principalis analogantis absque ulla casus variatione, verum est tamen nomen et definitionem suam accipere ab illo primo, quod et in definitione singulorum poni debet per additionem et de connotato: «vera siquidem scientia in talibus rebus quae dicuntur per attributionem est scientia primi quod est in illo genere [analogo] per cuius continuationem cum aliis attribuuntur illa alia ei, et a suo nomine denominantur» [1], sicut diversa genera accidentium a substantia quae est primo et principaliter ens, et ideo «substantia accipitur in definitione eorum et non e converso» [2].

Et propter hoc analoga attributionis «sunt media inter univoca et aequivoca» [3]: pure enim aequivocorum sunt plures intentiones omnino diversae absque ullo ordine inter se neque ad unum primum; univocorum autem sunt intentiones omnino eaedem, omnibusque ac singulis intrinsece et essentialiter et aequaliter conveniunt; sed analogorum attributionis sunt plures intentiones partim eaedem et partim diversae: diversae quidem secundum se et secundum diversum modum respiciendi unum primum, eaedem autem secundum principium et terminum respectuum sive habitudinum, qui est illud primum et unum a quo essentialiter dependent et cui attribuuntur, ideoque sub illo primo ordinantur secundum prius et posterius.

In his enim analogis primum est causa ceterorum, cui ideo primo et maxime et essentialiter convenit ratio sig-

---

1 *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 65r; n. 3, fol. 66v; n. 6, fol. 70v-71r; *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156 vb.
2 *In XII Metaph.*, n. 25, fol. 292r.
3 *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v.

nificata per nomen, dum ceteris aliis quae sunt ab illo et post illud non convenit ratio illa nisi secundario et participative [1]; qua de causa non sunt in eodem ordine sive gradu cum illo primo neque inter se [2], nam «omnia quae sunt sub primo principio non aequaliter habent ordinem» [3]. Quod si aliquando secundaria analogata participant vere et intrinsece, licet diminute, propriam intentionem primi analogantis ut accidentia participant vere et intrinsece intentionem entis realis quae primo et maxime convenit substantiae, hic modus participandi non est necessarius ad veram analogiam attributionis quae perfecte salvatur in puro respectu ad illud: «ista enim attribuuntur eidem, tamen illud idem *non est* in eis omnibus, sed *in respectu*; verbi gratia cum dicimus: herba medicinalis et instrumentum medicinale, attribuuntur eidem, idest medicinae, sed non est eadem intentio medicinae in instrumento sicut in herba, quoniam si ita esset, esset sermo in eis ipsa esse medicinalia sicut sermo in rebus multis vivis ipsa *esse* animalia» [4]; nimirum univoca, sicut animalia, sunt intrinsece et formaliter viventia et non per meram attributionem sive respectum ad vitam, e contra herba medicinalis dicitur sana et scalpellum sanum secundum purum respectum et habitudinem ad sanitatem animalis, cui soli convenit sanitas intrinsece et formaliter.

Quocumque tamen modo contingat haec analogia, scilicet sive per meram attributionem extrinsecam ex puro respectu ad illud primum sive per attributionem intrinsecam et formalem licet participatam et diminutam, semper verum est quod «talium [analogorum] proprietas est quod ascendant ad primum illius generis [analogici], quod est causa prima omnium appellatorum illo nomine:

---

1 *In II Metaph.*, n. 4, fol. 30; *In XII Metaph.*, n. 25, fol. 292r.
2 *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v-65; *In VII Metaph.*, n. 57, fol. 197r; *In XII Metaph.*, n. 2, fol. 274v.
3 *In XII Metaph.*, n. 52, fol. 318v.
4 *In VII Metaph.*, n. 15, fol. 159r.

verbi gratia, ut nomen caliditatis producitur ab igne et ab aliis calidis, vel nomen entis quod de substantia dicitur et de aliis entibus. Similiter dicimus quod nomen intellectus dicitur de Separatis Intelligentiis analogice apud philosophos, ita quod Primus Intellectus est causa aliorum: et sic similiter dicimus de Substantia [Prima]. Et probatio quod non habeat unam et eandem naturam communem est, quia quidam ipsorum est Causa aliorum, et id quod Causa est alterius praecedit causatum sine dubio, quia impossibile est quod natura Causae et causati sit una et eadem in genere [univoco] nisi in particularibus [et secundis] causis; et ideo haec species communicationis opposita est communicationi generali [generis univoci]. Res enim quae in genere [univoco] communicant non habent rem primam quae causa sit aliorum, immo *omnes sunt in uno gradu esse et in una et eadem natura.* Ergo si haberent [Intelligentiae] naturam communem videlicet naturam veri generis [univoci], sequitur etiam quod differant in quibusdam differentiis supra genus additis; ergo quaelibet ipsarum ex genere et differentia componitur: et quodcumque sic se habet, novum [=causatum] est sine dubio. Tandem quod est in summa perfectione oportet necessario quod sit unum; nam si unum non esset, non esset in summo gradu: id enim quod est in fine cuiusdam naturae non communicat cum alia [univoca communicatione]. Et quia Avicenna non aestimavit istam naturam [analogam, idest] *mediam* inter naturam significatam cum nominibus univocis et naturam rerum [pure aequivocarum] quae tantum in nomine communicant, sequitur eum dictum argumentum» Algazelis, idest valet argumentum Algazelis contra falsam positionem Avicennae, sed non valet contra veram et sanam philosophiam [1].

Analoga vero *analogia proportionalitatis* dicuntur ea quae, diversa genere cum sint, eandem vel similem prae-

---

1 *Destructio destructionis*, disp. 7, dub. 5, fol. 224v-225r.

seferunt habitudinem ad diversa quibus comparantur, atque ideo sunt unum comparatione et habitudine rerum diversarum ad «res diversas consimiles, sicut est *principium* quod dicitur de corde animalis et de fundamento domus et de [primo] extremo viae» [1], vel cum dicimus quod «dispositio intellectus ad animam est sicut dispositio sensus ad visum» [2]: quo etiam in sensu dicimus «quod proportio rectoris ad civitatem et gubernatoris ad navem est una» [3]; et similiter quod eadem est habitudo efficientis ad efficientem ac finis ad finem, ideoque recte arguimus: ita se habet causa efficiens sanitatem ad causam efficientem beatitudinis sicut se habet sanitas ad beatitudinem: sed beatitudo est dignior et melior quam sanitas; ergo et causa efficiens beatitudinis est dignior ac melior quam causa efficiens sanitatis [4].

Huiusmodi ergo habitudines comparatae non sunt eaedem simpliciter et totaliter ut in univocis, neque diversae totaliter et simpliciter ut in pure aequivocis si comparationis essent susceptiva, sed sunt aliquo modo diversae et aliquo modo eaedem: diversae quidem absolute et secundum se sumptae, eaedem vero ut comparatae et correlatae, hoc est, eaedem proportionaliter; verbi gratia, potentia et actus, qui sunt principia substantiae finitae, diversa sunt absolute et secundum se a potentia et actu qui sunt principia accidentis, quia ut sunt principia substantiae sunt reductive in categoria substantiae et ut sunt principia accidentis sunt reductive in categoria accidentis, sed si considerentur reduplicative et comparative ut principia substantiae et accidentis sunt proportionaliter idem, quatenus eadem proportione actus accidentalis est principium accidentis qua actus substantialis est principium substantiae, pariterque eadem propor-

[1] *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb; *In VII Physic.*, n. 31, fol. 309v-310r.
[2] *In I Topic.*, cap. 4, fol. 16ra.
[3] *In V Metaph.*, n. 12, fol. 111v.
[4] *In III Topic.*, § undecimus autem locus, fol. 36ra.

tione qua potentia substantialis est principium substantiae potentia accidentalis est principium accidentis [1]. Uno verbo: sunt «convenientes in genere [analogo] quod est unum proportionaliter, et diversae in vero genere [univoco], sicut causae substantiarum differunt a causis quantitatis et qualitatis» [2]; vel etiam: «sunt eaedem per assimilationem et diversae secundum naturam» [3].

589. Rursus analoga *analogia attributionis subdividuntur* in quatuor modos, secundum quod plura diversimode comparantur ad principium unum eique attribuuntur diversis modis sicut ad unum efficiens vel sicut ad unum finem vel sicut ad unum exemplar vel sicut ad unum subiectum [4]. Illud enim primum et unum cui analogata secundaria attribuuntur secundum prius et posterius aut est una causa efficiens prima, aut est una causa finalis ultima quae est prima in causando finaliter, aut est una causa exemplaris prima, aut denique est unum primum subiectum quod habet rationem causae quasi materialis primae *in qua*.

Ad unam quidem *causam efficientem* primam et principalem, sicut per ordinem ad causam principalem medendi, quae est medicus peritus et expertus, dicitur medicum sive medicinale instrumentum medendi ut scalpellum, et potio medicinalis ut pharmacum, et herba medicinalis ex qua potio medicinalis extrahitur, et diaeta medicinalis ut disponens subiectum ad medicationem, et imitans utcumque causam principaliter sanantem ut vetula quae medicamenta praescribit vel applicat ad medendum, licet careat vera arte medendi [5]. Similiter syl-

[1] *In XII Metaph.*, n. 22, fol. 290; n. 27, fol. 293v-294r; n. 28, fol. 294v.
[2] *In XII Metaph.*, n. 27, fol. 293v.
[3] *In XII Metaph.*, n. 29, fol. 295r.
[4] *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 64v-65r; *In IV Metaph.*, n. 10, fol. 75v; *In VIII libros Physic.*, prooemium, fol. 2v.
[5] *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 65r; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 99v; *Comp. Metaph.*, lib. III, n. 72, p. 194.

logismus apodicticus, qui est syllogismus faciens scire, dicitur de demonstratione a posteriori et de demonstratione a priori ex communibus et remotis secundum prius et posterius per ordinem ad demonstrationem a priori ex propriis et immediatis quae est demonstratio *propter quid* sicut ad primam et maximam demonstrationem: haec enim maxime facit scire, dein demonstratio a priori ex communibus et mediatis, tandem demonstratio a posteriori [1].

Ad unam *causam finalem* primam et principalem, quae est finis ultimus simpliciter vel in aliqua serie, sicut potio et purgatio et diaeta et ambulatio et cibus dicuntur sana in ordine ad sanitatem animalis, qui est finis ultimus in hac serie, quia omne quod est ante finem est propter finem ita ut unumquodque eorum sit finis eius quod est ante, et omnia sunt propter ultimum finem, idest propter sanitatem animalis, pro modo quo unumquodque concurrit ad sanitatem adipiscendam vel iam adeptam conservandam aut roborandam [2].

Ad unam *causam exemplarem* primam, sicut statua et pictura hominis dicuntur homo per attributionem ad hominem verum et vivum quasi ad exemplar quod imitantur et cuius sunt imagines [3]; et similiter homo inchoans viam virtutis et sapientiae, et homo proficiens in sapientia et virtute, dicuntur beati per ordinem ad hominem consummatum scientia et virtute, idest perfecte beatum, quem illi utcumque pro suo posse imitari satagunt [4].

Ad unum *primum subiectum* quasi ad unum materia-

[1] *De demonstratione*, fol. 183va, in fine et b.

[2] *In II Physic.*, n. 28, fol. 57r; *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 65r; *In V Metaph.*, n. 2, fol. 99v; *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb.

[3] *In octo libros Physic.*, prooemium, fol. 2v; *In V Metaph.*, n. 10, fol. 75v.

[4] *In octo libros Physic.*, prooemium, fol. 2v; *In XII Metaph.*, n. 17, fol. 285-286r.

le principium *in quo* plura diversimode sunt cuique diversis modis attribuuntur, sicut ens dicitur primo de substantia, quia non est in alio sicut in subiecto sed ei convenit esse in se, de novem autem aliis generibus entis dicitur ens quia sunt in substantia sicut in subiecto secundum prius et posterius, nam primo est quantitas, dein qualitas mediante quantitate, tertio actio et passio mediante qualitate, quarto relatio mediantibus quantitate et qualitate et actione vel passione, et sic de aliis. Itaque «hoc nomen ens, licet dicatur multis modis, tamen in omnibus dicitur ens quia attribuuntur primo enti quod est substantia, et istae attributiones in unoquoque eorum sunt diversae»: et quidem «praedicta attribuuntur substantiae, non quia est agens aut finis [aut exemplar] eorum, sed quia constituuntur [=sustentantur] per illam, et *subiectum* est eorum; et universaliter non dicuntur entia nisi quia sunt dispositiones [vel habitudines primi] entis», quod est substantia, puta extensio substantiae, dispositio substantiae, via ad substantiam, relatio substantiae [1].

590. Denique analoga *analogia proportionalitatis subdividuntur* in analoga analogia proportionalitatis propriae et in analoga analogia proportionalitatis metaphoricae.

Analogia *proportionalitatis propriae* dicitur quando consimiles rationes comparatae vere et intrinsece et formaliter conveniunt antecedenti et consequenti sive utrique membro proportionis. Verbi gratia, ita se habet intellectus ad intelligibile sibi proprium sicut se habet sen-

[1] *In IV Metaph.*, n. 2, fol. 65r; *In III Metaph.*, n. 16, fol. 58-59; *In IV Metaph.*, n. 3, fol. 66-67; n. 5, fol. 69v; *In VI Metaph.*, n. 4, fol. 142v-143r; n. 8, fol. 147v; *In VII Metaph.*, nn. 1-3, fol. 147v; 149; *In IX Metaph.*, n. 1, fol. 216v; *Comp. Metaph.*, lib. I, n. 19, pp. 16-18; *In I Physic.*, nn. 13-14, fol. 9v-10r; n. 25, fol. 15r; *Epitome Logices*, De praedicamentis, fol. 156vb; *Destructio destructionis*, disp. 5, dub. 2, fol. 170r; dub. 3, fol. 174.

sus ad sensibile sibi proprium [1]; sic se habet unitas ad numerum sicut punctum ad lineam [2]; ita se habet serenitas ad aerem sicut tranquillitas ad mare; hoc modo se habet Alkalipha ad mauros sicut Caesar ad romanos, «quia proportio illius quod significat Alkalipha apud mauros est idem proportione illi quod significat Caesar apud romanos» [3].

Qua etiam analogia utitur, post Aristotelem, ad explicandam materiam primam et formam substantialem, quae sunt principia intrinseca per se substantiae naturalis, scilicet ex analogia proportionalitatis propriae cum principiis intrinsecis per se operati per artem: sicut enim duo intrinsece et per se concurrunt ad operatum per artem, nempe subiectum et forma accidentalis, puta cuprum aut lignum et forma statuae vel lecti, ita duo intrinsece et per se concurrunt ad operatum naturale substantiale sive primum, scilicet unum ut subiectum potentiale primum quod ideo dicitur materia prima, et aliud ut forma vel actus quod proinde vocatur forma prima sive substantialis. Unde cum volumus notionem tradere materiae primae, «dicimus ipsam esse illud cuius proportio ad substantiam esse est sicut proportio cupri ad idolum aut ligni ad scamnum» [4]; quoniam «figura in scamno est similis formae in rebus naturalibus, et lignum est simile materiae» [5].

Insuper utrobique datur proportionaliter aliud principium per accidens, scilicet privatio, quia sicut figura statuae vel scamni fit ex ligno non figurato, ita ignis vel aqua vel animal cum generantur fiunt ex non-igne, non-aqua et non-animali [6].

---

1 *In I Topic.*, cap. 4, fol. 16ra; *In VII Physic.*, n. 2, fol. 302v; *In II Metaph.*, n. 1, fol. 29v.
2 *In I Topic.*, cap. 4, fol. 16vb.
3 *In I Topic.*, cap. 3, fol. 8va.
4 *In I Physic.*, n. 69, fol. 38r.
5 *In I Physic.*, n. 7, fol. 48r.
6 *In I Physic.*, nn. 74-76, fol. 40-41.

Et haec tria principia substantiae corporeae proportionaliter, idest analogia proportionalitatis propriae, inveniuntur in ceteris praedicamentis accidentium quae «habent ista principia secundum comparationem et proportionem» ad principia substantiae, quia «in unoquoque praedicamentorum accidentium inveniuntur principia quorum proportio ad illa est sicut proportio principiorum substantiae ad substantiam»: quo fit ut haec tria principia sint «eadem proportionaliter» in decem praedicamentis, non eadem absolute et simpliciter, eo quod prout sunt substantiae sunt substantialia et prout accidentium accidentalia, et hoc in sensu principia substantiae «differunt ab eis quae sunt cuiuslibet [alterius] praedicamenti, et similiter ea quae sunt uniuscuiusque praedicamenti [accidentalis] differunt ab aliis»; verbi gratia, «principia colorum secundum formam et privationem sunt album et nigrum, secundum autem materiam recipientem est superficies quae est in potentia omnes colores; et principia noctis et diei secundum formam et privationem sunt lux et obscuritas, secundum autem materiam recipientem est aer qui est in potentia luminosus et obscurus» [1].

Quia ergo «forma substantiae differt a se in aliis praedicamentis et similiter privatio et materia», ideo haec tria principia non dicuntur univoce de diversis praedicamentis; aliunde vero, quia neque perfecte sive totaliter differunt in eis, non dicuntur de ipsis pure aequivoce: consequenter, cum sint eadem secundum proportionalitatem, idest secundum comparationem et respectum et assimilationem, licet simul sint diversa absolute vel secundum naturam, concludendum est ea dici analogice analogia proportionalitatis propriae de omnibus et singulis praedicamentis. «Verbi gratia, respectus formae substantiae ad substantiam est sicut respectus formae

---

1 *In I Physic.*, n. 83, fol. 44v; *In XII Metaph.*, n. 22, fol. 290v; n. 26, fol. 292v; n. 27, fol. 293v.

qualitatis ad qualitatem et quantitatis ad quantitatem, quamvis non idem significet forma in unoquoque eorum; et similiter de privatione et materia... Ista igitur principia de eis dicuntur *in respectu*» [1], idest secundum habitudinem vel proportionalitatem eandem, cum sint eadem proportionaliter [2]. Id enim quod formale est in analogia proportionalitatis est similitudo secundum respectum seu habitudinem, vi cuius diversorum ad diversa sit eadem vel similis comparatio [3].

Quod si relinquamus principium per accidens, quod est privatio, et solum consideremus principia per se, scilicet materiam et formam, quae se habent ad invicem ut potentia et actus, dicere possumus potentiam et actum esse principia intrinseca omnium pradicamentorum: haec enim duo principia universaliter conveniunt omnibus praedicamentis, «quia quodlibet ens [praedicamentale] aliquando est in potentia, aliquando in actu», et tamen «sunt rerum diversarum diversa diversis modis», idest «secundum quod inveniuntur in rebus diversis sunt diversa et habent respectum ad entia modis diversis..., quia potentia et actus quae sunt principia substantiae sunt aliae a potentia et actu quae sunt principia qualitatis, et sic de aliis» [4]; et ideo conveniunt proportionaliter et analogice praedicantur de diversis generibus entis [5].

Similiter quia tot modis dicitur quidditas quot ens divisum in decem praedicamenta, eo modo convenit quidditas diversis praedicamentis quo eis convenit ratio entis, scilicet non univoce neque pure aequivoce sed analogice: et quidem non solum analogia attributionis ad

---

1 *In XI IMetaph.*, n. 28-29, fol. 294-295r.
2 *In XII Metaph.*, n. 22, fol. 290r; n. 27, fol. 293v.
3 *In V Topic.*, fol. 67vb-68ra; *Epitome Logices*, de Rhetorica persuasiva, fol. 202va.
4 *In XII Metaph.*, n. 26, fol. 292v-293r.
5 *Ibid.*, fol. 292v; *In V Metaph.*, n. 17, fol. 119; *In IX Metaph.*, n. 11, fol. 226-227.

unum primum subiectum quod est substantia, verum etiam analogia proportionalitatis propriae, eo quod unumquodque est realiter et intrinsece ens, ideoque proportionaliter constituitur sua potentia et suo actu [1].

Iam vero quot modis dicitur quidditas totidem modis dicitur et definitio, eo quod definitio respondet quidditati: interroganti enim *quid* est hoc vel illud, puta homo vel lapis, respondemus definitione [2]. Consequenter definitio vel descriptio convenit diversis praedicamentis analogice, tum analogia attributionis, tum analogia proportionalitatis propriae: «quemadmodum enim interrogamus per *quid* de quidditatibus substantiarum, similiter interrogamus per *quid* quoquo modo de aliis praedicamentis, verbi gratia *quid* est quantitas et *quid* est qualitas».

Constat autem quod «quidditas in substantia invenitur alio modo ab eo quo invenitur in aliis praedicamentis: in substantia enim invenitur simpliciter, et in aliis praedicamentis secundum quid; et ideo talis debet esse dispositio definitionum quae significant has duas quidditates: proportio enim definitionis ad definitionem debet esse sicut proportio quidditatis ad quidditatem» [3]. Propter quod «definitio primo et simpliciter et quidditas simpliciter, quam significat definitio, est substantiarum; et manifestum est quod etiam alia habent definitiones similiter, sed non primo modo, scilicet simplici, sed secundario» [4]. Omnibus ergo praedicamentis convenit suo modo habere definitionem vel descriptionem: quae quidem «definitiones non dicuntur eodem ordine nec quaeritur in eis perfectio eodem modo», sed secundum prius et posterius [5].

Tandem sicut quidditas rei constituitur ex principiis

---

1 *Destructio destructionis*, disp. 8, dub. 2, fol. 240r.
2 *In VII Metaph.*, n. 14, fol. 158r.
3 *In VII Metaph.*, n. 14, fol. 158v.
4 *Ibid.*, n. 16, fol. 159v.
5 *Ibid.*, n. 19, fol. 162r.

eius essentialibus et intrinsecis per se, quae sunt materia et forma vel potentia et actus, ita definitio essentialis constituitur ex nominibus significantibus et explicantibus illamet principia, scilicet nomine generis respondente materiae vel potentiae et nomine differentiae respondente formae sive actui. Unde «sicut est proportio definitionis ad rem, ita est proportio partis definitionis ad partem rei, idest quemadmodum definitio declarat quidditatem rei, ita pars definitionis declarat partem quidditatis rei» [1].

Eodem iure, quia quidditas naturae analogice convenit materiae et formae et composito ex materia et forma, idest «non univoce neque pure aequivoce, sed secundum prius et posterius»», consequenter et definitio convenit eis proportionaliter [2]. Pariter, quia quidditas motus physici analogice convenit motui generationis et corruptionis, motui augmenti et decrementi, motui alterationis et motui locali, cum primus sit ad substantiam, alter ad quantitatem, tertius ad qualitatem et ultimus ad ubi, et hae sunt diversa praedicamenta quae nonnisi analogice conveniunt, dicendum est quod et definitiones motus conveniunt eis proportionaliter tantum sive analogice. Quodsi et naturae et motus naturalis ut sic datur quaedam definitio sive descriptio communis et universalis, haec descriptio est analoga et per nomina analoga peracta, ideoque analogice intelligenda [3].

Analogia vero *proportionalitatis metaphoricae* appellatur quando rationes consimiles comparatae non conveniunt formaliter et proprie antecedenti et consequenti sive omnibus membris proportionis, sed uni tantum, alii vero nonnisi accidentaliter et improprie, per quandam translationem et accomodationem ab illo primo et per quandam similitudinem ad illud [4].

---

1 *Ibid.*, n. 33, fol. 176r.
2 *In II Physic.*, n. 3, fol. 46v.
3 *Ibid.*, et *In III Physic.*, n. 4, fol. 84r.
4 *In II Post.*, n. 84, fol. 349ra; *In VI Topic.*, fol. 80vb; *In VIII*

«Hoc autem contingit in rebus non sensatis, quae non possunt concipi nisi per ipsarum proportionales et per exempla» ordinis sensibilis, dummodo huiusmodi «accomodationes fiant ex rebus proximis rei substantiae, non ex remotis» [1]. Verbi gratia, cum Aristoteles sensum communem appellat centrum omnium sensuum externorum, quatenus sicut radii circuli confluunt a periferia ad centrum ita omnes sensus externi confluunt a periferia corporis sentientis ad sensum internum qui est sensus communis [2]. Hoc etiam modo analogiae Rex appellatur nauta status, quia sicut nauta ad navim ita se habet Rex ad statum; et sicut non convenit nautae inebriari, ita nec Regi [3]. Similiter quando dicimus quod «ita se habet rex in civitate sicut Deus in mundo, et sicut Deus est unus sic expedit quod rex sit unus» [4]. Et eadem analogia metaphorica homo vocatur parvus mundus [5]. Vel si dicamus materiam primam esse locum formarum, quia sicut locus est subiectum successionis formarum ita materia prima est subiectum successionis formarum substantialium [6]: aut quod «materia appetit formam sicut femina marem» [7]. Item, quando nomen boni et perfecti, quod proprie dicitur de rebus nobilibus, transfertur ad res ignobiles significandas in sui complemento; «sicut dicimus: iste est *mendax perfectus*, cum fuerit in summo mendacii; et iste est *latro perfectus*, cum fuerit in summo latrocinii» [8].

Denique huius modi analogiae dedit pulcherrimum exemplum dicens quod sicut «syllogismorum quidam est

---

Topic., fol. 106va; *Epitome Logices*, de praedicamentis, fol. 157r; De sophisticis elenchis, fol. 193rb; fol. 197rb; De Rhetorica persuasiva, fol. 102va; *In V Metaph.*, n. 17, fol. 120r; *In IX Metaph.*, n. 2, fol. 217v.
1 *In II Post.* n. 84, fol. 349va; *In I Physic.*, n. 81, fol. 43v.
2 *Ibid.*
3 *In I Topic.*, fol. 29ra.
4 *Epitome Logices*, Rhetorica persuasiva, fol. 202va.
5 *In VIII Physic.*, n. 17, fol. 331r.
6 *In IV Physic.*, n. 15, fol. 122v.
7 *In I Physic.*, n. 81, fol. 43v.
8 *In V Metaph.*, n. 21, fol. 126r.

vere syllogismus, quidam vero paralogismus qui videtur syllogismus absque hoc quod ita sit secundum veritatem, ita etiam hominum quidam est vere religiosus, quidam autem est hypocrita qui videtur religiosus cum reapse non sit; vel etiam eorum quidam est vere pulcher, quidam vero putatur pulcher propter fucum et ornamentum indumenti, vere autem non est pulcher: aut etiam sicut quoddam est verum aurum vel argentum, quoddam autem est aurichalcum vel stannum» [1].

Quam divisionem sequenti possumus tabella contrahere:

[1] *In I Elenchorum*, cap. 1, fol. 114rb-115a. Lugduni 1542.

AEQUIVOCA

- I) Simpliciter sive totaliter dicta = pure aequivoca.
- II) Secundum quid sive partialiter tantum dicta = ambigua, convenientia, *analoga*
  - A) *Perfecte* et simpliciter *dicta*
    - a) *attributionis* plurium ad unum primum
      - a) efficiens = secundum causalitatem *efficientem*.
      - b) finem = secundum causalitatem *finalem*.
      - c) exemplar = secundum causalitatem *exemplarem*.
      - d) subiectum = secundum causalitatem *quasi materialem*.
    - b) *proportionalitatis* plurium ad plura
      - a) *propriae*.
      - b) *metaphoricae*.
  - B) *Imperfecte* et secundum quid *dicta*.

Ex quibus apparet Averroem nova quidem non addere his quae ipse Aristoteles eiusque graeci commentatores tradiderunt ex quibus dependet[1], ea tamen et apprime calluit et nervose defendit, maxime contra univocismum plus minusve fucatum Alfarabi et Avicennae et contra aequivocismum sive agnosticismum Algazelis. Quantum enim ex diligenti et continuata lectione Operum eius coniici potest, Averroes fuit plene conscius momenti analogiae in tota philosophia vere aristotelica, praesertim quod ad veram cognitionem scientiamque de Deo rebusque divinis spectat. Unde et notat diligenter praecipuas et fundamentales notiones philosophicas esse analogas, verbi gratia notionem entis, unius, veri, boni, eiusdem, diversi, similis, aequalis, totius, partis, potentiae et actus, causae et effectus, principii et principiati, necessarii et contingentis, possibilis et impossibilis, naturae et motus, quidditatis et definitionis, demonstrationis et scientiae, compositionis et simplicitatis, finiti et infiniti, perfecti et imperfecti. Similiter animadvertit nomina communia Deo et creaturis non esse pure aequivoca neque univoca sed analoga, exempli gratia nomen entis, vitae, voluntatis, intellectus, scientiae, causae et aliorum

---

1 Averroes magna diligentia conatur exponere textum et doctrinam Aristotelis, adhibitis variis versionibus Operum eius, nam ipse certo linguam graecam non callebat. Quodsi plures ex his versionibus in linguam arabam erant imperfectissimae, utpote non directe ex fonte graeco derivatae sed ex prioribus versionibus syriacis hisque mediantibus, aliae tamen ex ipso textu graeco sat bono et depurato immediate promanarunt ope Honayn ibn Ishâg ac praesertim eius filii Ishâg ibn Honayn, qui apprime cognoscebant et linguam graecam et linguam arabam, multamque adhibuerunt diligentiam et in bonis originalibus graecis conquirendis et in eis fideliter vertendis in linguam arabam (cf. I. Madkour, *L'Organon d'Aristote dans le monde arabe*, chap. 1, Le mouvement traducteur de l'Islam, pp. 31-33, 40-47. Paris 1934). Porro Averroes non solum prae manibus habuit versiones indirectas et depravatas, verum etiam directas et optimas. Aliunde etiam cognoscebat praecipuos expositores graecos, ut Alexandrum, Porphyrium, Ammonium, Themistium et Philoponem, quos citat frequenter ac saepe corripit.

huiusmodi[1]: quo fit, ut de Deo eiusque perfectionibus et attributis veram scientiam, licet imperfectam et inadaequatam, habere possimus. Qua in re nemini dubium est Averroem S. Thomae praeluxisse viamque parasse, sicut et in pluribus aliis[2].

Art 3.- Divisio Analogiae apud expositores latinos

591. Exordium sumimus ab auctore opusculorum, *Principia Dialecticae* et *Categoriae decem ex Aristotele decerptae*, quae inter opera S. Augustini circumferuntur, licet primum tantum videatur esse authenticum[3].

Notat ergo in primis quod multis «rebus quas unum nomen complectitur duo vocabula ars dedit, ut ex his alia ὁμώνυμα alia συνώνυμα vocaret. Ὁμώνυμα sunt cum res quidem plures commune accipiunt, interpretatione vero eiusdem rei separantur, ut homo pictus et verus. In hoc namque idem nomen est; verum si ad definitionem vel ad interpretationem hominis redeas, inveniuntur ista disparia. Cum enim dixeris verum hominem animal esse quod risum capiat, et vim rationis admittat, cum de picto idem non possis diceret, necessario inveniuntur esse disparia... Haec igitur quoniam inter se discrepant solo sociata nomine, ὁμώνυμα dicta sunt, vocabulo iuncta, rei interpretatione discreta. Συνώνυμα vero sunt res quae

---

1 Cf. praesertim *Destructio destructionis*, disp. 1, dub. 11, fol. 25r; disp. 3, dub. 14, fol. 100r-101r; disp. 4, dub., 2, fol. 147v148; disp. 5, dub. 2, fol. 170r; dub. 3, fol. 174; disp. 6, dub. 2, fol. 187r-188r; dub. 5, fol. 199; disp. 7, dub. 1, fol. 209v; dub. 5, fol. 224-225r; disp. 8, dub. 1, fol. 230; dub. 2, fol. 240; disp. 10, dub. 3, fol. 263v-264; disp. 11, dub. 1, fol. 271r-272r; disp. 12, dub. 2, ol. 278v; dub. 3, fol. 279v-280.

2 Videsis M. Asin Palacios, *Huellas del Islam*. El averroísmo teológico de Sto. Tomás de Aquino, pp. 13-72. Madrid 1941.

3 De huius tamen authenticitate disputant adhuc critici. De secundo conveniunt omnes non esse foetum Augustini, licet nondum exploratum sit cuinam sit attribuendum. Utut sit, ea per modum unius consideramus, ad rem nostram quod attinet.

et nomine et sui interpretatione, ut est animal; id enim de homine et equo et de fera et de avibus dici potest: animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moveatur»[1].

Vel, ut clarius explicat auctor *Principiorum Dialecticae*, plura uno vocabulo nominata «aut uno vocabulo et una interpretatione, aut tantum uno tenentur vocabulo sed diversis expeditionibus explicantur. Ea quae una definitio potest includere, univoca nominantur: illis autem quae sub uno nomine necesse est definire diverse, aequivoci nomen est»[2]. «Haec igitur sunt univoca, quae non solum nomine uno, sed una etiam eiusdem nominis definitione clauduntur»[3]; aequivoca autem dicimus «esse, quae non ut uno nomine, ita etiam una definitione possunt teneri»: verbi gratia, nomen *Tullius*. «Hoc enim nomine, et ipse qui fuit summus orator, et eius picta imago vel statua, et codex quo eius litterae continentur, et si quid est in sepulchro eius cadaveris, significari potest. Diversis enim rationibus dicimus, Tullius ab interitu patriam liberavit, et Tullius incuratus in Capitolio stat, et Tullius tibi totus legendus est, et Tullius hoc loco sepultus est; unum enim nomen est, sed diversis haec omnia definitionibus explicanda sunt»[4]. Item nomen *acies*, quae significat diversimode aciem militum, aciem ferri, aciem oculorum, aciem mentis[5].

Notat praeterea aequivoca esse ambigua vel sub ambiguis contineri, eo quod «in ambiguo plura se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit [ex sola vi nominis] ignoratur», cum plures sensus unum nomen praeseferat, quasi ab uno puncto bivium, trivium vel multivium se exhibens[6].

---

1 *Categoriae decem*, cap. 2, ML 32, 1416.
2 *Principia Dialecticae*, cap. 9, ML 32, 1416.
3 *Ibid.*, paulo infra, col. 1416.
4 *Op. cit.*, cap. 10, col. 1417.
5 *Op. cit.*, cap. 9, col. 1416.
6 *Op. cit.*, cap. 8, col. 1414.

Consequenter divisionem aggrediens aequivocorum, docet quod haec «dividuntur in duas partes: aut enim fortuito fiunt, aut hominum *voluntate* nascuntur. *Fortuito* fiunt enim, cum quodam *casu* simile quis alteri nomen accipit: *voluntate*, cum similtudo nominis *ex industria* imponentis affigitur.

Horum autem, quae *industria vel voluntate* nascuntur, quatuor sunt genera: εἰκων, κατ᾽ ἀναλογίαν, ἀφ᾽ ἑνὸς, πρὸς ἓν, ut eadem latinus quoque sermo declaret: similitudo, proportio, ab uno, ad unum.

Similitudo est ut homo pictus et verus, qui in *sola* similitudine copulantur[1]. *Proportio* est, quod κατ᾽ ἀναλογίαν graeci vocant, ut quo pacto principium animalis cor dicimus ita principium aquae fontem dicamus; proportio enim sui similitudo nominis videtur adiuncta[2].

Ab uno est, cum dicimus a medicina medicinale ferramentum, medicinalis scientia, medicnalis usus, medicinale praeceptum; ab uno enim cuncta descendunt. *Ad unum* est, ut illa potio salubris est, ille medicus salubris est, ferramentum illud salubre: haec enim cuncta unum, idest salutem videntur attingere»[3].

Denique observat aequivoca ex industria *ab uno et ad unum* accedere aliquo modo ad denominativa, quae etiam ab uno nomen accipiunt; licet denominata diffe-

---

1 Auctor *Principiorum Dialecticae* vocat hunc modum *translationem*, quasi metaphoram: «*translationem* voco cum... similitudine unum nomen sit multis rebus, ut Tullius, et ille in quo magna eloquentia fuit, et statua eius dicitur» (cap. 10, col. 1417).

2 Textus est evidenter corruptus, cum nec sensum habeat ut iacet. Verus eius sensus aperitur ab Alcuino, qui ad litteram fere excribit definitiones et divisiones Auctoris huiusce opusculi addens tantum nonnullas verborum explicationes, ut cum κατ᾽ ἀναλογίαν latine reddit *pro parte* [=pro portione]; et ad exemplum huiusce modi aequivocationis veniens, ait: «*pro parte*, ut quo pacto principium animalis cor dicimus ita principium aquae fontem dicimus; pro parte quadam *utrique rei* similitudo nominis videtur adiuncta» (*Dialectiva*, cap. 3, ML 101, 956-957). Sensus ergo huiusce phraseos est: proportione enim rei similitudo nominis videtur adiuncta, idest nomen idem imponitur ob proportionem unius rei ad aliam.

3 *Categoriae decem*, cap. 2, col. 1421.

rant casu a denominante, dum aequivoca ab uno et ad unum retineant idem prorsus nomen absque ulla casus differentia. Iam vero denominativa «sunt in homonymorum et synonymorum *medio* constituta»[1]. Ex quo coniicere licet auctorem huius opusculi docere aequivoca ab uno et ad unum esse veluti media inter aequivoca a casu et univoca.

Patet autem vel leviter consideranti auctorem opellae *Categoriae decem* ex Porphyrio dependere[2], a quo mutuo divisionem accepit τῶν ὁμωνύμων fortasse mediante Themistio ad quem nominatim appellat[3].

592. Multo uberius et profundius de his egit *Boetius*. Univoca dicuntur quae «eodem nomine et eadem definitione iunguntur, ut homo et animal [puta bos aut equus]; utraque enim animalia dici possunt et utraque una definitione iunguntur [quatenus animalia]: est namque animal substantia animata sensibilis, et homo [ut animal] rursus substantia animata sensibilis»[4]. Aequivoca vero appellantur «quae nomine quidem congruunt, definitionibus discrepant», sive «quae iunguntur nomine, sed definitione dissentiunt», «ut est homo vivens et homo pictus; nam utrumque vel animalia vel homines nuncupantur: si vero quis velit picturam hominemque definire, diversas utrisque definitiones aptabit»[5].

Itaque univoca «sub eodem nomine et sub eadem substantia [=essentia, definitione] continentur»; aequivoca autem «nomine tantum communicant, substantia vero dissimilant»[6], seu «quae cum nomine una sint, longe

1 *Op. cit.*, cap. 4, col. 1422.
2 Cf. *supra*, n. 570.
3 «Ut *Themistio* nostrae aetatis erudito philosopho placet, de his Aristoteles tractare incipit quae percipiuntur...» (cap. 3, col. 1422).
4 Boetius, *In Aristotelis Categorias*, lib. I, ML 64, 163.
5 *Ibid.*, col. 164.
6 *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 7, ed. S. Brandt (Corpus Scriptorum ecclesiasticorum latinorum, vol. 48, Vindobonae 1906), p. 17, 23-24; p. 18, 1.

diversa substantiae ratione et definitione discreta sunt, ut si quis hanc verbi gratia statuam Veneris Venerem appellet: congruunt igitur Venus ipsa et statua Veneris unius nuncupatione vocabuli, quod utrisque Veneris nomen est; si quis vero quid sit utrumque definiat, longe aliam Veneris, aliam lapidis rationem definitionemque constituet»[1].

Consequenter «univoca sunt quae uno nomine atque eadem definitione constituuntur; aequivoca vero quae uno nomine sunt et non sunt una definitione substantiae» constituta, sed «definitionibus diversis constituuntur»[2]: univoca sub communi nomine sunt unaque definitione clauduntur; aequivoca vero, licet sub uno communi nomine sint, non possunt tamen una definitione concludi[3].

Sic ergo nomen univocum significat unam naturam universalem eodem modo participabilem a multis ac de illis eodem modo praedicabilem, ut est natura generica quae eodem modo est participabilis a pluribus speciebus sub ea contentis ac de eis eodem modo praedicabilis, et natura specifica quae pariter est eodem modo participabilis a multis individuis sub ea contentis ac de illis est eodem modo praedicabilis: nomen vero aequivocum e contra est una vox plures naturas significans non communicabiles ad invicem neque ideo de se invicem praedicabiles; vel saltem, si quidem unam quodammodo naturam communem significans, non participabilem eodem modo a pluribus quadantenus sub ea contentis neque eodem modo de ipsis praedicabilem, sed diversis modis communicabilem et participabilem diversisque modis praedicabilem de ipsis[4].

1 *Ibid.*, n. 12, p. 32, 15-26.
2 *Ibid.*, p. 33, 13-15; p. 32, 22; p. 33, 1, 4-5.
3 *In Porphyrii Isagogem editio secunda*, lib. I, n. 8, p. 155, 21-22; p. 156, 1.
4 *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. II, n. 15, pp. 113-114; n. 18, pp. 116-117; *editio secunda*, lib. III, n. 7, pp. 220-225; lib. IV, n. 7, pp. 304-309; lib. V, nn. 21-22, pp. 340-344; n. 24, pp. 346-347; *Quo-*

Porro «aequivocorum alia sunt casu, alia consilio. *Casu*, ut Alexander Priami filius et Alexander Magnus; *casus* enim id egit, ut idem utrique nomen poneretur: *consilio* vero ea quaecumque hominum *voluntate* sunt posita» [1].

Aequivoca *a casu*, quae et *pure ac simpliciter aequivoca* audiunt, dicuntur illa quorum *solum nomen* est commune, rationes vero plures per illud significatae sunt totaliter diversae, absque ulla ad invicem naturali convenientia, eo quod nomen illud plura ut plura principaliter seu aeque primo et proprie significat: verbi gratia, nomen canis aeque primo et proprie et principaliter significat canem latrabilem et canem marinum et canem caelestem, quin tamen eorum natura et definitio in nullo realiter conveniat [2]. Et propter hoc dicitur nomen pure aequivocum universale sive *totum in voce tantum*, non totum sive universale in natura; nihil enim communitatis habet praeter solum nomen [3].

E contra, aequivoca *a consilio*, quae et aequivoca *secundum* quid appellari possunt, ea dicuntur quorum non solum nomen est commune, verum etiam aliquo modo rationes diversae per illud significatae, utpote quae non sunt omnino diversae sed aliquo modo convenientes in uno primo quod principaliter respiciunt vel in simili quadam habitudine inter se, eo quod nomen illud non significat plura ut plura simpliciter et principaliter sed plura ut aliquo modo unum vel unum pluribus modis: verbi gratia, nomen «*infinitum* unam rem quidem significat, cuius terminus inveniri non potest; sed hoc dicimus aut

---

modo substantiae in eo quod sint, bona sint, ML. 64, 1311-1312; *De divisione*, cap. 2, ML. 64, 877-880; cap. 7-8, cols. 887-890.

1 *In Categorias Aristotelis*, lib. I, ML. 64, 166.

2 *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 7, p. 17, 22-25; *editio secunda*, lib. I, n. 8, p. 154, 16-20; *De divisione*, cap. 1, ML. 64, 877-878; cap. 2, cols. 878-880; cap. 3, col. 880; cap. 8, cols. 888, 889, 890; *De differentiis topicis*, lib. II, ML. 64, 1193-1194; *In librum de Interpretatione, editio prima*, lib. I, ML. 64, 302.

3 *De divisione*, cap. 2, col. 879.

secundum mensuram, aut secundum multitudinem, aut secundum speciem.

Secundum *mensuram*, ut est infinitum esse mundum, *magnitudine* enim dicimus infinitum: secundum *multitudinem*, ut est infinitam esse corporum divisionem, infinitam namque divisionum multitudinem significamus; rursus secundum *speciem*, ut infinitas dicimus *figuras*, infinitae enim sunt species figurarum. Dicimus *etiam* infinitum secundum *tempus*, ut infinitum dicimus *mundum* cuius terminus secundum tempus inveniri no possit. Eodem *quoque* modo infinitum dicimus *Deum*, cuius supernae vitae terminus inveniri secundum tempus non possit. Sic igitur haec vox non plura significat secundum se [idest ut absolute et simpliciter plura], sed *multimode* de singulis praedicatur, *unum* tamen [aliquo modo] ipsa significans», hoc est, rem aliquam cuius terminus quocumque modo vel quacumque ratione inveniri non possit [1].

Aequivocorum autem a consilio «alia sunt *secundum similitudinem*, ut homo pictus et homo verus, quo nunc utitur Aristoteles exemplo; alia *secundum proportionem*, ut principium namque principium est in numero unitas, in lineis punctus...; alia vero sunt quae *ab uno* descendunt, ut medicinale ferramentum, medicinale pigmentum, *ab una* enim medicina aequivocatio ista descendit; alia quae *ad unum* referuntur, ut si quis dicat: salutaris vectatio est, salutaris esca est; haec scilicet idcirco sunt aequivoca quod *ad* salutis *unum* vocabulum referuntur» [2].

593. Quibus in verbis Boetius, ut inspicienti patet, fere exscribit Porphyrium [3]. Revera tamen, secundum principia quae alibi tradit ipse Boetius, haec divisio quadripartita, quae fere reducitur ad simplicem enumerationem, potest meliori modo coordinari, dicendo quod aequivocorum a consilio alia sunt secundum participa-

---

1 *De divisione*, cap. 8, cols. 888-889.

2 *In Categorias Aristotelis*, lib. I, ML. 64, 166.

3 Cf. *supra*, n. 570.

tionem et denominationem ab uno primo et principali, alia secundum proportionem diversorum ad diversa.

Ea dicuntur aequivoca *secundum participationem* et denominationem ab uno primo et principali quorum ratio significata per nomen convenit illi primo et principali formaliter et essentialiter seu per essentiam, ceteris autem per participationem ab illo et denominative ab ipso: verbi gratia, Deus optimus Maximus dicitur Deus formaliter et per essentiam, iusti autem et sancti dicuntur dii per participationem et denominative; bonum convenit Deo per essentiam, creaturis per participationem et denominationem a divina et prima bonitate; Deo convenit beatitudo per essentiam, creaturis beatis per participationem et denominationem ab ipsa divina beatitudine [1].

Ea vero dicuntur aequivoce *secundum proportionem vel proportionalitatem* quorum unum se habet ad aliud sicut aliud ad aliud vel sicut alterum in altero sic aliud in alio: exempli gratia, sicut in ordine physico dicuntur eiusdem generis omnes homines descendentes per viam generationis ab uno primo stipe ita in ordine logico appellantur eiusdem generis omnes species quae sub uno primo et universaliori continentur et ab eo veluti descendunt per differentias divisivas eius et constitutivas specierum. Qua de causa species sub genere logico describuntur ordinatim descendendo arbore quadam, sicut omnes descendentes a communi stipe ordinatim describuntur arbore genealogica [2].

Dico autem secundum *proportionem vel proportionalitatem*, quia id quod in *Categoriis* appellat secundum *proportionem* [3], alibi vocat secundum *proportionalita-*

---

1 *De consolatione philosophiae*, lib. III, prosa 8 (ed. G. Weimber-
ger, corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum, vol. 57. Vindobo-
nae 1934), pp. 66-67; prosa 11, p. 69; *Quomodo substantiae in eo quod*
sunt bonae sunt sive De hebdomadibus liber, ML. 64, 1312-1313.
2 *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, nn. 12-15, pp. 32-44;
editio secunda, lib. II, nn. 2-4, pp. 171-183; lib. III, nn. 3-4, pp. 206-215.
3 *In Categorias*, lib. I, ML. 64, 166. «Multorum in multis [et ad

tem: verbi gratia, «genus ita est hominis ut est statuae aes, differentia vero sic est hominis ut est forma illa ex qua aes effictum est; nam sicut ex aliqua figura quae ex aeris materia efficta est cuiuscumque illius species statuae fit, sic etiam cum in genus, idest in animal venerit differentia, idest rationale, hominis species fingitur: ista igitur sibi proportionaliter sunt» [1]. Plerumque tamen Boetius distinguit *proportionem* a *proportionalitate*, quatenus *simplex proportio* est «*duorum terminorum* ad se invicem quaedam habitudo et quasi quodammodo continentia», dum *proportionalitas* est proportio proportionum, idest «*duarum vel plurium proportionum* similis habitudo» ideoque semper est inter quatuor terminos re vel ratione distinctos [2]. Qui usus apud posteriores scholasticos invaluit; licet proprie loquendo habitudo commensurationis *duorum* terminorum tantum, debeat dici *ratio* et non proportio [3].

594. Rursus, aequivoca a consilio secundum participationem et denominationem ab uno primo et principali subdividuntur in aequivoca *ab uno*, in aequivoca *ad unum* et in aequivoca *ab uno et ad unum simul*.

Aequivoca *ab uno* dicuntur illa quae diversimode participant virtutem causalem unius causae *efficientis* primae et principalis sui ordinis ideoque ab ea accipiunt diversimode denominationem causae: ejempli gratia, ab una causa prima et principali medendi, quae est medicus peritus et expertus, participant diversimode virtutem medicativam et denominationem medicinalis scalpellum quo utitur medicus ad medendum, et herba ex qua potionem medicinalem conficit, et ipsa potio quam porrigit aegroto, et balneum quod ei praescribit, et ambulatio vel

---

multa] similitudo, proportio est» (*De differentiis topicis*, lib. III, ML. 64, 1206).
1 *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. II, n. 6, pp. 94-95.
2 *De Arthmetica*, lib. II, cap. 40, ML. 63, 1145-1146; *De Interpretatione editio secunda*, ML. 64, 633-634.
3 Cf. *supra*, nn. 29 et 131.

quies vel quodcumque remedium quocumque modo concurrente et cooperante ad medendum [1].

Aequivoca *ad unum* bifarie contingunt. *Primo* quidem ad unum primum et principale *bonum*, videlicet omnia illa quae quoquo modo referuntur ad unum primum et principalem *finem* sui ordinis vel simpliciter. *Sui ordinis*, sicut per ordinem ad sanitatem corporalem animalis, quae se habet sicut supremum et maximum ideoque ut finis, dicuntur diversimode sana cibus sanus, medicina sana, aer sanus, habitaculum sanum, exercitium corporale sanum [2]; et per ordinem ad philosophiam realem prout maxime habetur in Philosophia Prima sive Metaphysica, quae est quasi summum bonum naturale intelligentiae humanae, dicitur philosophia Logica veluti organum vel instrumentum sive medium introeundi in philosophiam realem, et ceterae partes philosophiae realis dicuntur suo modo philosophiae quatenus inserviunt et manuducunt intelligentiam ad cognitionem Primae causae et Ultimi finis rerum omnium qui Deus est, in quo philosophia Metaphysica totaque philosophia consummatur [3].

Simpliciter autem, sicut per ordinem ab beatitudinem, quae summum bonum simpliciter est, bona omnia particularia et participata suo modo dicuntur bona, ut bona exteriora fortunae et bona corporis ut sanitas et puchritudo et integritas et bona interiora animae ut scientiae ac virtutes [4]. Et universaliter dicuntur hoc modo bona quaecumque pro sua quaque parte habent rationem medii ad finem aliquem particularem vel universalem.

Secundo, ad unum primum et principale *subiectum*, sicut omnia genera accidentium dicuntur entia diversimode secundum habitudinem ad unum primum et prin-

[1] *In Categorias*, lib. I, ML. 64, 166.
[2] *In Categorias*, lib. I, ML. 64, 166.
[3] *In Porphyrii Isagogen editio secunda*, n. 3, pp. 140-143.
[4] *In Porphyrii Isagogen editio secunda*, n. 3, p. 142, 9-10; *De Consolatione philosophiae*, passim, specialiter libro II et III.

cipale *ens* quod est substantiae cui inhaerent et a qua sustentatur [1].

Aequivoca *ab uno et ad unum simul* sunt illa quae diversimode dicuntur talia per ordinem ad unam causam exemplarem sui ordinis vel simpliciter quasi *ab exemplari descendentia et ad exemplar* quod imitantur suo modo ascendentia. *Sui ordinis*, ut homo pictus vel homo lapideus vel homo mortuus dicuntur homines per imitationem vel similitudinem quandam ad hominem vivum: plus enim accedit ad similitudinem Socratis vivi cadaver eius, quod eandem retinet materiam et quantitatem cum suis lineamentis quam statua eius lapidea; et plus assimilatur ei statua lapidea eiusdem dimensionis una cum similibus lineamentis quam pictura quae solum exteriora eius lineamenta imitatur [2].

Simpliciter vero, ut omnes creatae perfectiones ab una summa divina perfectione descendunt quasi ab ea exemplata ad eamque iterum redeunt, ipsam prout possunt imitando. Quo in sensu cecinit Boetius:

«... Tu cuncta superno
ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
mundum mente gerens similique in imagine formans
perfectasque iubens perfectum absolvere partes» [3].

595. Tandem aequivoca secundum proportionem sive proportionalitatem dispertiuntur in aequivoca secundum proportionalitatem propriam et in aequivoca secundum proportionalitatem metaphoricam. Expresse enim docet non omnem proportionem sive proportionalitatem fieri secundum metaphoram seu translationem, vestigia premens Porphyrii [4].

[1] *In Porphyrii Isagogen editio secunda*, lib. III, n. 7, pp. 220-225; *In Praedicamenta*, lib. I, ML. 64, 182.
[2] *In Praedicamenta*, lib. I, ML. 64, 166; *De divisione*, cap. 8, ML. 64, 890; *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 12, pp. 32-33; n. 7, p. 18; *editio secunda*, lib. III, n. 7, p. 223, 8-18.
[3] *De consolatione philosophiae*, lib. III, metro 9, p. 63, 22-25.
[4] *In Categorias*, lib. I, ML. 64, 166-167; *In Topica Ciceronis*, lib. III, ML. 64, 1099-1100; *De differentiis topicis*, lib. III, ML. 64, 1201-1206.

Secundum *proportionalitatem* quidem *propriam*, quando rationes comparatae utrobique sumuntur in sensu proprio, absque ulla translatione. Verbi gratia, sicut nomina sunt signa conceptuum ita conceptus sint signa rerum intellectarum [1], et «sicut litterae vocum in se similitudinem gerunt ita voces intellectuum» [2]; sicut se habet possibile ad impossibile ita se habet contingens ad necessarium [3], et sicut se habet affirmatio ad affirmationem ita se habet negatio ad negationem [4].

Similiter principia intrinseca per se proportionaliter conveniunt omnibus praedicamentis: sicut enim substantia corporalis essentialiter constituitur ex materia prima et forma substantiali ita substantia incorporea essentialiter constituitur ex potentia et actu, nam potentia proportionatur materiae et actus proportionatur formae; et quem ad modum ens substantiale componitur ex materia et forma vel ex potentia et actu quasi ex subiecto et forma eius, ita ens accidentale componitur ex subiecto cui inhaeret et ex propria forma qua in proprio genere constituitur: qua etiam de causa omnia praedicamenta constituuntur ex genere et differentia, quae proportionaliter correspondent materiae et formae sive potentiae et actui sive subiecto et formae.

Qua de re dignus est qui audiatur ipse Boetius egregie huiusmodi analogiam exponens. «Omnes, inquit, res vel ex materia formaque consistunt vel ad similitudinem materiae atque formae substantiam sortiuntur.

Ex materia quidem formaque subsistunt omnia quaecumque sunt corporalia; nisi enim sit subiectum corpus quod suscipiat formam, nihil omnino esse potest. Si enim lapides non fuissent, muri parietesque non essent; si lignum non fuisset, omnino nec mensa quidem quae ex ligni materia est, esse potuisset. Igitur

[1] *In librum de Interpretatione editio prima*, lib. I, ML. 64, 297-299; *editio secunda*, lib. I, cols. 402-405.
[2] *In librum de Interpretatione editio secunda*, lib. II, col. 417.
[3] *In librum de Interpretatione editio secunda*, lib. VI, col. 602-621.
[4] *Op. cit.*, lib. VI, cols. 633-636.

supposita materia ac praeiacente, cum in ipsam figura supervenerit, fit quaelibet illa res corporea ex materia formaque subsistens: ut Achillis statua ex aeris materia et ipsius Achillis figura perficitur...

Ea vero quae sunt incorporalia, ad similitudinem materiae atque formae habent suppositas priores antiquioresque naturas, super quas differentiae venientes efficiunt aliquid quod eodem modo sicut corpus tanquam ex materia ac figura consistere videatur, ut in genere ac specie additis generi differentiis species effecta est.

Ut igitur est in Achillis statua quidem materia, forma vero Achillis qualitas est quaedam figura, ex quibus Achillis statua quae subiecta sensibus capitur; ita etiam in specie, quod est homo, materia quidem eius genus est quod est animal, cui superveniens qualitas rationalis animale rationale, idest speciem facit. Igitur speciei materia quaedam est genus, forma vero et quasi qualitas, differentia: quod est igitur in statua aes, hoc est in specie genus; quod in statua figura conformans, id in specie differentia; quod in statua ipsa statua quae ex aere figuraque conformatur, id in specie ipsa species quae ex genere differentiaque coniungitur» [1]. Et sic «genus quidem quasi subiecti locum tenet, differentia vero formae; ita ut illud sit materia quaedam quae figuram suscipiat, haec vero sit forma quae superveniens speciei substantiam rationemque perficiat» [2].

Quam analogiam alio in loco nitidius evolvens, scribit: «namque si statuam dicas, constat statua ex aere verbi gratia et figura illa quam ei suus fictor imposuit, et est materia ex quo facta est aeris, figura vero, idest forma qua aes ipsum formatum est; nam si hominem formabis ex aere, erit hominis forma, aes vero materia. Eodem modo etiam genus: namque genus in modo materiae accipitur, differentia vero in modo formae. Etenim quemadmodum quaecumque illa res ex materia et forma consistit, sic etiam omnis species ex genere et differentia: namque genus ita est hominis ut est statuae aes, differentia vero sic est hominis ut est forma illa ex qua aes effictum est. Nam sicut ex aliqua figura quae ex aeris materia effecta est, cuiuscumque illius species statuae fit, sic etiam cum in genus, idest in

[1] *In Porphyrii Isagogen editio secunda*, lib. IV, n. 11, pp. 267-269.
[2] *Ibid.*, lib. V, n. 5, p. 302, 4-7; *editio prima*, lib. II, n. 12, p. 108, 24-27.

animal, venerit differentia, idest rationale, hominis species fingitur. Ista igitur sibi proportionaliter sunt.

Proportio autem est cuiuscumque illius rei, *similis* ad aliquam rem *cognatam comparatio*: ut puta si duo compares ad quatuor, dupla proportio est; sin vero viginti ad quadraginta, eadem dupla. Sub eadem ergo proportione sunt quatuor ad duo, sub quali quadraginta ad viginti: quod utrique duplex est numerorum comparatio.

Sic igitur qualis proportio est, idest comparatio materiae et figurae, talis est proportio generis et differentiae: et ista quatuor sibi proportionabiliter sunt. Eodem enim modo ex materia et figura species cuiuscumque illius fictionis formata est, quemadmodum ex genere et differentiis species cuiuscumque illius animantis inanimantisve formatur... Nam quae proportio est figurae ad materiam in efficienda cuiuslibet corporis fictione, eadem est proportio differentiae ad genus in efficienda cuiuslibet specie animati atque inanimati»[1].

Secundum *proportionem* vero *metaphoricam*, quando ratio comparata primi membri sumitur in sensu proprio, dum ratio comparata alterius membri accipitur in sensu improprio et translato propter aliquam similitudinem eius ad rationem proprie sumptam primi membri. Siquidem «translationes *a proprietate discedunt*, et *quadam similitudine* subiecta signant; est enim translatio quoties habentis rei nomen, propter alterius rei similitudinem, a re simili nomen imponitur: ut motus habet proprium nomen, item lusus suo vocabulo nuncupatur; sed qui dicit, qua *fluctus eluderet*, a similtudine agitationis ad fluctuum motum, vocabulum trasfert»: nam «hoc *eludere* ab his translatum est qui agitatione aliqua, causa *lusus*, moventur»[2]. Quapropter proportio quae «per translationem [fit], non proprietatis veritatisque, sed splendoris atque ornatus ratione perficitur, quod poetarum atque oratorum esse autumat [Tullius], quibus luculenta oratio curae est»[3].

---

[1] *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. II, n. 6, pp. 94-96.
[2] *In Topica Ciceronis*, lib. III, ML. 64, 1108.
[3] *Ibid.*, cols. 1107-1108.

Exempli gratia, «sicut dicitur pes hominis, ita quoque dicitur pes navis et pes montis: quae huiusmodi omnia secundum translationem dicuntur»[1]. Item, cum dicimus: adolescentia est flos aetatis, senectus occasus aetatis; quia sicut in arboribus flores praecedunt et veluti promittunt fructus, ita adolescentia praecedit et quodammodo promittit insignia opera aetatis virilis; et sicut dies est prope finem cum sol acciderit, ita senectus est prope finem vitae[2]. Similiter cum dicimus serenam mentem, serenam providentiam, quia sicut mare dicitur serenum cum non agitatur sed tranquillum est, ita et mens non concitata dicitur serena, itemque divina providentia[3]. Eodem modo, cum hominem vocamus μικρόκοσμον «sicut enim mundus ratione regitur, ita quoque quoniam homo multis partibus iunctus, habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici potest»[4]. Postremo, «ut sese gubernator habet ad navim ita magistratus ad civitatem»; nam proportione «similis est navis quidem civitati, gubernator autem magistratui»; et ideo sicut gubernator navis non sorte sed consilio et electione assumitur, ita et magistratus civitatis consilio et electione assumendus est, non sorte et puro casu[5].

596. Sic ergo ex his omnibus apparet Boetium concipere aequivoca a consilio veluti *media* inter univoca et pure aequivoca. Univoca enim conveniunt saltem in eodem genere supremo, aequivoca sunt diversorum generum: cum hac tamen differentia, quod pure aequivoca qua talia sunt diversorum generum ut disparatorum et nullo modo convenientium nisi in solo nomine, dum aequivoca a consilio ita sunt diversorum generum ut simul haec diversa genera aliquo modo conveniant in communi principio quod respiciunt et a quo denominantur vel in simili habitudine diversorum ad diversa; ideoque non solo nomine conveniunt, verum etiam in termino et funda-

---

[1] *In Categorias*, lib. I, ML. 64, 166.
[2] *In Topica Ciceronis*, lib. III, ML. 64, 1099, 1108; *De consolatione philosophiae*, lib. I, metro 1, p. 1, 7.
[3] *De consolatione philosophiae*, lib. II, metro III, p. 27, 21-22; lib. III, metro, 9, p. 64, 14-15.
[4] *In Topica Ciceronis*, lib. III, col. 1100.
[5] *De differentiis topicis*, lib. II, ML. 64, 1191; lib. III, col. 1197.

mento respectus ad unum vel ab uno aut in similitudine habitudinis et proportionis aliorum ad alia[1].

Et inde est quod univoca, ut species, sunt proprie loquendo definibilia definitione presse dicta; pure autem aequivoca qua talia nullo modo sunt definibilia, cum nullum habeant conceptum communem, sed solum nomen; aequivoca vero a consilio se habent *medio modo*, quia non sunt definibilia definitione proprie dicta cum non conveniant in eodem genere, simul tamen habent quemdam conceptum communem, et ideo sunt definibilia definitione large dicta, quae simplex descriptio dicitur[2]. Inde est etiam quod univocum est totum universale; pure aequivocum est totum mere nominale seu vocale; aequivocum autem a consilio est plus quam totum mere vocale et minus quam totum universale, utpote medium consistens inter haec duo tota, et ideo dici potest totum quoddam potestativum sive virtuale. Qua de causa, aliter dividitur univocum, aliter pure aequivocum, aliter aequivocum a consilio. Nam univocum, puta genus, dividitur ex natura rei per differentias in species quasi in partes subiectivas; pure aequivocum non dividitur ex natura rei neque per differentias, sed ex puro arbitrio loquentis ut vox communis in sua significata disparata et veluti dispersa; aequivocum vero a consilio dividitur ex natura rei per diversos modos significandi quasi in partes potestativas[3].

Inde quoque est quod univocum aequaliter participatur participatione essentiali ab omnibus et singulis suis

---

[1] *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 7, pp. 17-19; n. 12, pp. 32-33; n. 24, pp. 73-75; *editio secunda*, lib. I, n. 8, pp. 154-156; lib. III, n. 7, pp. 221-223.

[2] *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 4, pp. 11-12; nn. 7-8, pp. 17-22; *editio secunda*, n. 2, pp. 201-105; *In Aristotelis Categorias*, lib. I, ML. 64, 166; *De divisione*, cap. 6, ML. 64, 885-887.

[3] *De divisione*, cap. 1, ML. 64, 877; 878; cap. 2-3, cols. 878-881; cap. 5-8, cols. 884-891; *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. I, n. 9, pp. 22-23; *editio secunda*, lib. I, n. 8, pp. 154-157; *De differentiis Topicis*, lib. II, ML. 64, 1188; *In Topica Ciceronis*, lib. I, ML. 64, 1060.

inferioribus, de quibus et aequaliter sive eodem prorsus modo essentialiter praedicatur. Ita *genus* aequaliter participatur a suis speciebus: «namque equus et homo aequaliter animalia sunt, neque equus homine plus neque homo equo»[1]; «neque enim plus homo animal est quam equus atque bos, sed in eo quod sunt animalia, aequaliter animalis; idest generis ad se vocabulum [et definitionem] trahunt»[2]. *Differentia* aequaliter participatur a specie per eam constituta: «aeque enim omnes homines rationabiles sunt» «et rationalitate, quae est differentia, omnes qui ratione participant, *aeque* participant»[3]. *Species* eodem modo participatur ab individuis sub ea contentis sicut et definitio: «nam si animal rationale mortale hominis definitio est et hominum nihilo minus singulorum, non est dubium quin haec definitio ad omnes homines singulos *aequaliter* semper aptetur et nulli neque plus neque minus conveniat»[4]; ideo «*aequaliter* species sub se individuis se permittit et *aequaliter* individua specie ipsa participant, namque omnes homines *aequaliter* homines sunt et hominis participatione aeque participant»[5]. *Proprium* similiter eodem modo participatur ab eis, verbi gratia «proprium, quod est risibile, *aequaliter* omnibus hominibus est; omnes enim homines *aequaliter* risibiles sunt»[6]; «omne proprium aequaliter se his rebus quae sub se fuerint, dat, et ab his *aequaliter* participatur»[7].

Pure autem aequivocum nullo modo participatur secundum rem vel rationem a suis aequivocatis, eo quod secundum rem vel rationem non habet ullam communitatem, sed solum participatur secundum purum nomen.

Aequivocum vero a consilio medio quodam modo par-

---

[1] *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. II, n. 18, pp. 116-117.

[2] *In Porphyrii Isagogen editio secunda*, lib. V, n. 8, pp. 308-309.

[3] *Ibid.*, n. 15, 329-330; *editio prima*, lib. II, n. 2, p. 89; n. 20, p. 120.

[4] *In Porphyrii Isagogen editio prima*, lib. II, n. 2, p. 89.

[5] *Ibid.*, lib. II, n. 20, p. 120.

[6] *Ibid.*, n. 22, p. 122; n. 26, pp. 125-126.

[7] *Ibid.*, n. 31, p. 131; n. 15, pp. 113-114; *editio secunda*, lib. V, n. 8, pp. 309-310; n. 15, pp. 329-331; n. 19, pp. 336-338; n. 24, pp. 346-347.

ticipatur a suis inferioribus: participatur enim secundum nomen, ut pure aequivocum; participatur etiam secundum rem, ut univocum: participatur tamen plus quam pure aequivocum, quia plus quam secundum purum nomen; et minus quam univocum, quia non aequaliter sicut univocum, sed inaequaliter. Nam aequivoca ab uno et ad unum non participant qua talia ipsam essentiam illius primarii seu principalis, sed solum quandam virtutem eius; aequivoca etiam secundum proportionalitatem metaphoricam similiter non participant ipsam essentiam membri principalis et proprie dicti, sed solum quandam similitudinem virtutis eius; tandem aequivoca secundum proportionalitatem propriam participant quidem ipsam essentiam vel rationem proportionalem, non tamen aequalitate absoluta sicut univoca, sed aequalitate mere relativa et proportionali. Sunt enim similia tantum, non eadem essentialiter. «*Similia* autem a se in alia quidem re *diversa* sunt, in alia vero *congruunt*»[1]: «in similitudine enim tum rei similitudo *tum proportionis ratio* continetur» et ideo in aequivocis secundum proportionalitatem semper habetur «quaedam similium dissimilitudo» itemque similitudo quaedam dissimilium[2].

Propter quod in aequivocis ab uno et ad unum, quae quodammodo accedunt ad denominativa; et similiter in aequivocis secundum proportionalitatem metaphoricam, quae quadantenus accedunt ad aequivoca ab uno et ad unum, ratio significata per nomen convenit eis et praedicatur de ipsis secundum prius et posterius[3].

Qua quidem in re Boetius, qui ex Alexandro Aphrodisiensi et ex Themistio, praesertim vero ex Porphyrio et ex Ammonio dependet, doctrinam Aristotelis explica-

1 *In Topica Ciceronis*, lib. II, ML. 64, 1065.
2 *Op. cit.*, col. 1194.
3 *In Aristotelis Categorias*, lib. I, ML. 64, 167, 168; lib. 4, cols. 264, 401; *In librum de Interpretatione editio secunda*, lib. I, ML. 64, 193-194; *Quomodo substantiae in eo quod sint bonae sint, sive De hebdomadibus*, ML. 64, 1312-1313.

tam per hoc graecos commentatores latinis reddidit notam: et ex Boetio mutuo acceperunt scholastici.

597. Neque quidquam novi apud latinos usque ad medietatem saeculi XIII, quando scholastici doctores et Aristotelem et eius expositores tam graecos quam arabos suficienter notos habuerunt, invenire licet. Ita *Cassiodorus* simplici repetitione notionum aequivocorum et univocorum et denominativorum est contentus[1]. Quod si distinguat definitionem κατὰ μεταφορὰν ut cum dicimus quod caput est arx corporis, et κατ' ἀναλογίαν idest iuxta rationem, quae contingit cum maioris rei nomine res definitur inferior, ut est illud: homo, minor mundus[2], et ad Scripturae expositionem adhibeat[3]: haec fere puram grammaticam non excedunt. Pariter *S. Isidorus*, qui eadem exscribit ex Mario Victorino[4]; definitiones autem aequivocorum, univocorum et denominativorum, ex Marciano Capella[5], sicut et notionem analogiae ex Quintiliano[6] et Donato[7]. Quae vero tradit *Alcuinus* de definitione

1 CASSIODORUS, *De artibus ac disciplinis liberalium litterarum*, cap. 3, ML. 70, 1169-1170.
2 *Op.* et *loc. cit.*, cols. 1174, 1175. Quae ex Mario Victorino exscripta sunt.
3 Sic per metaphoram vel tropologiam Deus dicitur dormiens et exsurgens: «tropus autem est dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum locum in quo propria non est» (*Expositio in Psalm. III*, 6, ML. 70, 45-46), idest «cum mutatur nomen aut verbum ex eo loco ubi proprium est in eum in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est» (*In Psalm.* XXXI, 9, cols. 221).
Per analogiam autem «homines dicuntur dii et filii Dei, quae tunc exoritur quando maioris rei nomine res definitur inferior. Hoc etiam argumentum comparationis refertur a minore ad maius; minores sunt enim homines quam dii» (*In Psalm. LXXXI*, 6, col. 594).
4 S. ISIDORUS, *Etymologiarum*, lib. II, cap. 29, nn. 8 et 14. ML. 82, 149, 150; MARIUS VICTORINUS, *Liber de Definitione*, editus inter opera Boetii. ML. 64, 902, 904, 907.
5 *Op. cit.*, lib. II, cap. 26, n. 2, col. 144; MARTIANUS CAPELLA, *De nuptiis philologiae et septem artibus liberalibus*, lib. III, p. 121, Lugduni 1692.
6 *Op. cit.*, lib. I, cap. 28, n. 1, col. 104; QUINTILIANUS, *Institutiones oratoriae*, lib. I, cap. 6, nn. 3-4, ed. Spalding, vol. I, p. 151. Parisiis 1821; lib. II, cap. 11, n. 34, vol. II, pp. 300-301.
7 DONATUS, *Ars grammatica*.

univocorum et aequivocorum deque horum divisione in aequivoca a casu et in aequivoca a consilio, istorumque in aequivoca secundum similitudinem, secundum analogiam, ab uno et ad unum, ex opere pseudo - augustiniano, *Categoriae decem*, exscripta sunt [1].

Neque quidquem addit exemplis Aristotelis *Jacobus Venetus*, cuius videntur esse, demptis quibusdam interpolationibus et correptionibus, versiones *Analyticorum Priorum et Posteriorum, Topicorum et Elenchorum Stagiritae* [2]: sicut neque *Tepa* in suis *Glosis super Isagogen Porphyrii* [3].

Quae autem habentur in Scriptis philosophicis *Abaelardi*, ex Boetio fere sunt excripta [4]. Et similiter apud *Joannem Saresberiensem*, qui uno verbo contrahit notiones univocorum, aequivocorum et denominativorum, dicens univoca eodem sensu, aequivoca non eodem sensu, denominativa non prorsus eodem nec prorsus diverso sensu de suis inferioribus praedicari [5].

---

[1] Alcuinus, *De Dialectica*, cap. 3, ML. 101, 955-956; Pseudo-Augustinus, *Categoriae decem*, cap. 2, ML. 32, 1421.

[2] Editae inter Opera Boetii, ML. 64. Videsis *Post. Analytica*, lib. I, cap. 8, col. 722; lib. II, cap. 17, col. 759; *Topica*, lib. I, cap. 13, col. 920; cap. 14, col. 922; lib. IV, cap. 1, col. 942; cap. 6, col. 952; lib. VI, cap. 5, col. 982; *I Elenchorum*, cap. 3, col. 1010.

[3] Edit. Cl. Baeumker («Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters», Bd. XXIV, Münster 1924), n. 78, pp. 38-39; n. 205, p. 52; nn. 149-153, pp. 46-47.

[4] Videsis *Glossas super Porphyrium*, ed. B. Geyer (*Peter Abaelards Philosophische scripten*, «Beitrage zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters», Bd. XXI, Münster 1919), p. 53, 79; *Glossas super Praedicamenta Aristotelis*, pp. 117-123; *Glossulas super Porphyrium*, pp. 551-552, 564-565; *In librum de Interpretatione*, ed. V. Cousin, *Ouvrages inédits d'Abélard*, Paris 1936, p. 211; *Liber divisionum et definitionum*, ibid., pp. 451, 453, 461, 471, 475, 476-477, 479, praesertim pp. 481-484, 486-487, 490.

[5] Ioannes Saresberiensis, *Metalogicus*, lib. III, cap. 2, ML. 199, 893; cap. 3, col. 895. Quod et Anonymus quidam, qui versibus contraxit Isagogen Porphyrii et Categorias Aristotelis, effert hoc modo:

«Sumit ab omonymis tractandi synonymisque
principium, propium dicens hoc *omonymorum*
nomine concordent ut solo, non ratione,
ut canis est pictus, latrabilis atque marinus,
synonymis autem *nomen dedit et rationem*,

598. Inde vero a prima medietate saeculi XIII incoeperunt theologi applicare has notiones divinis nominibus et praedicationibus; qua occasione solent tradere nonnullas divisiones aequivocorum vel analogorum, prout ad elucidandas quaestiones theologicas necessariae erant vel utiles, praesertim divisionem analogiae in propriam et metaphoricam, quae maximae est utilitatis in Theologia Sacra. Eo vel magis quod eam invenerunt expresse traditam et adhibitam ab Augustino et a Pseudo-Dionysio et a Joanne Damasceno et constanter retentam a theologis duorum saeculorum praecedentium.

Ita *Guilelmus Autissiodorensis* explicite recolit distinctionem inter univoca et pure aequivoca. Mere aequivoca solo nomine conveniunt [1]; univoca autem conveniunt et nomine et re significata per nomen [2].

Sunt autem plures modi univocorum pro diverso modo convenientiae in re vel ratione significata per idem nomen. «Est enim quaedam univocatio *per conformitatem*, sicut hoc nomen homo est univocum ad omnes homines et album ad omnia alba» [3], quia scilicet conveniunt in *eadem forma* per nomen significata; et huiusmodi sunt quinque universalia, nempe genus, differentia, species, proprium et accidens [4], quae idcirco appellari possunt univoca presse et simpliciter dicta. Aliae vero sunt univocationes large et improprie dictae, quasi per imitationem quandam univocationis proprie sumptae, «et ideo communitas illarum est magis communitas analogi quam univoci», ut scite interpretatur S. Albertus Magnus [5], licet ipse Guilelmus nomen analogiae non adhibeat, cuius ne-

---

ut generis ratio speciebus congruat *aeque*».
(ed. V. Cousin, *op. cit.*, Appendix, V, p. 659).

[1] Guilelmus Autissiodorensis, *Summa Aurea*, lib. I, cap. 5, fol. 10ra. Parisiis, Pigouchet, 1500.

[2] *Ibid.*

[3] *Ibid.* Solutio.

[4] *Ibid.*, arg. 1 sed contra; cap. 4, solutio, fol. 8vb.

[5] S. Albertus Magnus, *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 1, ad 3 contra 4 sententiam, ed. cit., t. 31, p. 471b.

que explicitam et distinctam notionem habere videtur, sed admodum confusam et implicitam.

Nam «*secunda* univocatio est *secundum generalem naturam intellectus*: est enim intellectus imago Dei habens similitudinem cum qualibet re, et propter hoc intellectus imago est cuiuslibet; unde cum utitur seipso sicut imagine, sub ipso intelligit omnia: et hoc modo univocum est *res* ad res creatas et increatas in illa divisione: rerum quaedam sunt quibus fruendum, quaedam sunt quibus utendum.

Tertia univocatio est *per denominationem formae quae est ex parte animae*, ut intelligibile, opinabile et similia; et hoc modo univocum est hoc nomen *notio* ad proprietates personales.

Quarta univocatio est *secundum convenientiam effectuum*, sicut dictum est supra de hoc nomine iustus [1]: et hoc modo, hoc nomen persona univocum est ad personas creatas et increatas, quia rationalitas creata et rationalitas increata conveniunt in effectu...

Si autem quaeratur utrum significatio huius nominis *persona* proprie dicitur univocum per convenientiam effectuum propria an metaphorica, dicimus quod est mixta, quia quantum ad efectus propria est.

Quinta univocatio est *per convenientiam in privatione vel in negatione*, sicut non album est univocum ad omne quod non participat albedinem: et hoc modo persona univocum est ad omnes personas increatas, quia hoc nomen *Pater* significat paternitatem quae distinguit Patrem et facit ipsum non esse Filium nec esse Spiritum Sanctum, sed non significat illam ut distinctionem, unde non importat illam privationem nisi per consequens; sed hoc nomen *persona* significat ut distinctionem, unde importat privationem quae communis est tribus personis, quia quaelibet non est alia... Concedimus enim quod nihil

[1] Guilelmus Autissiodorensis, *Summa Aurea*, lib. 1, cap. 4, solutio, fol. 8vb.

est quod sit commune tribus personis praeter essentiam, sed in privatione communicant, et hoc non est inconveniens» [1].

Quidquid autem sit de quinto modo, de aliis tribus facile est videre ad quem analogiae modum reducantur; nam secundus et quartus modus revera continent analogiam proportionalitatis, tertius vero analogiam attributionis.

Intellectus namque dici potest imago Dei per quandam similitudinem proportionis: sicut enim in Deo sunt similitudines omnium rerum, utpote qui habet omnium rerum ideas, ita etiam in intellectu nostro natae sunt esse omnium rerum similitudines in quantum omnes res possunt intelligi ab intellectu nostro, qui et omnium rerum species intelligibiles natus est recipere.

Praesertim vero iustitia dicitur de Deo et hominibus secundum analogiam proportionalitatis. «Revera, inquit, iustitia causata et iustitia incausata in nullo conveniunt: nec in genere, nec in specie, nec in proprio, nec in accidente; ideo aequivoce dicitur iustus de Deo et Petro. Sed quoniam aliquo modo conveniunt in effectu, ideo univocantur in hoc nomine *iustus*. Sicut enim iustiae creatae est reddere unicuique quod suum est, ita illud idem convenit justitiae increatae: et ideo quia iustitia increata convenit cum iustitia creata in suo effectu essentiali, ideo univocantur. Et cum iustitia creata sit virtus et teneat medium in sua operatione, iustitia increata magis tenet medium: medium enim in qualibet virtute latitudinem habet, quod medium iustitia increata summe tenet; et ideo dicitur Deus magis iustus quolibet alio sancto, propter effectum in quo magis tenet medium iustitia increata» [2].

Univocatio autem per denominationem ab aliquo uno et primo revera reducitur ad analogiam attributionis:

[1] *Ibid.*, cap. 5, solutio, fol. 10r.
[2] *Ibid.*, cap. 4, solutio, fol. 8vb.

sicut diaeta dictur sana ex eo quod est conservativa sanitatis animalis; et urina vocatur sana in quantum est significativa sanitatis animalis [1]; et temperantia dicitur prudens «propter habitudinem quam habet ad prudentiam, a qua regitur, dirigitur, ordinatur» [2]; et filii Dei dicuntur dii per similtudinem ad Deum vere et essentialiter dictum [3].

Tandem analogia proportionalitatis distinguitur in propriam et metaphoricam. Est enim duplex theologia: symbolica et mystica. «Symbolica theologia nominat Deum ab inferiori, Mystica a superiori. Dicitur enim symbolum a sym, quod est cum; et bolos sive bule, quod est sententia, quasi consententia, idest convenientia. Unde et theologia symbolica est quae nominat Deum per convenientiam rerum, ut cum dicitur leo, ignis et huiusmodi: Mystica vero theologia, quae dicitur mystica, idest occulta, nominat Deum per id quod in occulto de Deo sentit per intellectualem visionem sive contemplationem, ut cum vocat Deum suavem, dilectum et huiusmodi. Utrobique tamen per creaturas nominatur: sed in symbolica per exteriores creaturas, in mystica vero per interiores et occultas et digniores effectus quos anima a Dei contemplatione supra se recipit; et talia nomina imponit anima per donum sapientiae, cuius maxime et proprie est cognoscere experimento qualis Deus sit» [4].

599. Haec tamen sunt nimis rudimentaria et impraecisa. Multo clarius et distinctius rem expendit *Guilelmus Alvernus*. Notat enim univoca esse quae eodem nomine eademque intentione conveniunt et quidem essentialiter eodemque modo, ut genus, puta animal, dicitur essentia-

---

[1] *Ibid.*, cap. 3, solutio, fol. 8ra; lib. III, tract. 14, cap. unic., fol. 206vb.
[2] *Op. cit.*, lib. III, tract. 14, cap. unic., fol. 206vb.
[3] *Op. cit.*, lib. I, cap. 3, fol. 6r.
[4] *Ibid.*, cap. 2, solutio, fol. 5ra.

liter de omnibus speciebus animalium aequali modo [1]; aequivoca autem esse quae eodem nomine conveniunt quidem, sed intentione differunt. Quod si haec diversitas intentionis significatae per nomen tanta sit ut nullam secum convenientiam praeseferat, dicitur pura aequivocatio; sin autem secum involvat aliquam convenientiam, non dicitur pura aequivocatio, sed analogia, puta ens commune ad substantiam et accidens [2].

Univoca ergo, cum sint eiusdem generis vel speciei, sunt proprie et perfecte comparabilia; pure aequivoca, cum ita sint diversorum generum ut nihil commune habeant praeter solum nomen, nullo modo sunt comparabilia; aequivoca vero secundum quid tantum seu analoga, cum in aliquo communi conveniant, non obstante quod sint diversorum generum, sunt comparabilia aliquo modo tantum, idest large et imperfecte [3].

Porro aequivoca secundum quid sive *analoga bifarie contingunt*. Uno modo, *secundum participationem* plurium ab uno primo et summo, cui soli convenit nomen per essentiam et tota plenitudine veritatis, ceteris vero nonnisi per participationem et denominative ab illo, verbi gratia esse primo et principaliter et per essentiam convenit soli Deo, ceteris autem praeter Deum nonnisi per participationem et denominative a Deo: «non autem te conturbet identitas participati quasi per hoc cogaris omnia aequaliter et univoce confiteri; quia sanitas una praedicatur de homine et urina et medicina et cibo, non tamen univoce et aequaliter: ad hunc modum se habet in primo esse; etsi enim ab omnibus participetur, non tamen aequaliter nec eodem modo» [4]. Similiter nomen *Deus*

---

[1] Guilelmus Alvernus, *De virtutibus*, cap. 12, ed. Venetiis 1591, p. 154b; *De universo*, I P., Primae partis, cap. 3, pp. 562-563; II P., cap. 34, p. 788a; *ibid.*, cap. 20, p. 813b; II P. Primae partis, cap. 9, p. 654a.
[2] *De universo*, II P. Secundae partis, cap. 68, p. 867.
[3] *De universo*, II P. Primae partis, cap. 9, p. 654a; II P. Secundae partis, cap. 71, p. 864.
[4] *De Trinitate*, ed. Aureliae, 1674, t. II, p. 9, apud de Wulf, *Histoire de la Philosophie medieväle*6, t. II, p. 78.

de solo vero et vivo Deo dicitur per essentiam; de sanctis autem et filiis Dei, qui et dii appellantur, nonnisi per participationem et denominative a vero Deo; de idolis vero, qui nuncupative tantum dicuntur dii, praedicatur hoc nomen per puram fere aequivocationem[1]. Item, nomen culpae sive peccati primo et principaliter dicitur de solo peccato actuali mortali, de veniali autem et de originali nonnisi secundario et quasi per participationem ab illo[2]. Sic etiam nomen *homo* dicitur essentialiter de homine vero et vivo, de homine autem picto nonnisi per participationem et denominative a vivo et vero homine, quia «non est aliud homo pictus quam pictura seu picta similitudo hominis»[3]. Et universaliter omnia nomina quae proprie de Deo dicuntur, ut ens, verum, pulchrum, sapiens, potens, de solo Deo dicuntur per essentiam et tota plenitudine significationis absque ulla imperfectione vel limitatione, «aliis autem non applicantur [univoce et secundum eandem intentionem, sed non] nisi aequivoce et secundum quid vel ad aliquid vel qualiqualem et longissime distantem a Creatore similitudinem. Quantum igitur ad huiusmodi nominationes et denominationes, veritates ut ita dicatur, sunt apud Creatorem: in creatura autem solae similitudines huiusmodi veritatum, iuxta modum quo similitudines inter Creatorem et creaturas esse possibile est et conveniens cogitari»[4].

Alio modo, *secundum proportionalitatem* quandam, idest similitudinem habitudinis plurium ad plura, nam proportionalia dicuntur quae similiter se habent ad sua[5].

Quae quidem proportionalitas duplicem modum induit: alium proprium, alium metaphoricum, prout ratio comparata utrobique sumitur proprie vel proprie tantum

[1] *De Universo*, III Pars Primae Partis, cap. 29, p. 755b.
[2] *De Vitiis et peccatis*, cap. 1, p. 251a; cap. 8, p. 269a.
[3] *De Universo*, I P. Secundae Partis, cap. 37, p. 790a.
[4] *Ibid.*, cap. 32, pp. 786b-787a, 788a.
[5] *De Legibus*, cap. 21, p. 58b.

in uno extremo et in alio improprie sive per translationem.

Exemplum proportionalitatis *propriae* habetur cum dicimus: ita se habet paena ad paenam sicut culpa ad culpam; et ideo sicut culpa sive peccatum non dicitur secundum eandem rationem de peccato actuali mortali et de peccato veniali et de peccato originali, ita etiam paena propria eis debita non dicitur secundum eandem rationem de paena peccati mortalis et de paena peccati venialis et de paena peccati originalis: quo fit ut, sicut ratio peccati non dicitur univoce sed analogice de tribus illis generibus peccati, ita neque ratio paenae dicitur univoce sed analogice de tribus generibus paenae correspondentis[1].

Item, cum dicimus ita se habere gaudia aeterna futurae vitae seu gloriae ad gaudia temporalia praesentis vitae sicut se habent bona aeterna futurae beatitudinis ad bona temporalia et sensibilia vitae praesentis. «Inter gaudia vero gloriae, inquit, et gaudia praesentis vitae non per aliam etiam viam potest tibi acquiri certitudo de hoc videlicet quam *per proportionalitatem*, ut ita dicam, amoris ad amorem et bonorum illorum ad bona vitae istius. Si enim in infinitum maior est amor bonorum illorum quam possit hic esse bonorum praesentium, erit ex necessitate *similiter* gaudium ad gaudium: *similis* [namque] est via ex parte infinitae maioritatis bonorum illorum ad bona haec; pro magnitudine enim bonorum obtentorum necesse est esse magnitudinem de huiusmodi obtentu gaudiorum»[2].

Exemplum autem proportionalitatis *metaphoriace* est cum homo appellatur microcosmos, propter similem habitudinem quam habent partes hominis inter se et partes mundi maioris inter se[3]. Similiter virtutes *cardinales* dicuntur tales per analogiam proportionalitatis metaphoricae ad *cardines*, «quia tota vita humana circa eas volvitur et ab eis operatur; et si ab eis exierit vel ab una earum, necesse habet cadere vel in parte vel in tota: *quemadmodum* ostium se habet ad cardines suos; tota vero vita ista velut ostium est quo vita beata nobis aperitur cum bona fuerit, clauditur vero cum illa mala fuerit. Bona enim vita praesens ingressus est in illam et tota ex his cardinibus pendere et portari videtur, *quemadmodum* ostium a cardinibus»[4].

[1] *De Virtutibus*, cap. 32, p. 183b; *De Vitiis et peccatis*, cap. 1, p. 251a; cap. 8, p. 269.
[2] *De Universo*, II P. Secundae Partis, cap. 61, p. 864a.
[3] *De Universo*, ibid., cap. 3, p. 800a.
[4] *De Virtutibus*, cap. 12, p. 156.

Et secundum hoc quaedam nomina, quae proprie dicuntur de creaturis corporalibus, ut sol, luna, terra et alia huiusmodi, nonnisi metaphorice transferuntur ad Deum: hae namque «nominationes *propriae* sunt eis [=creaturis corporalibus] secundum istas intentiones, nec ullo modo secundum eas transferuntur ad Creatorem vel ad spirituales et abstractas substantias, sed magis *per similitudinem aliquam*, quemadmodum apud Prophetas *Sol* iustitiae et *Sol* intelligentiae interdum nominatur...: *terra* vero, sive cum dicitur apud Prophetas *terra* viventium, sive etiam cum dicitur in lege hebraeorum *terra* manans lacte et melle, iuxta *similitudines* acceptas a Prophetarum et philosophorum sermonibus, *per nonnullas similitudines* accipitur; ipse enim, idest Creator, est *velut patria et urbs quaedam* sanctorum angelorum et sanctarum animarum in eodem beate viventium; est et *tanquam regio* delitiis spiritualibus affluentissima, de qua torrens voluptatis et fluenta delitiarum spiritualium per emanationes in omnes exercitus militiarum spiritualium incessanter et indeficienter inundant. *Terra* igitur dicitur *ex similitudine habitationis*, quae habitatio praenominatorum civium est lacte vero et melle manans ex redundantia praedictarum delitiarum» [1].

Alia vero sunt nomina quae, ex adverso, proprie dicuntur de solo Deo, et nonnisi metaphorice ad creaturas transferuntur: verbi gratia, *creator* dicitur *proprie* de solo Deo, quia ei soli convenit *creare* creatione *proprie* dicta, qua scilicet tota res ex nihilo fit; et nonnisi *metaphorice* dicuntur homines *creatores*, quatenus ex nihilo meriti *creant* aliquem in regem, vel sacerdotem. «Abhorret enim audire, tanquam impium atque nefarium, verbum *creandi* de omni alio a Creatore, *nisi translata significatione et intentione*» [2].

Alia denique tam de Deo quam de creaturis *proprie* dicuntur, licet de Deo per prius et secundum totam vim et plenitudinem significationis, de creaturis vero per posterius et secundum participationem quandam. «Nominationes quaedam, inquit, secundum veritatem *exactissimam* et positionem nominum *primitivam proprie* conveniunt Creatori; *communicat* tamen huiusmodi nominationes vel omnibus vel aliquibus ex creaturis: sicut ens et esse, potens et potentia, sapiens et sapientia, bonus et bonitas,

[1] *De Universo*, I P. Secundae Partis, cap. 36, p. 789b.
[2] *Ibid.*, cap. 31, p. 786a.

pulcher et pulchritudo, et his similia, quae secundum depuratam et immixtam contrario per omnia veritatem soli conveniunt Creatori; verum *communicantur* aliis per quandam, licet distantem, similitudinem [vel participationem].

Et nomina quidem ad supereminentiam et gloriam pertinentia, qualia sunt Rex et Dominus et his similia, cum depuraveris et a contrariis usque ad purum removeris intentiones eorum, invenies ea esse nomina solius Creatoris, excellentiam eius et gloriam significantia: quemadmodum si depuraveris Regem ab eo quod est regi et ipsum regem similiter depuraberis ab omni iniquitate, iniustitia, imprudentia, negligentia et infirmitate seu debilitate, Regis nomen soli convenet Creatori; sic dico et de hoc nomine Dominus, cum depuraveris intentionem eius, videlicet dominationem, ab omni eius contrario, quod est dicere ab omni subiectione et debito servitutis —non enim vere ac pure dominus est qui alii vel subiectus est vel etiam debitor servitutis—; similiter cum depuraveris intentionem dominationis a parte inferiori, hoc est, a parte comparationis quam habet dominus ad inferiores vel subditos, haec autem est Potestas, invenies potestatem eius puram et immunem ab omnibus his quae sunt ex parte impotentiae, et occurret tibi intentio Dominationis ex utraque parte depurata soli Creatori conveniens et eidem appropriata appropriatione incommunicabili, sicut in Lege hebraeorum et in libris Prophetarum ipsorum invenies saepe dictum: Dominus nomen illi, ex persona Ipsius: Ego Dominus, hoc est nomen meum.

Manifestum est igitur tibi quia huiusmodi nominationes non communicantur creaturis secundum intentiones depuratas, quibus appropriantur Creatori: et propter hoc, *non univoce, sed aequivoce* [=analogice] *et distantissima similitudine*.

Verum ista diversitas rationum et intentionum non prohibet quin *vere* dicantur *de creaturis et intentionibus quibus applicancantur et aptantur eisdem*: non enim dubium quin rex indorum et rex aethiopum his intentionibus quibus reges ab hominibus communiter nominantur, vere reges sint, sive ex nuda potestate, licet eam multis iniquitatibus et iniustitiis maculent, sive ex potestate, iustitia aliisque regis virtutibus decorata» [1].

[1] *Ibid.*, cap. 37, pp. 789b-790a. Cf. etiam cap. 33, pp. 786b-787a; *De Universo*, II P. Secundae Partis, cap. 71, pp. 864-865.

Licet ergo Guilelmus Alvernus expresse non nominet analogiam veluti in medio positam inter univocationem et aequivocationem puram, eam tamen aequivalenter indicavit per verba proportionis vel proportionalitatis, similitudinis cum diversitate et participationis. Modos autem principales analogiae omnino perspectos habet, quamvis eos signate non definiat: exercite enim et modo plene conscio eis utitur. Maxime autem conscius est analogiae in nominibus communibus Deo et creaturis.

600. Multo magis profunde et complete tradit *Alexander Halensis* notiones univocorum, aequivocorum et analogorum, horumque divisones.

Notiones quidem, cum ait quaedam nomina esse penitus univoca, alia penitus aequivoca, alia medio modo se habentia inter penitus univoca et penitus aequivoca, et sunt analoga.

Penitus enim *univoca* dicuntur illa quorum nomen est unum et ratio significata per nomen est omnino una et eadem, et ideo de suis inferioribus dicuntur secundum unam eandemque rationem ab eis aequaliter participatam, ut genus de suis speciebus, puta animal de homine et equo, et species de suis individuis, puta homo de Petro et Paulo,: quo fit, ut pure univoca penitus idem significent, et simpliciter, idest uno eodemque modo, de suis univocatis praedicentur [1].

Penitus *aequivoca* appellantur ea quorum nomen est unum idemque, sed ratio significata per nomen est omnino diversa, et ideo de suis aequivocatis praedicatur nomen illud secundum rationem penitus aliam et diversam, quin ulla sit eorum re et ratione convenientia nisi in solo

[1] Alexander Halensis, *Summa theol.* lib. I, ed. Quaracchi 1924, n. 5, obi. 4, p. 9a; n. 163, Contra d. p. 245a; n. 347, obi. 3, p. 514a; n. 355, p. 530a; n. 366, contra a, p. 543a; ad obiecta, p. 544b; n. 389, ad obiecta, 3, p. 574b; n. 400, ad obiecta, 1, p. 589b; I P. libri II, ed. Quaracchi 1928, n. 63, pp. 77-78; n. 107, Solutio, p. 137b; n. 485, Solutio, p. 673.

nomine: qua de causa, pure aequivoca sunt omnino multipliciter dicta, idest tot modis omnino diversis quot sunt aequivocata [1].

Analoga vero media essentialiter sunt inter pure univoca et pure aequivoca; et ideo dicuntur illa quorum nomen quidem est unum idemque, sed ratio per nomen significata neque est omnino una eademque sicut in pure univocis, neque omnino diversa sicut in pure aequivocis: quia nimirum rationem quandam communem pluribus significant, non tamen per modum *naturae* communis et universalis presse dictae, quae prior naturaliter est omnibus et singulis de quibus praedicatur aequaliter et eodem modo, ut univoca; sed per modum *habitudinis* communis tantum et universalis large et improprie dictae, quae de analogatis praedicatur secundum prius et posterius sive simpliciter de uno primo et secundum quid de ceteris pro modo et ratione habitudinis singulorum ad illud primum, aut etiam secundum habitudinem similem diversorum ad diversa.

Ita enim scribit: «differt unum univocationis et analogiae. Unum enim *univocationis* est quando unum inest pluribus uniens illa in aliqua re una priore illis naturaliter: sic autem non conveniunt vita creata et increata. Unum autem analogiae est quando unum inest pluribus, ita quod alicui eorum primo et principaliter, aliis vero posterius et secundario et per modum quo descendunt ab origine prima: et tale unum non unit ea quibus inest in aliqua re una naturaliter priore illis, sed tota prioritas est in aliquo eorum naturaliter, sicut in causa respectu causati; et istud unum, licet non sit penitus univocum, non est penitus aequivocum, sed *medium*, et dicitur analogum: et sic vita creata et increata conveniunt in aliquo uno... Cum ergo quaeritur utrum vita Creatoris et creaturae conveniant in aliqua re una, dicendum quod conveniunt in re una unitate analogiae, non una unitate univocationis» [2].

[1] *Summa theol.*, lib. I, n. 5, obi. 4, p. 9a; n. 163, contra d, p. 245a; n. 347, obi. 3, p. 514a; n. 355, p. 530a; n. 366, ad obiecta, p. 544a; I P. libri II, n. 485, solutio, p. 673.

[2] *Summa theol.*, I P. II libri, n. 485, Solutio, p. 673; lib. I, n. 305, 2 sed contra, p. 441a.

Et alio in loco: «cum dicitur, *homo iustus*, hic praedicatur iustitia quae est *accidens*; sed cum dicitur, *Deus iustus*, praedicatur iustitia quae est ipsa *essentia, nullo modo accidens*. Relinquitur ergo quod *non eadem iustitia nec univoce accepta praedicatur*. Item, cum dicitur, *Deus iustus*, significatur divina *essentia ut retribuens unicuique quod suum est*; cum dicitur, *homo iustus*, significatur *inesse* habitus homini [=*accidens*] *ex quo tribuit unicuique quod suum est*: *utrobique* ergo, cum dicitur *Deus iustus* et *homo iustus*, designatur *comparatio* iustitiae ad *consimilem* actum; ergo *non est penitus ratio diversa* [neque pure aequivoce praedicatur]» [1]. Videlicet «iustus, bonus et huiusmodi non dicuntur aequivoce nec univoce [de Deo et de homine], quia non penitus secundum aliam rationem nec tamen secundum eandem, sed dicuntur analogice secundum prius et posterius. Quae quidem analogia attenditur ex una aliqua *comparatione sive proportione* alicuius effectus iustitiae vel bonitatis qua comparatur creatura ad Creatorem, ut *reddere unicuique quod suum est comparatur* iustitiae Creatoris et iustitiae creatae. Consimili modo et ab hac *unitate comparationis* accipitur *una ratio secundum analogiam*; quae quidem ratio non ponit convenientiam vel in genere vel in specie etc., sed in una comparatione» [2].

Unde «ubicumque est communitas secundum analogiam, quamvis non sit ponere formam unam communem sicut in univocis, est tamen ponere comparationem unam», idest «quamvis in iis non intelligatur essentialitas una, tamen intelligitur habitudo vel comparatio essentialitatis una» [3]; «commune enim proportione dicitur commune habitudine», quae tamen communitas non est sicut communitas universalis presse dicta, «quia universale dicitur ubi est communis natura, non ubi est communitas habitudinis» [4]. Et approbat suaque facit haec verba Avicennae: «unum comparatione est inter quae est aliqua comparatio una, ut comparatio navis ad rectorem et civitatis ad regem una est: eae enim comparationes consimiles sunt nec est earum unitio per accidens» [5].

---

1 *Summa theol.*, lib. I, n. 366, p. 544a
2 *Ibid.*, ad obiecta ac, p. 544b.
3 *Summa theol.*, lib. I, n. 347, obi. 3 et arg. contra, p. 514.
4 *Ibid.*, n. 389, ad 3, p. 574.
5 *Ibid.*, n. 74, III, p. 117a. Cf. etiam *ibid.*, IV, p. 118a; Responsio, III, p. 119b.

601. Haec autem *analoga dividuntur* in analoga secundum participationem et in analoga secundum proportionalitatem.

Secundum participationem quidem, quando nomen idem dicitur de uno primo principio essentialiter et per prius, de ceteris vero ab eo derivatis secundum participationem quamdam et per posterius, pro diversa habitudine similitudinis vel dependentiae quam habent ad illud primum; vel, ut ipse ait, «quando unum inest pluribus, ita quod alicui eorum primo et principaliter, in quo est prima origo omnium aliorum, aliis vero per posterius et secundario et per modum quo descendunt ab origine prima: et tale unum non unit ea quibus inest in aliqua re una naturaliter priore illis, sed tota prioritas est in aliquo eorum naturaliter sicut in causa respectu causati» [1]. Illud enim primum et principale est universale quoddam respectu posteriorum, non tamen in essendo neque in praedicando neque in significando, sed in exemplando et in causando, sicut Deus est causa universalis conditionis rerum, et Christus causa universalis reparationis hominum [2].

Ubi notandum est quod aliter participatur univocum ab univocatis et aliter analogum ab analogatis. Univocum enim participatur a suis univocatis secundum totam essentiam eius, licet non secundum totam eius extensionem vel universalitatem; analogum vero participatur ab suis analogatis diminute secundum utrumque modum, scilicet secundum essentiam et secundum universalitatem. Hoc namque modo dicitur aliquid esse participatum, «cum habet formam aliquam quae est *incompleta* respectu alicuius *completae* a qua habet dependentiam et causam, sicut homo sapiens dicitur participatione quia habet sapientiam incompletam respectu sapientiae divinae quae est essentialiter completa» [3]. Quo in sensu, «non dicitur di-

---

1 I P. II libri, n. 485, Solutio, p. 673.
2 Liber I, n. 1, ad obiecta, p. 3a.
3 Liber I, n. 117, ad 1, p. 184b.

vina essentia participabilis quia trahatur in partem, sed participatio ista refertur ad effectum..., secundum quem dicitur differens participatio: differentia autem istius participationis est ex parte participantium, non ex parte Dei»[1]. «Quod ergo dicitur quod bonitas creata participat bonitatem increatam, hoc non est dicere quod bonitas increata dividatur per partes in singulis bonitatibus creatis, sed hoc est dictum quod bonitas creata capit partem in effectu, quia haec capit istum effectum primae bonitatis, alia alium: hoc est ergo participare ipsam bonitatem, scilicet quantum ad effectum»[2].

Et hac de causa, tam ipsa participatio quam esse participatum important essentialiter ordinem prioritatis et posterioritatis ad illud primum quod per essentiam dicitur, quia scilicet analogum principale participatur inaequaliter et multipliciter ab analogatis secundariis, et non aequalitate et uniformitate essentiali sicut univocum ab univocatis[3].

Exempli gratia, *ens* dicitur analogice de substantia et accidenti, et similiter de Deo et creaturis. «Est, inquit, convenientia secundum univocationem et est convenientia secundum analogiam. Secundum univocationem est convenientia in genere vel in specie vel in numero. Convenientia secundum analogiam, ut substantia et accidens conveniunt in ente, quia dicitur secundum prius et posterius de illis: quia ens-substantia est principium accidentis, et ideo per prius dicitur ens de substantia quae est ens per se; per posterius de accidente, quod est ens in alio. Dicendum ergo quod non est convenientia Dei et creaturae secundum univocationem, sed per analogiam: ut si dicatur bonum de Deo et de creatura, de Deo dicitur per naturam, de creatura per participationem»[4]. «Bonum enim de Deo dicitur quia finis, bonum de creatura quia ordinem habet ad finem: sicut ens secundum prius

---

[1] *Ibid.*, n. 37, ad obiecta, p. 61b.
[2] *Ibid.*, n. 117, ad 2, p. 185a; n. 249, ad obiecta, p. 341.
[3] *Ibid.*, n. 49, Solutio ad obiecta, p. 76, n. 366, ad obiecta d, p. 544b; I P. II libri, n. 86, p. 109; n. 89, Solutio, p. 113a; n. 107, Respondeo, p. 137b.
[4] *Ibid.*, n. 2, Respondeo, p. 32a; n. 347, obi. 3, p. 514a; n. 334, ad obiecta, p. 495b.

dicitur de substantia quae est per se ens, secundum posterius de accidente quod est per substantiam»[1].

Pariter *summum bonum* dicitur analogice de beatitudine obiectiva, quae est bonum increatum, et de beatitudine formali, quae bonum creatum est. «Summum bonum dicitur dupliciter, scilicet simpliciter et secundum quid. Summum bonum simpliciter est bonum increatum; summum bonum secundum quid est beatitudo creata, quia est summum bonum in creatis bonis eo quod est a summo bono increato»[2].

Similiter hoc nomen *Deus* dicitur analogice de vero Deo, de sanctis seu filiis Dei et de idolis. Divisio enim huiusce nominis in Deum substantive et in deos participative et nuncupative non est divisio vocis pure aequivocae in significationes totaliter diversas, sed divisio nominis analogi, quia est divisio «in ea quae se habent secundum prius et posterius, et simpliciter et secundum quid. Secundum prius et simpliciter dicitur substantive, secundum posterius dicitur adoptive, secundum id quod est secundum quid nuncupative»[3].

602. *Secundum proportionalitatem* autem, quando nomen idem dicitur de pluribus convenientibus in una vel simili habitudine sive proportionalitate, qua videlicet ita se habet unum ad aliud sicut aliud ad aliud. Suas enim facit notiones unitatis proportionalis quas tradiderunt Avicenna, Aristoteles et Dominicus Gundissalinus. Avicennae quidem, nempe «*unum comparatione* est inter quae est aliqua *comparatio una*, ut comparatio navis ad rectorem et civitatis ad regem una est», quatenus ita se habet rex ad civitatem sicut rector ad navim, in regendo scilicet vel dirigendo, iste navim, ille civitatem[4], ut exponit Gundissalinus: «dicuntur *unum proportione*, ut rector navis et gubernator civitatis *unum similitudine officii*»[5]; Aristo-

---

[1] *Ibid.*, n. 107, Solutio, p. 169b; n. 106, ad obiecta, p. 168b.
[2] *Ibid.*, n. 78, ad 3, p. 126b.
[3] *Ibid.*, n. 355, p. 530b. Vide aliud exemplum de nomine *aeternitatis* prout dicitur de Deo, de angelo, de paena aeterna et de longissimo tempore, *ibid.*, n. 57, p. 85.
[4] *Ibid.*, n. 74, III, p. 117a.
[5] *Ibid.*, VII, p. 118b.

telis, videlicet «unum *secundum aequalitatem* [dicuntur ea] quorum *proportio* est *una*» [1], hoc in sensu «ut ly *aeque* dicat *similtudinem, non mensuram*» [2], idest aequalitatem mere relativam et proportionalem tantum, non aequalitatem absolutam. Haec igitur unitas comparationis, proportionis vel habitudinis in hoc modo analogiae non est unitas generica nec specifica multoque minus numerica, sed unitas quaedam rationum comparatarum inter res vel intentiones diversorum generum [3].

Halensis vocat primum modum analogiae *unius ad alterum*, secundum vero *duorum ad unum*, uti apparet ex hoc textu: «si vero quaeritur cuiusmodi commune sit significatum per hoc verbum *persona*, dicendum est quod commune proportione; commune enim proportione dicitur commune habitudine. Tale autem commune dicitur dupliciter: quandoque ex habitudine *duorum ad unum*, quandoque ex habitudine *alterius ad alterum*. *Duorum ad unum*, sicut dicitur *rector in navi et in scholis*; *alterius ad alterum*, ut cum dicitur [quod] *corpus est sanum et urina est sana*, omnia enim haec referuntur ad sanitatem humani corporis. Cum ergo dicitur, *Deus est bonus, creatura est bona*, commune dicitur *proportione* [composita *duorum ad unum*]; cum autem dicitur, *divinae personae sunt personae, creatae personae sunt personae*, dicitur ibi commune secundum communem *habitudinem alterius ad alterum*» [4]. Exemplum enim rectoris in navi et in scholis incidit in idem re cum exemplo rectoris in navi et in civitate, quod ex Avicenna et Gundissalino paulo supra retulerat: hoc autem erat exemplum classicum analogiae *proportionalitatis*. Ex adverso, exemplum de sanitate erat classicum exemplum analogiae attributionis *ad unum*.

603. Porro analoga secundum proportionalitatem

---

[1] *Ibid.*, n. 74, IV, p. 118a.
[2] *Ibid.*, n. 249, ad obiecta, p. 341b; n. 348, p. 340b; n. 366, obi. 4, p. 542b; ad obiecta, p. 544.
[3] *Ibid.*, n. 74, per totum.
[4] *Ibid.*, n. 389, ad 3, p. 374. Cf. etiam n. 388, ad 2, p. 572.

subdividuntur in analoga secundum proportionalitatem propriam et in analoga secundum proportionalitatem *metaphoricam*, prout ratio comparata sumitur in utroque membro compartionis in sensu proprio aut proprie tantum in uno membro et translate in alio.

Qua distinctione utitur maxime dum loquitur de nominibus divinis ubi, vestigia premens Pseudo-Dionysii et Damasceni, distinguit nomina communia Deo et creaturis in nomina propria seu mystica et in nomina metaphorica vel symbolica seu parabolica [1]. Nominamus enim Deum sicut cognoscimus. Cognoscimus autem ipsum per similitudines creaturarum. Cum ergo creaturae sint et corporales et spirituales, dupliciter Deum ex creaturis cognoscere possumus: uno modo, per similitudines rerum spiritualium; alio modo, per similitudines acceptas a rebus corporalibus [2]. Consequenter et bifarie Deum ex creaturis nominamus: uno modo, ex creaturis spiritualibus, quae *interiores* sunt, ut cum dicitur Deus potens, sapiens, benignus, et ideo ista nomina vocantur *mystica* quasi ex interioribus et occultis creaturarum desumpta; alio modo, ex creaturis corporalibus, quae *exteriores* sunt, ut cum Deum appellamus Solem, ignem, lucem, ideoque talia nomina dicuntur *symbolica* vel parabolica [3]. Et propter hoc cognitio et nominatio Dei per corporalia et exteriora et sensibilia est propria hominibus adhuc *animalibus*, dum cognitio et nominatio Dei per spiritualia et interiora et intelligibilia est propria hominibus spiritualibus [4]. Quaedam ergo nomina sunt «quae de Deo semper dicuntur *improprie* [=similitudinarie, translative, metaphorice, symbolice, parabolice], quemadmodum illa quae dicuntur secundum modum corporalem, et universaliter omnia illa quae significant speciem in materia et imperfectionem, ut ignis et leo, splendor et huiusmodi; quaedam vero sunt quae uno modo dicuntur proprie [idest quoad rem et rationem sig-

---

[1] *Summa theol.*, lib. I, n. 5, obi. 3, et resp., p. 9; n. 7, pp. 12-13; n. 37, obi. 3, p. 61a; n. 333, Respondeo, pp. 492-493; n. 334, obi. 1, p. 494; n. 335, obi. 3, p. 495; contra c, p. 496; Inquisitio II, tract. 1, prolog., pp. 511-512; n. 367, Respondeo, p. 545; n. 388, p. 563; I P. libri II, n. 4, ad 1, p. 9b.
[2] *Op. cit.*, lib. I, n. 37, obi. 3, p. 61a.
[3] *Ibid.*, n. 335, obi. 3, p. 495a; n. 333, Respondeo, p. 493.
[4] *Ibid.*, n. 5, ad 3, p. 9b; Inquisitio secunda tract. 1, prolog., p. 511; n. 384, p. 563.

nificatam], alio modo improprie, idest per translationem [quandam, nempe quoad modum significandi, qui semper imperfectus et humanus est], ut universaliter omnia illa quae significant speciem non in materia et perfectionem naturae vel virtutis et operationis, ut sapientia, virtus, veritas et huiusmodi»[1]. Quo fit, ut nomina symbolica dicantur per translationem tantum; nomina vero mystica per superexcellentiam et perfectionem quae est supra nos[2]: illa, per dissimiles similitudines; haec per similitudines, utique deficientes[3].

Et licet Alexander videatur reducere frequenter hanc divisionem ad praecedentem, sicut et Pseudo-Dionysius et Damascenus et Guilelmus Autissiodorensis et Guilelmus Alvernus e quibus dependet, quatenus in nominibus proprie dictis attenditur principaliter similitudo participationis dum in nominbus metaphorice sumptis involvitur semper quaedam habitudo proportionalitatis ad effectus similes[4], revera tamen admitttit aliquando proportionalitatem in ipsis nominibus propriis, ac praesertim quando loquitur de diversis nominibus creaturarum tantum.

Sic, exempli gratia, recolit et approbat analogiam proportionalitatis propriae inter genus, differentiam et speciem, et materiam, formam totamque essentiam ex materia et forma compositam[5]. Item compostio ex *quod* est et *quo* est proportionatur compositioni ex materia et forma[6].

Similiter notio veritatis ab Anselmo tradita, scilicet *rectitudo sola mente perceptibilis*[7], suo modo suaque portione convenit omnibus veritatibus, nempe cogitationis, voluntatis, actionis, significationis: est enim cogitatio vera quando *recte* iudicat de re prout est, per *adaequationem* rei et intellectus; est voluntas et operatio et significatio vera quando est *recta*, idest quando homo se exhibet corde, ore et opere sicut revera est, per *adaequationem* verborum et actionum exteriorum et interioris affectus[8]. Sicut

---

1 *Ibid.*, n. 335, Respondeo, p. 496. Cf. *ibid.*, obi. 3 et 4, p. 495; n. 334, obi. 1, p. 494; n. 344, Respondeo, p. 510.
2 *Ibid.*, n. 367, Respondeo, p. 545.
3 *Ibid.*, n. 7, pp. 12-13; n. 117, pp. 184-185; praesertim I P. II libri, n. 4, ad 1, p. 9b.
4 *Ibid.*, n. 335, Respondeo, p. 496, et passim.
5 *Summa theol.*, I P. II libri, n. 106, Contra c, p. 135b.
6 *Ibid.*, Solutio et ad obiecta, pp. 135-136; n. 249, ad 1, p. 310a.
7 *De Veritate*, cap. 11, ML. 158, 480.
8 *Summa theol.*, lib. I, n. 89, Respondeo, pp. 142-143; ad 8, pp. 144-145.

autem distinguimus veritatem in essendo et veritatem in cognoscendo et veritatem in significando, quarum prima est in re, secunda in intellectu et tertia in verbis; ita etiam distinguimus falsitatem in essendo ut homo pictus est homo falsus sive non realis, falsitatem in cognoscendo ut montes aurei falso cogitantur exsistere, et falsitatem in significando ut dicere hominem esse asinum est falsa propositio, quarum prima est in re, altera in intellectu, tertia in verbis[1].

E contra, cum dicimus bonum esse quasi pondus appetitus, in quantum trahit appetitum sicut pondus trahit corpora, est analogia quaedam metaphorica[2]. Et similiter quando amorem appellamus pondus, «non proprie, sed communiter secundum quandam similitudinem [=metaphoram], ut sicut pondere fertur corpus ad suum locum, scilicet deorsum, ita dispositione illa [amoris] quae hic per pondus significatur, refertur seu ordinatur unaquaeque res ad suum finem»[3].

In ordine autem theologico nominum divinorum praebet exemplum analogiae proportionalitatis *propriae* cum dicit: «sicut *pulchritudo* corporum est ex congruentia compositionis partium, ita *pulchritudo* animarum ex convenientia virium et ordinatione potentiarum, et *pulchritudo* in divinis ex ordine sacro divinarum personarum, qua una persona non ab alia, a qua alia per generationem, a quibus tertia per processionem»[4].

Pariter in notione et nomine iustitiae: sicut enim homo dicitur iustus quia reddit unicuique quod suum est secundum modum humanum, ita Deus appelatur iustus quia secundum modum divinum reddit unicuique quod suum est[5].

Secundum analogiam vero *metaphoricam* Deus dicitur sol, lux, lapis, leo, propter quandam similitudinem *effectuum* utrobique, non propter similitudinem naturae vel essentiae, cum Deus sit omnino incorporalis[6].

Quo etiam analogiae modo explicat quomodo Deus omnia distinctissime legat in libro vitae, hisce verbis: «ponatur quod aliquod centrum intelligat se totum et suam essentiam et suam

---

1 *Ibid.*, n. 96, Respondeo, p. 154.
2 *Ibid.*, n. 115, Contra, p. 181a; n. 113, III, p. 178.
3 *Summa theol.*, I P. II libri, n. 27, ad 2, p. 39b; n. 28, ad 3, p. 41a.
4 *Op. cit.*, lib. I, n. 103, ad 2, p. 163b.
5 *Ibid.*, n. 366, p. 544.
6 *Ibid.*, n. 7, pp. 12-13, et passim.

virtutem. In essentia sua videbit simplicitatem, in virtute autem multiplicitatem, in lineis etiam esset videre unitatem et multiplicitatem: unitatem secundum quod sunt ad centrum et uniuntur et reducuntur ad ipsum, multiplicitatem secundum quod sunt ab ipso. *Similiter* est in Deo et creaturis: Deus enim est quasi centrum, creaturae quasi lineae exeuntes ab ipso; videt ergo in se unitatem essentiae et multiplicitatem virtutis, qua omnes creaturae exeunt ab ipso» [1].

Aliud pulchrum exemplum theologicum proportionalitatis metaphoricae exhibet occassione verborum Augustini: «cave, si vitasti grandia, ne obruaris arena minorum peccatorum» [2]. «Dicimus, inquit, quod [Augustinus] *similitudinarie* loquitur ibi, *nec est propria similitudo ex toto.* Tamen quia ad terrendum loquebatur, maluit uti minus propria similitudine quam non inducere timorem respectu abundantiae venialium. Bene est ergo similitudo quantum ad hoc quod in genere, sicut arena dicitur levis respectu grandium lapidum, ita et veniale respectu mortalis. Tamen *non est similitudo propria*, quia arenae multae congregatae non ex adiuncto, sed ex onere proprio possunt submergere navem; venialia autem etiam aggregata non possunt submergere navem animae nostrae pondere suo nisi fiat exitus a genere venialis sive a specie» [3].

604. Eiusdem fere tenoris sunt quae docet *Robertus Capito* sive *Lincolniensis*, nisi quod exhibet maiorem dependentiam ab Avicenna. Univoca dicuntur quae idem nomen habent et secundum eandem significationem praedicantur de suis univocatis, ideoque in ratione illa vel significatione communi parificantur [4]: «quae autem comparantur in aliquo signato nominis per parilitatem, univoca sunt» [5]. Penitus aequivoca appellantur quae solo nomine communicant, cum dicantur de suis aequivocatis secundum rationes omnino diversas [1]. Analoga vero, quae et ambigua vocat sicut Avicenna, dicuntur ea quae idem nomen habent, sed de suis analogatis praedicantur secundum rationes aliquo modo diversas et aliquo modo easdem vel similes, et ideo ratio significata per nomen de eis praedicatur inaequaliter sive secundum prius et posterius, «ut comparantur decem praedicamenta respectu eius quod est *ens*, quia substantia magis est ens quam quantitas: nec tamen ista propter talem comparationem sub nomine *ens* univocantur, nec etiam penitus aequivocantur» [2]. «Quapropter intentio veritatis sicut intentio entis, ambigua est: ex parte aliqua est una in omnibus, et tamen per appropriationem diversificata in singulis» [3]. Haec ergo «nominis definitionem habent unam, non univoce, sed propinqua, imitatoria similitudine» [4], ita ut «quidquid est de quidditate in uno sit et in alio proportionaliter dictum; quia in his quae habent propinquissimam, imitatoriam similitudinem, necesse est quod quidquid est in uno, propinqua similitudine imitatoria sit in reliquo, ex qua similitudine mereatur eandem nominationem» [5]. Nec est inconveniens, «cum plura sint posita in unius rei definitione, quod aliqua participent rem illam aequaliter secundum unam conditionem ibi positam, inaequaliter secundum aliam et secundum magis et minus» [6].

605. Et quidem, quantum ex usu eius apparet, *dividit analogiam* in analogiam *secundum participationem*, quam praecipue considerat secundum habitudinem exem-

---

1 *Ibid.*, n. 264, Solutio, p. 359b.

2 S. Augustinus, *Enarratio in Psalm.* 39, n. 22, ML. 36, 447-448.

3 Alexander Halensis, *Summa theol.*, II P. II libri, n. 273, ad 3, p. 388. Quaracchi, 1930.

4 Robertus Capito, *De ordine emanandi causatorum a Deo, Die Philosophischen Werke des Robert Grosteste, Bichofs von Lincoln*, ed. L. Baur («Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters», Bd. IX, Münster 1912), pp. 148-149; *De Libero arbitrio*, cap. 16, pp. 216-217.

5 *De libero arbitrio*, cap. 16, p. 218, 23-24.

---

1 *Ibid.*, p. 218, 30.

2 *Ibid.*, p. 218, 25-30; *De motu corporali et luce*, p. 91, 26-31; *De potentia et actu*, p. 129, 15-16; *De ordine emanandi causatorum a Deo*, pp. 148-149.

3 *De Veritate*, p. 143, 6-8.

4 *De libero arbitrio*, cap. 16, p. 218, 5-6.

5 *Ibid.*, cap. 17, p. 220, 26-30.

6 *Ibid.*, cap. 18, p. 231, 27-30.

platorum ad unam primam causam exemplarem, et in analogiam *proportionalitatis tam propriam quam metaphoricam.*

Primum analogiae modum exhibet nomina communia Deo et creaturis. Etenim «nihil univoce dicitur de creatura et Creatore, sed tamen creatura rationalis ita propinquum est vestigium et similitudo et imago sui Creatoris, quod in his, secundum quod est propinquum et assimilatum vestigium, meretur etiam communicare et nomen, non quidem univoce, sed propinqua, imitatoria similitudine. Sic et nominis definitionem habet unam, non univoce, sed propinqua, imitatoria similitudine. Et est quoque similitudo tam vicine imitatoria, quod intellectus unico adspectu contueri potest exemplar in exemplato et e contrario, sicut imaginem sigilli in cera ab illo sigillo impressa est et e contrario. Et intellectui sic contemplanti et sic quasi unum ista duo facienti assgnandum est unum nomen et una definitio liberi arbitrii in Creatore et creatura, quia unico et non diviso adspectu contuetur hoc in Creatura et Creatore propter vicinae imitationis similitudinem. Quae tamen in se divisa sunt secundum essentiarum diversitatem, quam essentiarum diversitatem cum contuetur intellectus, differentes dabit definitiones»[1].

Cuius rei fundamentum est, quia «Deus est prima forma et forma omnium», non quidem «velut pars eorum substantialis completiva ex qua et materia fit aliquid unum», sed velut «forma-exemplar, ad quod respicit artifex ut ad eius imitationem et similitudinem format suum artificium», et quasi «forma cui materia formanda applicatur et per applicationem ad illud recipit formam ipsius, cui applicatur, imitatoriam»[2]. Quo in sensu facile percipitur «aeternam Dei sapientiam sic esse formam omnium velut si imaginereris figuram sigilli argenti esse vitam et intelligentiam intelligentem se volentemque figurare ad sui imitationem et similitudinem magis minusve expressam ceram fluidam non potentem per se manere in aliqua figura recepta, ipsaque hac sola voluntate informem et fluidam ceram ad se revocaret sibique applicaret et ad se revocando sibique applicando sua similitudine aliquanta imprimeret et in impressa similitudine servaret. Sic, inquam, percipies ex iam dictis aeternam Dei sapientiam esse formam omnium, sicut talis figura sigilli argen-

[1] *Ibid.*, cap. 16, pp. 217-218.
[2] *De unica forma omnium*, p. 106, 16-17; p. 109, 7-18.

esset forma cerae sua similitudine praedicto modo
tei, si esset, similitudinem de modo quo Deus
impressae. Non tamen hanc supradicta attuli sicut usquequaque
est forma omnium, sicut nec quia sicut creatura eius simi-
congruam divinae excellentiae; perfecte exprimere, sic nec mens
litudinem etiam non potest simile fingere»[1].
creata potest aliquid perfecte et ei ex omni parte
dicuntur de Deo et creaturis

Et hoc modo entitas et veritas et similiter duratio[3] et libertas[4].
secundum prius et posterius[2]; ad unum primum et ma-
Est ergo analogia unius vel plurium et posterius pro suo quoquo
xime tale, cui secundum prius
modo accedunt vel imitantur.

Quem quidem modum analogiae videre est in omnibus et singulis generibus causarum, etiam intra ordinem creatum. «*Est autem*, inquit, *in unoquoque genere causarum multiplicitas nominis*, ut in genere causae *efficientis* multiplices inveniuntur causae efficientes: *et non dico multiplicationem specierum causarum diversarum sub eodem genere, quia haec causa venit in univocationem, sed dico multiplicationem causarum efficientium quibus ratio causae efficientis multipliciter convenit secundum prius et posterius*. Et hanc multiplicitatem oportet manifestare hoc modo per definitionem causarum efficientium: alia enim est *per se*, alia *per accidens*. *Per accidens* vero est quando non ipsi speciei vere convenit ratio efficientis aliquo modo, sed ei in quo est, ut clarum est effective calidum; non enim efficientia caloris convenit claritati, sed igni in quo est claritas. Si vero large utamur hoc nomine *per se*, duplex est causa per se effectiva: per se sciliect ut illud *quod* efficit, scilicet subiectum efficiens, vel illud *quo* efficit. *Quod* efficit est duplex: propinquum et remotum: *propinquum*, ut cum ignis efficit ignem; *remotum*, ut cum caelum. *Quo* vero efficiens efficit dicitur dupliciter: vel per substantiam aliam a se, vel secundum aliquid sui. Secundum primum modum dicitur *instrumentum* efficientis efficiens; oportet enim instrumentum efficientis esse aliam substantiam ab efficiente. Sed si dicatur *quo* efficit non substantia alia ab agente, sed secundum aliquid sui, hoc erit dupliciter: aut virtute aut ratione, sicut dicitur quod ignis agens efficit passionem

[1] *Ibid.*, p. 111, 13-29.
[2] *De Veritate*, pp. 142-143.
[3] *De ordine emanandi causatorum a Deo*, pp. 148-149.
[4] *De libero arbitrio*, cap. 16, pp. 216-219; cap. 17, p. 220; cap. 18, p. 231.

in patiente, et non solum ignis, sed etiam *virtus* ignis dicitur efficiens... *Virtus* autem est dupliciter efficiens, scilicet aut potentia aut actu»[1].

«Similiter causa *formalis* sive forma dicitur multipliciter, quia quaedam est forma substantialis et quaedam accidentalis. Forma *accidentalis* est in aliquo novem generum respectu substantiae, sed non est causa formalis substantiae, eo quod causa est prior secundum naturam quam suum causatum, et praecipue causa formalis: accidentia autem sunt posteriora secundum naturam quam substantia.

Forma vero *substantialis* multipliciter capitur: aut absolute, aut in respectu. *Absolute*, ut substantiarum formae substantiales; *in respectu*, ut albedo dicitur forma substantialis albi, scilicet concreti ex tali substantia et accidente, vel curvum respectu lineae, et universaliter differentia respectu speciei in accidentalibus.

Forma vero substantialis *absolute* dicta, adhuc dicitur multipliciter. Dicitur enim uno modo *exemplar separatum a re et non quo res est*; et alio modo, *quo res est, ita quod sit coniunctum rei et non exemplar*; tertio modo, dicitur *simul exemplar et quo res est*. Exemplar dicitur solum forma illa quae est in mente artificis, non forma illa quae est illud quo res est et non exemplar»[2].

«Similiter causa *finalis* vel finis dicitur multipliciter. Dicitur enim primum bonum intentum in mente agentis, et secundo modo dicitur finis quod est ultimum in re operata.

Intentio autem boni accepta cum intellectu agentis dicitur dupliciter: uno modo, quod ipsa species boni in intellectu accepta sit vere bonum quod vere finis est, et sic solum est in intellectu primi; alio modo, quod ipsa species boni exsistens in anima non sit vere bonum, sed sit imago vel similitudo boni exsistentis extra animam, et sic non est vere finis, sed est eius similitudo.

Ultimum vero rei operatae dicitur multipliciter, et propterea hoc nomen *finis* multipliciter participat. Dicitur enim uno modo ultimum rei operatae illud quod causat opus rei sive motum eius, et hoc est idem cum ultima forma rei, et proprie appellatur

---

1 *De statu causarum*, pp. 122-123.
2 *Ibid.*, p. 124, 10-28.

terminus sive finis intentus; alio modo dicitur ultimum rei operatae secundum intentionem operantis, verbi gratia talis figura causat motum domus operatae et non intentionem operantis.

Causa *materialis* dicitur dupliciter, scilicet proportionate vel [non] proportionate», *ex qua* et *in qua*, propinqua et remota[1].

606. Secundum vero modum analogiae, scilicet secundum proportionalitatem, illustrat quibusdam exemplis.

Ita analogiam proportionalitatis *propriae* illustrat exemplo classico, scilicet materiae primae, formae substantialis et totius compositi ex materia et forma, cum genere, differentia et tota specie conflata ex genere et differentia: sicut enim genus respondet materiae, ita differentia respondet formae, et species toti essentiae vel naturae[2]. Similiter motus generationis, alterationis, augmenti et localis se habent inter se sicut substantia, qualitas, quantitas et ubi: ita enim se habet unum genus motus ad aliud sicut diversa praedicamenta ad quae fiunt. Hoc namque ipso quod motus sunt in diversis praedicamentis, «non univocantur in natura una, sed solum participant aliquo nomine uno intentionis variae et ambiguae», sicut diversa praedicamenta sub nomine *entis*[3].

Analogiam autem *metaphoricam* illustrat exemplo, etiam classico, parvi et magni mundi. Homo namque secundum *corpus* dicitur parvus mundus ex eo quod quandam similitudinem praesefert mundi maioris. «Habet enim in se aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquae, aliquid terrae. Ratio terrae in carne est; aquae in sanguine; aeris in spiritu; ignis in caliditate vitali. Siquidem et quadripartita corporis humani ratio quatuor elementorum designat species: *caput* namque *ad caelum refertur*, in quo sunt duo oculi *tamquam* lumina solis et lunae; *pectus*

---

1 *Ibid.*, pp. 125-126. Pariter «*totum* dicitur aequivoce [=analogice], scilicet compositum ex partibus et totum et perfectum; item compositum ex partibus vel essentialibus vel potentialibus vel integralibus» (*De Anima*, p. 250, 4-7).
2 *Ibid.*, p. 126, 7-9. «Materia est illud quod se habet ad formam sicut aes ad statuam et lignum ad lectum, et universaliter sicut informe se habet ad formam antequam recipiat» (*Summa in octo libros Physicorum*, apud M. Grabmann, *Methoden und Hilfsmittel des Aristotelesstudiums im Mittelalter*, p. 60. München 1939).
3 *De motu corporali et luce*, p. 91.

aeri coniungitur, quia *sicut* inde emittitur spiraminis flatus *sic* ex aere ventorum spiritus; *venter autem mari assimilatur* propter collectionem omnium humorum *quasi* congregationem aquarum; vestigia postremum terrae comparantur, sunt enim ultima membrorum arida *sicut* terra, sive sicca *sicut* terra» [1].

Secundum *animam* vero, qua corpus suum regit et gubernat assimilatur Deo qui mundum maiorem regit ac gubernat: «sicut enim Deus maiorem mundum replet suo modo et est totus ubique nec tamen divisibilis, immo propter summam simplicitatem habet hanc virtutem, ita anima minorem mundum, idest corpus suum, replet seipsa suo modo et est tota in singulis membris, non tamen divisibilis propter suam simplicitatem» [2]. Et alio in loco: «sicut autem Deus simul totus est ubique in universo, ita anima simul tota est ubique in corpore animato. Unde Ambrosius exponens qualiter homo sit factus ad imaginem Dei, ita ait: «sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans, sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, gubernans et movens illud; neque enim in maioribus corporis membris maior et in minoribus minor, sed in minimis tota et in maximis tota. Et haec est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima in se habet»... Ecce ex his verbis aperte habes quod anima tota essentialiter ubique est in corpore quod vivificat, sicut Deus ubique totus essentialiter est in universo quod regit» [3].

607. Ex adverso, *Petrus Hispanus* magis sapit Aristotelem quam neoplatonicos et Avicennam. «*Univoca* dicuntur quorum nomen est commune, et secundum illud nomen ratio substantiae est eadem: ut hoc nomen, *animal*, est commune homini et bovi, et similiter ratio substantiae secundum illud nomen est eadem; dicimus enim: homo est animal, bos est animal; et homo est substantia animata sensibilis, et bos est substantia animata sensibilis. Et sic nomen est commune eis, et ratio eorum secundum illud nomen est eadem: nihil enim aliud est homo,

---

[1] *Quod homo sit minor mundus*, p. 59, 6-16.
[2] *Tractatus de Anima*, p. 254, 38-42.
[3] *De Intelligentiis*, p. 114, 8-16, 24-26. Ambrosius, *De dignitate conditionis humanae*, cap. 1, ML. 17, 1135a.

secundum quod est animal, nisi substantia animata sensibilis; similiter et bos» [1].

E contra, «*aequivoca* dicuntur quorum nomen solum est commune, et secundum illud nomen ratio substantiae est diversa» [2]. Et si quidem huiusmodi ratio substantiae sit totaliter diversa, dicuntur pure et simpliciter aequivoca, ut nomen *canis* pure aequivoce significat animal latrabile, sidus caeleste et piscem marinum [3]: sin autem non sit penitus diversa, sed aliquo modo eadem, vocantur aequivoca secundum quid sive *analoga*, ut nomen *animal* analogice significat animal vivum et animal pictum. «Dicimus enim de leone picto in pariete: ecce terribile animal, et de leone vivo idem dicimus; et de statuis regum dicimus: isti sunt tales reges, et de his qui adhuc regnant dicimus: isti sunt reges, sumendo aequivoce nomen regis» [4].

Licet enim Petrus Hispanus non adhibeat explicite huiusmodi distinctionem, sicut neque Aristotelis adhibuit in Praedicamentis, revera tamen hos duos modos aequivocationis agnovit. Univoca namque sunt universalia vel praedicabilia presse dicta, nempe genus, species, differentia, proprium et accidens [5], e quibus «genus, differentia, species et proprium univoce praedicantur, accidens vero non praedicatur univoce sed denominative. Praedicari autem *univoce* est praedicari *secundum nomen unum et rationem unam secundum illud nomen sumptam*, ut homo secundum unum nomen solum praedicatur de Socrate et Platone, *ut Socrates est homo, Plato est homo*; et ratio eius secundum illud nomen est una, ut animal rationale mortale, secundum quod praedicatur de suis inferioribus, ut *Socrates est animal rationale mortale*,

---

[1] Petrus Hispanus, *Summulae Logicales cum Versorii parisiensis clarissima expositione*, tract. III, p. 131b. Venetiis 1597. Cf. etiam tract. V, p. 253a. Hoc opus celeberrimum editum fuit ante annum 1250.
[2] *Op. cit.*, tract. III, p. 129a.
[3] *Op. cit.*, tract. VI, p. 331a.
[4] *Op. cit.*, tract. III, p. 129a.
[5] *Op. cit.*, tract. II, p. 86a, 88a.

et sic de aliis»[1]. Eis autem contradistinguuntur aequivoca, quae et aequivoce de suis aequivocatis praedicantur: «praedicari autem *aequivoce* est praedicari *nomine uno et rationibus diversis secundum illud nomen sumptis*»[2]. Huius tamen aequivocae praedicationis adhibet exemplum duplex. Aliud *entis* de decem supremis generibus seu praedicamentis; «licet enim ens dicatur de istis decem, tamen non dicitur de ipsis univoce sed aequivoce sive multipliciter; ideo non est genus eorum»[3]: «et ob hoc ens non potest esse genus, quia licet secundum unum nomen praedicatur de omnibus, tamen non secundum rationem unam; ratio enim entis secundum quod dicitur de substantia est *ens per se*, secundum autem quod dicitur de aliis novem praedicamentis est *ens in alio*, et ita praedicatur secundum diversas rationes: ideo non praedicatur univoce, sed potius aequivoce aut multipliciter». Aliud *canis*, qui «praedicatur nomine uno de latrabili animali, marino pisce et caelesti sidere; ratio autem secundum illud nomen non est eadem omnibus, sed alia et alia»[4]. Patet autem nomen canis esse pure aequivocum, dum nomen entis est analogum.

608. Quantum vero ex *usu* eius apparet, *duplicem modum analogiae distinguit*: alium secundum diversam habitudinem multorum ad unum, alium secundum eandem vel similem habitudinem diversorum ad diversa.

Exemplum prioris modi est nomen *sani*, «quia sanum dicitur de animali ut de subiecto, de urina ut designante vel indicante, de cibo ut de efficiente, de diaeta ut de conservante; et sic alio et alio modo sanitas ad haec comparatur, et secundum hoc habet diversas significationes»[5]. Item, nomen *veri* et *falsi*: «nota quod verum et falsum sunt in rebus ut in subiecto et sunt in oratione ut in signo; unde aequivocatur modus essendi cum dicitur: verum et falsum est in rebus et in oratione. Similiter aequivocatur susceptibile cum dicitur res est susceptibilis veri et falsi, sicut aequivocatur susceptibile cum dicitur: urina hominis vel animalis est susceptibilis sanitatis et animal est susceptibile sanitatis; haec enim suscipit sanitatem quia significat eam, illud vero quia subiectum est eius»[1].

1 *Ibid.*, p. 124a.
2 *Ibid.*, paulo infra.
3 *Ibid.*, p. 97b.
4 *Ibid.*, pp. 124b-125a; tract. VI, p. 331a.
5 *Op. cit.*, tract. VI, p. 331b.

Secundus modus consistit in unitate quadam proportionis sive proportionalitatis diversorum ad diversa. Namque «*proportio est rerum differentium eadem habitudo.* Locus a proportione est *habitudo unius proportionabilium ad reliquum*, ut sicut se habet rector navis ad navem ita se habet rector scholarum ad scholas; sed rector navis est eligendus non sorte sed arte; ergo rector scholarum est eligendus non sorte sed arte... Differt autem locus iste a loco *a simili*; quia in loco a simili accipitur comparatio secundum similitudinem *inhaerentiae*, in loco autem *a proportione* accipitur comparatio secundum *habitudinem*»[2].

Quae quidem analogia proportionalitatis duplex est: alia metaphorica, alia propria. *Metaphorica* vel secundum translationem «est quando dictio vel oratio significans unum transumitur ad significandum aliud propter similitudinem aliquam in eis repertam, ut *ridere* transumitur ad significandum *florere* cum dicitur: pratum ridet»[3]. «Unde transumptio, ut hic sumitur, est acceptio dictionis significantis unum ex impositione ad significandum aliud propter similitudinem... Hoc enim verbum *ridere* est aequivocum ad ridere et ad florere, quia ridere significat ex prima impositione risum ab ore emittere, florere autem significat per quandam transumptionem: florere enim et ridere quandam similitudinem habent, quia utrobique denotatur gaudium, et ideo ridere transumitur ad florere. Ut vult Aristoteles, transumentes secundum aliquam similitudinem transferunt»[4].

Aliud exemplum classicum de analogia metaphorica inter mundum maiorem et hominem, qui ob id appellatur mundus minor, evolvit egregie tam ex parte corporis quam ex parte animae et ex parte utriusque simul. Ex parte quidem *corporis*; nam «sicut maioris mundi constitutio in proportionum diversarum ordine consistit, sic et minoris elementa, principia, partes

1 *Op. cit.*, tract. III, p. 158b.
2 *Op. cit.*, tract. V, p. 308b.
3 *Ibid.*, p. 310a.
4 *Op. cit.*, tract. VI, p. 332a.

ac perfectio ac virtutes sunt certis proportionibus stabilita»[1]. Ex parte *animae*: «comparatur autem [anima] exsistentiae Factoris Prími in suo mundo maiori; nam sicut Ipse mundum maiorem regens in qualibet parte totus est simul, quamvis eius opera in quibusdam, ut in caelestibus, clarius elucescant, similiter anima in suo minori mundo tota simul in qualibet parte exsistit, licet sua opera in principalibus manifestius vigeant»[2]. Ex parte *utriusque simul*: «has formarum differentias Opifex distinctas constituit et ipsas in homine aggregavit, in quo omnium proprietates consistunt, quem ad sui similitudinem dicitur produxisse, et non cessavit eius actio quousque secundum circularem processum, qui summam perfectionem obtinet, ad huius creaturae ultimae perfectionem sua opera terminavit, in qua omnium naturas coniunxit, ad quem omnia finaliter ordinavit, ut mundus minor dici mereatur; eo quod quaecumque mundi maioris machina sub distinctione comprehendit, ipsa ea omnia sub aggregatione complectatur. Et ipsi substantiam gubernatricem exhibuit quae est anima intellectiva, quam ad suae imaginis exemplar formasse dicitur; quae sicut ipse universalis Artifex mundi maioris fabricam regit, continet ac conservat, sic haec substantia, eius gerens effigiem, mundum hunc minorem perficiens, ei et partibus eius regimen ac conservationem procuret»[3].

Pariter anima comparatur corpori animato sicut lux ad corpus illuminatum: «sicut igitur lux absolute lucet et subiectum suscipiens irradiando illuminat, similiter anima [absolute] vivit et corpus vivificando perficit»[4].

Rursus anima comparatur ad corpus organicum sicut artifex ad instrumenta. «Officium igitur virtutum animae artis officio comparatur. Nam sicut ars in suis operibus utitur instrumentis, sic anima in suis actionibus corpore eiusque partibus quae suo officio famulantur; et sicut una disponitur ars sub qua multae

[1] *De Anima*, tract. XIII, cap. 6, p. 559, ed. M. Alonso, S.J., Madrid 1941. Adhibemus verba ex hoc opere, licet editum sit inter ultima quae conscripsit Auctor, ut ipsemet indicare videtur hisce verbis: «ut, *postquam sermones inquisitivi* sub disputationis examine procedentes *in aliis operibus a nobis editis sint praemissi*, in hoc ergo negotio omnium inquisitionum veritatis sententiae certis summis ac brevibus concludantur» (Prologus, p. 47. Cf. etiam in fine Operis, p. 564).

[2] *Op. cit.*, tract. I, cap. 6, pp. 77-78.

[3] *Op. cit.*, tract. I, cap. 1, pp. 55-56.

[4] *Op. cit.*, tract. I, cap. 3, p. 66.

particulares continentur et singulis instrumenta propria respondent, sic una anima a qua multae virtutes emanant et earum singulis organa propria coaptantur»[1].

Exemplum autem analogiae proportionalitatis *propriae* adhibet hisce verbis: «anima vero substantia separata non est, sed corpori materiali exsistentia ac virtute coniuncta. Ita igitur in substantiae genere collocata per essentiam suam hoc aliquid[2] et substantia quodammodo completa exsistens, corporis perfectibilis est forma, ipsum in esse constituens; forma enim specificum esse subiecto conferens, ipsum hoc aliquid[3] et in specie completum constituit. Anima igitur forma ac perfectio corporum dicitur, eo quod corpus perficiens subiectum, ex ipsa et corpore compositum perfectum constituit in exsistentia naturali, et per ipsum vel per differentiam quae in ipso[4] fundatur genus perficitur. Generis enim natura imperfectionem et interminationem obtinet, nisi natura differentiae simplicis vel compositae ei adveniens ipsi complectionem ac terminationem exhibeat, et per coniunctionem generis et differentiae species completa resultat. Sic igitur ex differentia quae in anima fundatur, coniuncta corpori quod est genus, procedit species perfecta secundum rationem: *eandem enim rationem obtinet genus et differentia in constitutione speciei, quam habet materia et forma in constitutione subiecti compositi naturalis*», siquidem «materia et forma naturalis essentiae identitatem non obtinet, sed *in sola proportionis intentione communicant*»[5]

Hoc etiam modo differentiae odorum distinguuntur et nominantur secundum proportionalitatem ad differentias saporum, et quod sicut se habet gustus ad sua ita se habet olfatus ad sua. Qua de causa, per analogiam ad gustum, dicimus odores dulces et accidos: «nam species odoris speciebus saporis sunt proportionales, et secundum earum nomina distinguuntur»[6].

609. Eandem doctrinam proponit *Guilelmus de Shyresvood*, cuius Petrus Hispanus videtur fuisse discipulus,

[1] *Op. cit.*, tract. I, cap. 4, p. 68.

[2] In editione legitur hoc *aliud*, sed videtur intelligendum hoc *aliquid*, iuxta morem loquendi peripateticorum.

[3] In editione hoc *aliud*.

[4] In editione *ipsa*. Legendum videtur *ipso*, ut totus contextus exigit.

[5] *Op. cit.*, tract. I, cap. 2, pp. 58-59.

[6] *Op. cit.*, tract. VI, cap. 12, p. 268.

licet minus ex professo verset quaestionem de aequivocatione et analogia; et ideo verba eius adducimus veluti confirmationem expositionis datae de Petro Hispano ex eius fontibus immediatis. «Est igitur aequivocatio eiusdem dictionis diversa significatio»[1], hoc est, quando nomen unum plura eaque diversa significat. Quod si plura principaliter, idest aeque primo, significet, dicitur aequivocatio pura, ut nomen canis; sin autem unum principaliter et aliud vel alia secundario aut secundum extensionem et veluti translationem quandam, recedit a pura aequivocatione, et appellatur analogia, licet ipse non adhibeat huiusmodi denominationes[2]. Et quidem meminit nominis vel dictionis «cuius significatio vel consignificatio est una intentio participata a pluribus secundum prius et posterius: et tunc illa dictio significabit de se illud quod primo participat illam intentionem, ex adiunctione autem[3] potest significare illud quod posterius eam participat»[4]. Quod est aequivalenter describere analogiam unius vel plurium ad unum.

Sed praesertim exponit magis accurate quam Petrus Hispanus notionem proportionis, quae revera involvit analogiam proportionalitatis, cuius et duo praebet exempla: aliud proportionalitatis propriae, aliud metaphoricae. Sic enim scribit: «proportio est certa habitudo rerum eiusdem generis; proportionalitas autem est similitudo proportionum. Sumitur autem hic[5] proportio inter res diversorum generum, ut hominem et albedinem.

Est enim locus a proportione hic: sicut se habet corpus ad substantiam, similiter albedo ad qualitatem; sed homo est species substantiae; ergo albedo est species

---

[1] Guilelmus de Shyresvood, *Introductiones in Logicam*, p. 87, 19, ed. M. Grabmann, München 1937.
[2] *Op. cit.*, p. 89, 9-11.
[3] In editione legitur *aut*.
[4] *Op. cit.*, p. 88, 27-31.
[5] Scilicet in Logica sumitur proportio pro quacumque habitudine quarumcumque rerum, dum in mathematicis sumitur strictius pro certa habitudine quantitatis ad quantitatem.

qualitatis. Maxima: de proportionibus proportionale iudicium arguitur.

Etiam iuxta hunc locum sic: sicut se habet rector navis ad navem, sic se habet rector scholae ad scholam; sed rector navis non est eligendus sorte; ergo rector scholae non est «eligendus sorte. Maxima, quae prius»[1].

610. Hos tamen omnes longe superat *S. Bonaventura* tum quoad doctrinam de notione et divisione analogiae tum praesertim quoad usum eius, qui fere continuus est in operibus eius: qua de causa, merito locuti sunt nonnulli de analogia universali bonaventuriana[2].

Omnino *univoca* sunt quae secundum idem nomen et secundum eandem rationem dicuntur de pluribus, utpote communicantia sive convenientia nomine et re vel essentia significata per nomen, et ideo eandem omnino significationem habent *eodemque modo* comparantur *praedicatione formali et essentiali*, ut animal de homine et aequo, et homo de Petro et Joanne[3]. Sunt ergo universalia presse dicta, et ideo semper sunt eiusdem generis vel speciei[4]: quae quidem genus vel species in quibus communicant quaeque participant, sunt priora et simpliciora ipsis univocatis[5], ac de eis *omnino uniformiter*

---

[1] *Op. cit.*, p. 70, 2-11.
[2] St. Gilson, *La philosophie de Saint Bonaventure*³, chap. 3, pp. 196-227, Paris 1929; P. Bianchi, O.F.M., *Doctrina S. Bonaventurae de analogia universali*, Zara 1940.
[3] S. Bonaventura, *III Sent.*, d. 11, dub. 5 circa Litteram Magistri. Opera, ed. Quaracchi, t. III, p. 240b; *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 1, fund. 3, t. I, p. 442a; d. 1, dub. 5, p. 43a; II Sent., d. 3, P. I, a. 1, q. 2, fundam. 6, t. II, p. 95a; d. 35, dub. 3, p. 837a; *III Sent.*, d. 7, a. 1, q. 1 ad 3, t. III, p. 172a.
[4] *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 2c, t. I, p. 444a; *II Sent.*, d. 17, a. 1, q. 1 ad 3, t. II, p. 412b.
[5] *I Sent.*, d. 31, P. II, a. 2, q. 1, arg. 3 sed contra, t. I, p. 546a; d. 1, a. 3, q. 1, corp., p. 38b; *III Sent.*, d. 2, a. 1, q. 1, ad 2, t. III, p. 38b; d. 6, a. 2, q. 2, fund. 2, p. 160a; *I Sent.*, d. 8, P. II, a a. unic., q. 4, ad 2, t. I, p. 173b.

praedicantur [1]; eo quod quae univocantur in aliquo, *aequaliter* sunt in illo [2].

Ex adverso, omnino *aequivoca*, quae et pure aequivoca dicuntur, illa audiunt quae solo nomine conveniunt sive communicant, quod et de suis aequivocatis dicitur secundum rationes vel significationes omnino diversas, absque ullo ordine ad invicem et absque aliqua communi origine, ut nomen canis dictum de cane domestico, de cane marino et de cane sidereo [3]; ac proinde omnino difformiter vel multipliciter praedicantur, eo quod in aequivocatione proprie dicta est multiplicitas simpliciter [4], cum habeat plures institutiones et determinate, idest aeque primo, accipiatur pro qualibet [5].

Analoga vero medium tenet locum inter univoca et pure aequivoca, «quia partem tenent de natura univoci, partem de natura aequivoci» [6], cum tamen neutrum proprie sint: et ideo analogum, «propter convenientiam cum univoco, recipit comparationem secundum magis et minus; propter convenientiam cum aequivoco, recipit distinctionem multiplicitatis: analogum enim *medium* tenet inter univocum et aequivocum» [7]. Est namque «attendendum

---

1 *I Sent.*, d. 8, P. II, a. unic., q. 4 ad 2, t. I, p. 174a; d. 17, P. I, a. unic., q. 1 ad 1, p. 294b; *III Sent.*, d. 10, dub. 5, t. III, p. 240b; d. 11, a. 1, q. 1, arg. 2, p. 243a.

2 *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 2, fund. 2, t. I, p. 444a; corp. et ad 2, pp. 444-445.

3 *I Sent.*, d. 1, dub. 5, t. I, p. 43a; d. 14, a. 1, q. 2 ad 4, p. 248b; d. 25, a. 2, q. 1, arg. 4 sed contra, p. 442b; d. 29, a. 1, q. 2, obi. 4, p. 510a; ibid., corp., p. 511b; *II Sent.*, d. 3, P. I, a. 1, q. 2, fundam. 6, t. II, p. 95a; *III Sent.*, d. 34, P. II, dub. 1, t. III, 768a; d. 35, a. unic., q. 6 ad obiecta, p. 786b; *IV Sent.*, d. 49, P. II, a. 1, q. 2, arg. 1 sed contra, t. IV, p. 1014a.

4 *I Sent.*, d. 19, a. 1, q. 2, obi. 3 et corp., t. I, p. 510a, 511b; *III Sent.*, d. 11, dub. 5, t. III, 240b.

5 *I Sent.*, d. 19, a. 1, q. 2c, t. I, p. 511a.

6 *I Sent.*, d. 14, a. 1, q. 2c, t. I, p. 248a. Huiusmodi rationem medii analogorum inter univoca et pure aequivoca frequenter inculcat S. Bonaventura, verbi gratia *In I Sent.*, d. 1, dub. 5, p. 42a; d. 14, a. 1, q. 2 ad 2, p. 248b; d. 29, a. 1, q. 2 ad 1, p. 511b: analogum «est medium inter pure aequivocum et univocum»; *In II Sent.*, d. 35, dub. 3, t. II, p. 837a; *In IV Sent.*, d. 24, P. I, a. 2, q. 2 ad 2, t. IV, p. 619b.

7 *II Sent.*, d. 25, dub. 3, t. II, p. 626b.

quod modus dicendi est triplex, scilicet aequivocus, univocus et analogus. Cum est modus dicendi *aequivocus*, ibi est geminatio circa *dici* et non circa *esse*: unde homo pictus et homo verus *dupliciter* dicitur homo, sed non est *duplex* homo vel *duo homines*. Cum est modus dicendi *univocus*, est geminatio circa *esse* et non circa *dici*: unde homo verus in Socrate et Platone numeratur, quia sunt *duo* homines, sed non multipliciter dicitur. Ubi est modus dicendi *analogus*, quia partem tenet de natura univoci, partem de natura aequivoci, ibi est numeratio et in essendo et in dicendo. Secundum hunc igitur modum, dicendum quod processio, secundum quod dicta est de processione temporali et aeterna, non est dicta univoce nec aequivoce, sed analogice, quia unus modus clauditur in alio. Procedere enim ab hoc in hoc ut in *obiectum*, est aeternum; sed procedere ab hoc in hoc ut in *habitaculum*, est temporale. Quoniam igitur analogum est *sic dictum et sic*, ideo est ibi *dupliciter dici*, et una processio *dicitur dupliciter*; et ita, per consequens, *duplex esse*, ut non inconvenienter dicatur processio Spiritus Sancti *esse duplex*» [1].

Pariter «nos et Christus dicimur *filii Dei*, nec omnino aequivoce, nec omnino univoce: *non univoce*, quia una est filiatio temporalis et gratuita, alia naturalis et aeterna; *non aequivoce*, quia mediante illa filiatione et per conformationem ad illam filii efficimur adoptivi. Sicut enim a Patre omnis paternitas in caelo et in terra nominatur (Eph. 3, 15), sic a Filio omnis filiatio. Similiter si quaeratur utrum uniformiter Deus Pater *noster et Filii*, dicendum quod *nec omnino uniformiter nec omnino difformiter*; quia Pater dicitur *Filii* paternitate aeternali et personali, Pater vero *noster* ex tempore et essentialiter» [2].

Sic ergo analoga, praeter unitatem et identitatem *nominis* in qua conveniunt cum univocis et pure aequivocis,

---

1 *I Sent.*, d. 14, a. 1, q. 2c, t. I, pp. 247-248.

2 *III Sent.*, d. 10, dub. 5, t. III, pp. 240-241.

participant *simul* aliquam unitatem vel identitatem rationis significatae per nomen in quantum partem tenent de natura univocorum et aliquam pluralitatem vel diversitatem eiusdem rationis in quantum partem habent de natura aequivocorum: scilicet identitatem rationis comparatae sive proportionalis tantum, non absolutae et totalis sicut univoca; itemque diversitatem relativam tantum, non absolutam et totalem sicut pure aequivoca [1]. Quo fit, ut analoga non solum habeant communitatem nominis, verum etiam aliquam communitatem sive convenientiam in ratione significata per nomen: non quidem totalem et absolutam sicut univoca quae conveniunt in eodem genere vel in eadem specie, sed mere relativam et proportionalem sicut haberi potest inter res diversorum generum prout conveniunt in aliquo transcendentali imbibito in omnibus generibus, vel prout aliquo modo reducuntur et ordinantur ad unum primum et principale [2]. Et ideo scribit quod in analogis «non est communitas secundum unitatem naturae, sed secundum similtudinem proportionis, et haec communitas est rationis» [3]. Nam «duplex est communitas: quaedam secundum *unitatem naturae absolutae*, quaedam secundum *similitudinem habitudinis comparatae.* Communitas secundum unitatem naturae absolutae est humanitas respectu Petri et Pauli, quia una natura universalis reperitur in utrisque. Communitas vero secundum similitudinem habitudinis relatae est illa quae attenditur in consimili comparatione, sicut modus regendi comunis est nautae ad regendam navem et doctoris ad regendas scholas, quia uterque debet esse non sorte, sed arte peritus» [4].

---

[1] *I Sent.*, d. 1, dub. 5, t. I, p. 43a; d. 25, a. 2, q. 1, corp et ad 4, p. 443b, 444b; d. 29, a. 1, q. 2c, p. 511; *II Sent.*, d. 3, P. I, a. 1, q. 2, fund. 6 et corp., t. II, p. 95a, 96b; d. 35, dub. 3, ad quaest. incidentem, p. 837.

[2] *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 2c, t. I, pp. 444b-445a; *II Sent.*, d. 17, a. 1, q. 1, fund. 1, p. 160a; d. 29, a. unic., q. 1, ad 2, p. 639b.

[3] *I Sent.*, d. 1, dub. 5, t. I, p. 43a.

[4] *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 1c, t. I, p. 443a.

Et alio in loco dicit quod plura dicuntur «analogice per reductionem ad unam naturam» [1] sive secundum diversas naturas vel rationes, non absolute sed «per ordinationem ad unum» [2]; verbi gratia, «aliquid dicitur esse sanum tripliciter: aut subiective, ut animal dicitur sanum; aut dispositive, ut potio dicitur sana; aut ostensive, ut urina sana» [3]: potio autem et urina dicuntur sanae per ordinem ad sanitatem animalis, cui primo et formaliter convenit ratio sanitatis.

611. Sic autem sumpta analogia, *dividitur* in analogiam ad unum et in analogiam proportionalitatis. «Commune per analogiam... dicit *habitudinem duorum ad duo*, ut in nauta et in doctore; vel *unius ad unum*, ut exemplaris ad exemplatum» vel potius exemplati ad exemplar [4]. «Duplex est analogia: quaedam per reductionem *ad unitatem naturae secundum prius et posterius...*; alia est analogia per reductionem *ad unitatem similitudinis proportionalis*, non naturae» [5].

Analogia vero *ad unum* subdividitur in analogiam *unius ad unum*, ut puta cum unum est *imitatio vel similitudo alterius*, sicut creatura est similitudo imitativa Creatoris secundum quod ipsa plus vel minus accedit ad bonitatem sive perfectionem divinam, et hoc modo «*imago* de Filio et de homine nec dicitur aequivoce nec dicitur univoce, sed analogice secundum prius et posterius», quatenus imago filii adoptivi est imitativa quaedam similitudo imaginis consubstantialis Filii naturalis [6], et in analogiam *duorum vel plurium ad unum*, ut cibus

---

[1] *IV Sent.*, d. 17, dub. 1, t. IV, p. 412a.

[2] *IV Sent.*, d. 14, P. I, a. 1, q. 1c, t. IV, p. 319b.

[3] *I Sent.*, d. 46, a. unic., q. 5c, t. I, p. 831a.

[4] *I Sent.*, d. 3, P. I, a. unic., q. 2, ad 3, t. I, p. 72b. Ille consistit in similitudine «secundum *proportionalitatem*, sicut nauta et auriga conveniunt secundum comparationem ad illa quae regunt»; haec autem in similitudine «per convenientiam *ordinis*, sicut exemplatum assimilatur exemplari» (*II Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1c, t. II, p. 394b).

[5] *I Sent.*, d. 7, a. unic. q. 4c, t. I, p. 143b; d. 48, a. 1, q. 1c, p. 852.

[6] *II Sent.*, d. 16, dub. 4, t. II, p. 407b.

sanus, potio sana, urina sana, dissimilem comparationem sive habitudinem dicunt ad unam sanitatem animalis[1].

Et sic etiam nomen *potentiae* dicitur de potentia passiva remota per ordinem ad potentiam passivam proximam et utraque per ordinem ad potentiam activam, cui primo et principaliter convenit nomen et ratio potentiae: et ideo de his omnibus «potentia non dicitur uniformiter, nec dicitur omnino aequivoce, sed analogice, sicut sanum» de cibo, de medicina et de animali[2]. Similiter *peccatum* dicitur de peccato originali et de peccato actuali veniali per ordinem ad peccatum actuale mortale, cui primo et principaliter convenit ratio peccati: «peccatum, prout dicitur de originali, actuali mortali et veniali, nec dicitur omnino univoce nec dicitur omnino aequivoce, sed quasi *medio modo*, scilicet analogice; ratio enim culpabilitatis primo et principaliter reperitur in peccato actuali mortali; et consequenter in originali, et postremo in veniali: et ideo notificationes quae dantur de peccato simpliciter potissime referuntur ad peccatum actuale mortale, quod est peccatum simpliciter»; quia in ratione culpae «non communicant aequaliter, sed secundum prius et posterius»[3]. Eodem modo «*timor*, cum multas habeat differentias [ut timor servilis, timor initialis, timor filialis], de illis nec dicitur omnino univoce nec aequivoce, sed secundum quandam analogiam: ubi autem est analogia, ibi est comparatio ad aliquid unum secundum prius et posterius, maxime ubi est dicere proprie analogia»[4]; et ideo dicitur de servili per ordinem ad initialem et de utroque per ordinem ad filialem: nam servilis respicit obiectum minus principale, quod est excellentia divinae maiestatis[5]. Item, *pietas* erga parentes et patriam et pietas— virtus erga Deum dicuntur secundum prius et posterius per ordinem ad pietatem— donum erga ipsum Deum sicut ad primam et maximam pietatem[6]. *Paenitentia* similiter dicitur de diversis per ordinem ad unam primam, quae est paenitentia-sacramentum. Nam «paenitentia est expulsiva peccati actualis, quod est macula animae defor-

---

[1] *I Sent.*, d. 1, a. 3, q. 1c, t. I, pp. 38-39; d. 35, a. unic., q. 1c et ad 2, p. 601b; d. 46, a. unic., q. 5, p. 831; *Quaestiones disputatae de Scientia Christi*, q. 2c et ad 1-6, t. V, p. 9.

[2] *I Sent.*, d. 42, a. unic., q. 4c, t. I, p. 758a.

[3] *II Sent.*, d. 35, dub. 3, t. II, p. 837.

[4] *III Sent.*, d. 34, dub. 1, t. III, p. 768a.

[5] *Ibid.*, dub. 2, p. 769a.

[6] *III Sent.*, d. 35, a. unic., q. 6 ad 4, t. III, p. 786b.

mans et iterum ad malum inclinans sive a bono debilitans et iterum naturam vulnerans, quam etiam perpetravit quis per actum voluntatis cum delectatione et libidine. Quia igitur delere culpam ut deformantem est gratiae reformantis; ut dehabilitatem, virtutis habilitantis; ut vulnerantem, Sacramenti curantis; ut actu perpetratam, per actum similiter voluntatis; ut cum delectatione perpetratam, cum passione contraria: ideo paenitentia recte dicitur gratia, virtus, Sacramentum, actio et passio. Et *iste modus est secundum diversas naturas in ea repertas, tamen per ordinationem ad unum*: unde non dicitur paenitentia his modis omnino aequivoce, sed *analogice*»[1]. Rursus, Sacramentum *ordinis* dicitur de diversis ordinibus per ordinem ad unum primum, qui est presbyteratus. Qua de causa, dividitur in diversos ordines, non sicut totum universale in partes subiectivas neque sicut totum integrale in partes integrales, sed sicut totum potestativum in partes potestativas: «unde sicut divisio analogi tenet *medium* inter divisionem aequivoci et univoci, sic talis *medium* tenet inter divisionem totius universalis et totius integralis»[2].

612. Tandem analogia proportionalitatis subdividitur in *propriam* et *metaphoricam*. Licet enim S. Bonaventura huius divisionis explicite non memineat, eam tamen de facto cognoscit, eaque saepissime usus est.

Qua quidem in re tradit in primis exactam notionem proportionalitatis. Aliud enim est proportio et aliud proportionalitas. *Proportio* namque est habitudo quaedam comparationis inter duos terminos: et quidem primo dicta est de habitudine commensurationis unius quantitatis ad aliam quasi inter duas res eiusdem generis, ac dein extensa est ad significandam quamcumque habitudinem unius rei ad aliam, licet sint diversi generis, dummodo conveniant in aliquo ordine[3]. «Proportio, inquit, dupliciter accipitur: stricte et large. Si stricte dicatur proportio sic dicit quandam commensurationem et est rerum

---

[1] *IV Sent.*, d. 14, P. I, a. 1q. 1c, t. IV, p. 319; d. 16, dub. 1, p. **412a.**

[2] *IV Sent.*, d. 24, a. 2, q. 4 ad 2, t. IV, p. 619b.

[3] *I Sent.*, d. 48, a. 1, q. 1c, t. I, p. 852b; *III Sent.*, d. 1, a. 1, q. 1 ad 4, t. III, p. 11b.

eiusdem generis... Si vero accipiatur large, ut dicatur proportio quaecumque habitudo quae attenditur secundum analogiam, hoc modo *proportio* est boni creati ad increatum, et etiam *ordo* secundum rationem causalitatis et primitatis», licet creatum et increatum sint diversi generis [1]. *Proportionalitas* vero nominat similem comparationem vel habitudinem duorum ad duo [2]; et ideo semper postulat ad minus quatuor terminos, «quia necesse est ubi est proportionalitas ut sit in quatuor terminis vel secundum rem vel secundum rationem» [3].

Quam differentiam uno verbo expressit, dicens «quod similitudo duobus modis attenditur: uno modo, secundum unius rationis proprietatem sive naturae participationem; alio modo, secundum unius formae comparationem. Prima dicitur simlitudo proportionis; secunda dicitur similitudo proportionalitatis. Sacramentum gerit similitudinem gratiae secundo modo, non primo, pro eo quod sicut aqua abluit carnem ita gratia mundat animam, et sicut oleum lenit exterius ita gratia interius. Et haec similitudo est in quatuor terminis» dum prima est in duobus tantum [4]: nam similitudo proportionis simplicis consistit in convenientia ordinis unius ad aliud, quatenus unum est similitudo alterius, dum similitudo proportionis compositae sive proportionalitatis consistit in convenientia duorum ad duo, quia attenditur secundum similiter se habere, et ideo consistit in duabus comparationibus [5].

Secundum hoc ergo inter creaturam et creatorem nulla potest esse proportio univoca sive quantitativa vel commensurationis, quia Deus et creatura nullum genus commune participant, neque creatura potest ullo modo aequari Deo; sed potest dari proportio analoga sive habitudinis aut ordinis, quatenus in creaturis est imitatio Dei cum dissimilitudine et expressio cum

---

1 *IV Sent.*, d. 29, a. unic., q. 1 ad 2, t. III, p. 439b.
2 *I Sent.*, d. 1, a. 3, q. 1c, t. I, p. 38b; d. 48, a. 1, q. 1c, p. 852b.
3 *In Hexaemeron*, collatio 16, n. 8, t. V, p. 404b.
4 *IV Sent.*, d. 1, P. I, dub. 3, t. IV, p. 29b.
5 *II Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1c et ad 2, t. II, p. 395.

obscuritate ita ut Deo sit magis dissimilis quam similis, quia creaturae cum Deo non est aliquid commune univocum sed analogum secundum unitatem similitudinis proportionalis [1]. Maxime autem datur inter utrumque proportionalitas, quae etiam inter infinite distantia haberi potest [2].

Nominamus enim Deum secundum quod ipsum cognoscimus, cognoscimus autem Deum per creaturas prius cognitas, et ideo nomina creaturarum extendimus ad Deum utcumque nominandum [3]. Iam vero creaturae sunt duplicis generis: aliae corporales, materiales, sensibiles; aliae spirituales, immateriales, intelligibiles. Consequenter et nomina divina ex creaturis desumpta sunt duplicis categoriae: quaedam sensibilia, materialia, corporalia, ut lapis, leo, sol, quae non solum prius sed et proprius conveniunt creaturae quam Creatori, et ista dicuntur nomina symbolica, translatitia, tropica, et ideo nonnisi per quandam similitudinem effectus utrobique extenduntur ad Deum vi analogiae proportionalitatis metahoricae; alia sunt intelligibilia, immaterialia, spiritualia, ut causa, dominus, verbum, filius, pater, quae quidem, licet prius dicta sint de creaturis, proprius tamen et perfetcius quantum ad rem significatam conveniunt Deo, haec dicuntur nomina propria, ideoque extenduntur ad Deum quantum ad esse vel virtutem secundum analogiam proportionalitatis propriae [4].

Itaque nomina quae transferuntur ex creaturis ad creatorem secundum analogiam proportionalitatis metaphoricae, cum in sua

---

1 *I Sent.*, d. 8, P. I, dub. 4 et 6, t. I, pp. 162-163; d. 25, a. 2, q. 2c et ad 2, pp. 444-445; d. 43, a. unic., q. 3, ad 1, p. 772b; d. 44, a. 2, q. 1 ad 3, p. 805b; *II Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1c et ad 2, t. II, pp. 394b-395b; *III Sent.*, d. 1, a. 1, q. 1, obi. 5, t. III, p. 9a; *I Sent.*, d. 3, P. I, a. unic., q. 2, ad 3, t. I, p. 72b; d. 4, dub. 4, p. 94b; d. 8, P. I, a. 1, q. 1c, p. 151b; d. 13, dub. 7, p. 241b; d. 35, a. unic., q. 1c et ad 2, p. 601; *II Sent.*, d. 17, a. 1q. 1 ad 3, t. II, p. 412b; *III Sent.*, d. 2, a. 1, q. 1 ad 4, t. III, p. 38b; a. 3, q. 3 ad 1, p. 55 ad 1; *IV Sent.*, d. 6, P. I, a. unic., q. 2 ad obi., t. IV, p. 140b; *I Sent.*, d. 1, dub. 5, t. I, p. 43a; d. 25, a. 2, q. 2c, pp. 444-445; d. 7, a. unic., q. 4, p. 143b; d. 29, a. 1, q. 2c, p. 511; d. 31, P. II, a. 2, q. 1, fund. 3, p. 546a; *II Sent.*, d. 24, dub. 3, t. II, p. 608; *III Sent.*, d. 1, a. 1, q. 1, fund. 3 et ad 4 et 5, t. III, p. 9a, 11b; a. 1, q. 4 ad 4, p. 18b; d. 2, a. 1, q. 1 ad 2, p. 38.
2 *I Sent.*, d. 48, a. 1, q. 1c, t. I, p. 852b.
3 *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 3c, t. I, p. 395.
4 *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 3 per totum, t. I, pp. 394-396; d. 34, a. unic., q. 4 per totum, pp. 593-594; d. 44, dub. 10, p. 814; *In Hexaemeron*, collatio 11, nn. 5-25, t. V, pp. 281-284.

formali significatione includant imperfectionem, quae Deo minime convenire potest, non assumuntur ad significandas ipsas divinas perfectiones secundum esse, sed solum ad significandam virtutem divinam producendi effectus similes effectibus propriis productis a creaturis ex quibus transferuntur, ita tamen ut non requiratur omnimoda similitudo utrobique [1]. Et sic Deus dicitur irasci, quatenus sicut homo iratus et offensus punit sibi affendentem ita Deus offesus punit in se peccantem sibique offendentem [2]. Pariter dicitur lux vel sol, quia sicut lux corporalis vel sol illuminat corpora ita Deus illuminat animas [3]. Eodem iure Deus incarnatus, idest Christus, appellatur agnus, leo, lapis angularis, quatenus sicut agnus mansuetus est ita Christus mitis fuit et mansuetus et humilis, et sicut leo fortiter expugnat inimicos suos ita Christus fortiter expugnavit ac destruxit imperium diaboli et peccati, et sicut lapis angularis sustinet totam domum materialem ita Christus sustinet totam domum spiritualem quae est Ecclesia [4]. Similiter manducatio spiritualis corporis Christi in Sacramento Eucharistiae dicitur manducatio per analogiam proportionalitatis metaphoricae ad manducationem corporalem ciborum materialium quibus corporaliter nutrimur. Quam analogiam ita pulchre ac devote expendit: «*manducatio primo et proprie in corporalibus invenitur, et ab his ad spiritualia est translata*; et ideo, si velimus accipere rectam manducationem spiritualem, necesse habemus ad propriam acceptionem vocabuli nos transferre. Notandum igitur quod, licet multiplex actus sit in manducatione corporali annexus et consequens, iste tamen *duplex* est qui est de *integritate masticatio* scilicet et *incorporatio*, ut patet inspicienti. Si ergo ratio manducationis *congrue* transfertur ad spiritualia, oportet *haec* duo reperire, et secundum ea in quibus haec duo consistunt, manducatio *spiritualis* attenditur. Spiritualis *manducatio* est recogitatio cibi, scilicet carnis Christi pro nobis expositae in pretium ad redimendum et in cibum ad reficiendum:

[1] *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 3c, t. I, p. 396; d. 34, a. unic., q. 4 in fine, p. 594b.

[2] *I Sent.*, d. 45, dub. 10, t. I, p. 814a; *IV Sent.*, d. 44, P. II, a. 1, q. 1 ad 5, t. IV, pp. 922-923.

[3] *Quaestiones disputatae de mysterio Trinitatis*, q. 3, a. 2, obi. 8, t. V, p. 75b; *II Sent.*, d. 13, a. 1, q. 1 ad 3, t. II, p. 313b; a. 2, q. 2, fundam. 3 et ad 3, p. 319a, 321b.

[4] *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 3c et ad obiecta, t. I, pp. 395-396; d. 34 a. unic., q. 4, p. 593; 594.

incorporatio vero attenditur, dum recogitans caritatis amore ei quod cogitatur, iungitur et sic incorporatur, et dum incorporatur, reficitur et magis assimilatur. Ad hoc ergo quod quis spiritualiter manducet, requiritur *recogitatio fidei* et *affectio caritatis*: in primo est *masticatio*; in secundo *incorporatio*; *et ex his duobus integratur spiritualis manducatio*». Et quamvis non sit utrobique «*omnimoda* similitudo, est tamen similitudo *sufficiens* ad translationem; quia *sicut* hic *corporaliter* est masticatio et incorporatio, *ita* et in manducatione *spirituali*. Sed in hoc est *dissimilitudo*: quia in corporali manducans convertit in se cibum, quia dignior et nobilior est cibo: in spirituali est e contrario, quia cibus est nobis dignior et perfectior et completior: ideo potius in ipsum mutamur et incorporamur quam e converso». Sufficit tamen ad analogiam metaphoricam illa similitudo, quia «in translatione non oportet omnimodam attendi similtudinem, sed *sufficit reperire aliqualem*» [1].

Nomina vero quae ex creaturis extenduntur ad creatorem secundum analogiam proportionalitatis propriae, hoc ipso quod in sua formali significatione nullam involvunt imperfectionem, assumuntur ad significandas ipsas divinas perfectiones secundum esse quod in Deo habent, et ideo proprie et substantialiter praedicantur de ipso Deo. Verbi gratia, creatura rationalis dicitur imago et expressa similitudo Dei secundum convenientiam sive analogiam proportionalitatis propriae, «quod patet sic: convenientia enim proportionis attenditur *secundum similiter se habere;* similiter autem se habere, hoc potest esse dupliciter: vel in comparatione ad extrinseca, vel in comparatione ad intrinseca; tunc autem est similitudo *expressa* quando non tantum est similis modus se habendi in comparatione ad extrinseca, sed in comparatione ad intrinseca. Contingit autem comparare divinam essentiam ad creaturam, contingit etiam comparare personam ad personam.

Omnis autem creatura aliquam comparationem habet secundum quam aliquo modo conformatur Deo, secundum quod est *causa* creaturae, sicut est comparatio illa quae est *ad effectum*

[1] *IV Sent.*, d. 9, a. 1, q. 2c et ad 3, t. IV, pp. 203-204. Cf. *ibid.*, d. 8, a. 1, q. 2, obi. 4-6, p. 193; *I Sent.*, prooem., t. I, p. 1b; d. 22, a. unic., q. 3, pp. 395-396; d. 27, P. II, a. unic., q. 2, obi. 1 et ad fundamenta, p. 488a, 490b; d. 34, a. unic., q. 4, argo. 1 sed contra, p. 593b; *II Sent.*, praelocutio, t. II, p. 3b; *III Sent.*, d. 31, a. 2, q. 3, ad 1, t. III, p. 290a.

proprium: *sicut* enim Deus producit suum effectum, *sic* et agens creatum, licet non omnino.

Creatura vero rationalis non solum sic convenit, sed etiam quantum ad *intrinsecarum* suarum *potentiarum originem, ordinem et distinctionem*, in quibus assimilatur illi distinctioni et ordini quae est in divinis personis *intrinseca* divinae naturae. Et in hoc ostendit Augustinus in libro de Trinitate hominem esse imaginem Dei; et hoc explanatum fuit in primo libro[1], ubi ostensum est quod in anima rationali est unitas essentiae cum trinitate potentiarum ad invicem ordinatarum et *quasi consimili modo se habentium sicut se habent personae in divinis*. Et ideo est ibi *expressa similitudo proportionis*; et propter hoc rationalis creatura, quae est homo, est imago Dei»[2]. «Habet enim creatura intellectualis memoriam, intelligentiam et voluntatem seu mentem, notitiam et amorem: mentem ad modum parentis, notitiam ad modum prolis, amorem ad modum nexus ab utroque procedentis et utrumque connectentis; non enim potest mens non amare verbum quod generat. In his autem non tantum attenditur origo et emanatio per quam est in eis distinctio, verum etiam aequalitas et consubstantialitas et inseparabilitas, ex quibus expresso testimonio clamatur Deum esse trinum. Cum enim sit spiritus et intellectus, non potest carere verbo genito et amore processivo, in quibus sit distinctio ratione orignis et emanantionis unius ab altero, sive etiam cum hoc aequalitas et consubstantialitas et inseparabilitas»[3].

Sed praesertim ostendit analogiam proportionalitatis propriae inter Verbum divinum et verbum mentis humanum «quantum ad tria, scilicet quantum ad emanationem sive originem, quantum ad dispositionem, quantum ad unionem. Nam haec tria in Filio Dei est considerare: originem, secundum quam dicitur Filius; dispositionem aeternam, secundum quam dicitur mundus archetypus et ars plena omnium rationum viventium; et unionem, secundum quam dicitur homo factus.

Similitudo est in *origine*. Nam *sicut* Filius per modum naturae procedit per omnia Patri similis, *sic* verbum intellectus a mente procedit per modum naturae per omnia ei simile et aequale; unde dicitur mentis conceptus.

[1] *I Sent.*, d. 3, P. II, t. 1, pp. 80-93.
[2] *II Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1c, t. II, p. 395.
[3] *Quaestiones disputatae de mysterio Trinitatis*, q. 1, q.2c, t. V, p. 55a. Cf. etiam *In Hexaemeron*, collatio 11, nn. 5-12, t. V, pp. 381-382.

Quantum ad *dispositionem* est similitudo. Nam *sicut* homo nihil operatur rationabiliter quod non praecogitet et mente concipiat, *sic* Deus Pater omnia in Verbo disposuit. Et *sicut* dispositio nostra vel praeconceptio potest esse etiamsi non sequatur opus, *sic* et dispositio aeterna et praecognitio non ab opere dependet.

Quantum vero ad *unionem* est similitudo. Nam *sicut* verbum mentis unitur voci ut innotescat et tamen non transit in vocem, sed manet integrum in mente; *sic* per omnia in Verbo aeterno intelligendum est, quod unitum est carni et non transit in carnem, sed manet integrum apud Patrem»[1].

Aliud exemplum proportionalitatis propriae est in notione dominii et servitutis. Nam *sicut* Deus et homo in potestate constitutus vere et proprie dicuntur domini, unusquisque in suo ordine suoque modo; *ita* et servitus debita Deo et homini vere et proprie dicitur servitus, licet servitus Deo debita sit sui generis et sui quoque generis servitus debita homini: «*dominus* communicatur creaturae, et de Creatore et de creatura dicitur *analogice*»[2].

Rursus, «*sicut* se habet meritum ad premium *ita* demeritum ad supplicium»[3]; et quidem utrobique non secundum omnimodam aequalitatem, sed solum secundum aequalitatem proportionalem, «sicut fructus dicitur recte commensurari semini quando tantum excedit sicut conveniebat fecundanti semini et terrae germinanti. Unde sicut aliquis non esset contentus si de semine non reciperet decuplum, sic nullus posset esse contentus ex operibus meritoriis factis nisi pro eis reciperet premium perfectum, quod complet et terminat totum desiderium»[4]. Nimirum premium datur a Deo ultra condignum meriti, paena vero citra condignum, servata tamen aequalitate proportionalitatis et non absolutae utrobique[5].

Et in ipso Deo ponit analogiam proportionalitatis propriae inter unum attributum et aliud, puta inter immensitatem et aeternitatem «*Sicut* enim Deus simplex et immensus est totus in locis

[1] *I Sent.*, d. 27, P. II, a. unic., q. 4c, t. I, p. 490a. Cf. etiam *De reductione artium ad Theologiam*, n. 20, t. V, p. 324a.
[2] *III Sent.*, d. 9, a. 2, q. 4 ad 1, t. III, p. 220b.
[3] *IV Sent.*, d. 44, p. II, a. 1, q. 1, fund. 4, t. IV, p. 921a.
[4] *II Sent.*, d. 27, a. 2, q. 3 ad 4 et 5, t. II, p. 668b.
[5] *IV Sent.*, d. 44, P. II, a. 1, q. 1 ad 3, t. IV, p. 922b.

distantibus, quae loca etsi ad invicem distant, tamen exsistens hic et ibi non distat a se propter summam unitatem et simplicitatem; *sic* divinum esse, quod est aeternum, etsi sit in diversis temporibus propter immensitatem, licet illa tempora habeant distantiam et dilationem, ipsum tamen est indistans a se propter summam simplicitatem. Et *sicut* divina incircunscriptibilitas habet omnia loca sibi praesentia, licet illa vere sint distantia; *sic* divina aeternitas habet sibi omnia tempora praesentia, nec tamen ipsa succedit cum illis, licet illa vere succedant» [1].

Sed et ordinis pure philosophici plura adhibet exempla utriusque analogiae proportionalitatis. Analogiae quidem proportionalitatis *propriae*, ut cum dicit quod sicut verbum oris est signum verbi mentis ita verbum mentis est signum rei cognitae [2]. Item, sicut veritas rerum est indivisio entis *ab* esse, ita veritas sermonum est indivisio entis *ad* esse, et veritas morum indivisio entis *a fine*; vel sicut veritas cognitionis est adaequatio intellectus et rei, ita veritas locutionis est adaequatio vocis et intellectus, et veritas vitae adaequatio morum et regulae moralitatis [3]: et «sicut veritas creata est proprietas et ratio cognoscendi essentiam creatam, sic veritas increata secundum rationem significandi et intelligendi est ratio cognoscendi et intelligendi essentiam increatam» [4] Rursus, sicut se habet homo ad animal in categoria substantiae, ita se habet albedo ad colorem in categoria qualitatis, nempe ut species ad genus [5]. Similiter, sicut se habet individuatio substantialis ad substantiam, ita individuatio accidentis ad accidens: nam communitas habitudinis proportionalis «potest esse per comparationem ad res diversorum generum, ut Petrus et albedo in hoc quod est esse individuum uniuntur, et per prius convenit ratio individui Petro quam eius albedini» [6]. Pari modo, «sicut affectus se habet ad bonum ita intellectus se habet ad verum, et sicut omne bonum a summa bonitate ita omne verum a summa veritate» [7].

---

1 *Quaestiones disputatae de mysterio Trinitatis*, q. 5, a. 1c, t. V, p. 90a.
2 *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 1 ad 3, t. I, p. 391; *In Hexaemeron*, collatio 12, n. 10, t. V, p. 389b.
3 *De donis Spiritus Sancti*, collatio 4, n. 7, t. V, pp. 472-473.
4 *I Sent.*, d. 8, P. I, a. 1, q. 1 in fine, t. I, p. 152b.
5 *I Sent.*, d. 1, q. 1c, t. I, p. 38b.
6 *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 2c, t. I, p. 443b.
7 *Quaestiones disputatae de scientia Christi*, q. 4, fundam. 29, t. V, p. 20a. Videsis aliud exemplum de materia in corporalibus et spiritualibus, *II Sent.*, d. 3, P. I, a. 1, q. 2c, t. II, pp. 96-97.

Analogiae etiam proportionalitatis *metaphoricae*, ut cum dicimus pratum ridere [1]; vel ita se habere nautam ad navim sicut se habet magister ad scholam, «quia uterque debet esse non sorte, sed arte peritus» [2]; aut quod «ordo partium in microcosmo sive in minori mundo respondet ordini partium in maiori mundo» [3]; et «*sicut* Deus in maiori mundo immediate est in omni creatura ipsam continens, tamen per ordinem universi influit aliquid una creatura in aliam, *sic* intelligendum quod anima per sui praesentiam est in qualibet parte immediate quam continet et conservat, non tamen omnino, sed influit in omnes partes per unam» [4].

613. Denique *S. Albertus Magnus* hos omnes praetergrediens, quaecumque de notione ac divisione analogiae tradiderant Aristoteles, Pseudo-Dionysius, S. Joannes Damascenus, Eustratius, commentarores arabes et latini, in unum collegit, digessit, penetravit, dilucide exposuit novisque auxit.

Univoca vere, proprie et simpliciter dicta [5], quae et omnino sive penitus vel pure univoca appellat [6], dicuntur illa quorum nomen et natura significata per nomen et modos significandi naturam illam sive intentio nominis

---

1 *I Sent.*, d. 22, a. unic., q. 3c, t. I, p. 396a.
2 *I Sent.*, d. 25, a. 2, q. 1c, t. I, p. 443a; d. 3, P. I, a. unic. q. 2, ad 3, p. 72b.
3 *II Sent.*, d. 14, P. I, a. q. 1, arg. 3, t. II, p. 336a; d. 30, a. 1, q. 1, arg. 4, p. 715a; *Quaestiones disputatae de perfectione evangelica*, q. 4, a. 3, fund. 20-21, t. V, p. 192a; *Breviloquium*, prolog., § 2, t. V, pp. 203-204; *Itinerarium mentis in Deum*, cap. 2, t. V, pp. 300-303.
4 *I Sent.*, d. 8, P. II, a. unic., q. 3 ad 7, t. I, p. 172b.
5 S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa theol.* I P., tract. 10, q. 43, memb. 2, a. 1 ad 4, ed. A. Borgnet, t. 31, p. 459b; q. 44, memb. 1 ad 3 quartae sententiae, pp. 470-471; *II Sent.*, d. 16,a. 6c, t. 27, p. 293b; *De Praedicabilibus*, tract. 4, cap. 4, t. I, p. 70b; *Summa theol.*, I P., tract. 9, memb. 1, a. 1 ad 1-3, t. 31, p. 428a; q. 44, memb. 1 ad 3, p. 471b; II P., tract. 15, q. 94, memb. 2, § ad id quod ulterius quaeritur, ad 3, t. 33, p. 213b.
6 *I Sent.*, d. 26, a. 2 ad 2, t. 25, p. 629b; *IV Sent.*, d. 38, a. 7c, t. 30, p. 406a; *Summa theol.*, I P., tract. 8, q. 35, memb. 2, ad q. 2 circa finem, t. 31, p. 363b; tract. 10, q. 44 ad 3 quartae sententiae, p. 470b; tract. 14, q. 59, mmeb. 4, ad 1-3 quaestionis secundae, p. 596b; *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 9, t. 6, p. 420b; *VII Physic.*, tract. 2, cap. 2, t. 3, p. 510a.

sunt omnino eadem. «Univoca autem sunt quae a tali forma imposita sunt ad quam omnium participantium eam est respectus unus secundum rem et rationem sine magis et minus, sicut animal participatur a speciebus animalium et homo participatur ab individuis quae sunt sub ipso» [1]. Nam simpliciter univocum «per unitatem nominis et unitatem definitivae rationis est univocum; in tali enim univoco et ad quod multa respiciunt, unum et idem est esse in substantia, et in omnibus quae respiciunt ad id est unus modus et una ratio respectus et respiciendi ad ipsum» [2]. «Omnium autem eorum quae per unum respectum unam etiam substantiam participant, participatio est immediate aequalis, ita quod nec secundum magis et minus, nec secundum prius et posterius, sicut patet in participatione individuorum ad speciem et participatione specierum ad genus» [3]: et sic «univoca sunt unum per respectum unius rationis ad id in quo univocantur» [4], siquidem univocum «in pluribus aequalem et coaequaevum ad unum et idem ponit respectum» [5], «quia univocum de multis dicitur uno modo et ratione una» [6]; «et ita, et nomen et natura et ratio impositionis nominis erit una in talibus ut sic» [7]. «Haec enim natura in omnibus illis est una et non per prius et posterius participata, sed aequaliter et eodem modo: propter quod tale nomen simpliciter commune est omnibus illis, nihil nominans in uno quod non nominetur in altero» [8]; «quia in univocis ratio quae convenit uni, convenit et alteri» [9].

Verbi gratia, eadem est natura eademque ratio sive definitio sicut et idem nomen hominis et bovis *in quantum animalia sunt*,

---

[1] *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. I, p. 11a.
[2] *Ibid.*, tract. 4, cap. 5, p. 70b.
[3] *I Ethic.*, tract. 5, cap. 12, t. 7, p. 75b.
[4] *I Sent.*, d. 2, a. 19, ad 6, t. 25, p. 78b.
[5] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 1, ad 3 quartae sententiae, t. 31, p. 471a.
[6] *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 206a.
[7] *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 3, t. I, p. 155b.
[8] *Ibid.*, paulo supra.
[9] *VI Topic.*, tract. 5, cap. unic., t. 2, p. 467b.

quia in animali univocantur; «et ideo, si explicetur natura sive substantia quae dicitur per nomen, sicut nomen commune [est], sic explicans nomen ratio vel definitio erit communis aequaliter utrique: unde si quis assignet utriusque rationem, hominis scilicet et bovis secundum hoc quod sunt animalia, hoc est, secundum naturam de qua notam facit nomen commune quod est animal, eandem de necessitate assignabit hominis scilicet et bovis rationem definitivam», nempe substantiam animatam sensibilem. «Et similiter est de Socrate et Platone in hoc nomine *homo*. Et hic est in omnibus quae ut genus vel species sunt, vel ut differentia, vel ut proprium, vel ut accidens, sub eodem nomine praedicantur, ut dicunt Avicenna et Algazel: si enim dicatur, Socrates est albus et Cicero est albus, si ratio sumatur secundum nomen commune, praedicatum de Socrate et Cicerone erit una et eadem ratio; idem si dico Socratem esse risibilem, et idem erit si dicam Socratem esse rationalem. Et, ut generaliter dicatur, omne quod ut universale de multis ut de sibi subiectis praedicatur, univoce dicitur» [1].

Sic ergo univocum «est cuius nomen et substantia et substantiae ratio est *penitus unum*» [2], et univoca «sunt idem nomine et ratione» in illo in quo univocantur [3], siquidem «univoca sunt quorum est ratio eadem secundum idem nomen [4], ideoque «nomen commune secundum unam rationem substantiae convenit eis» [5] utpote «communia per intentionem unam» [6]; «hoc enim est dici univoce, quod est dici nomine et ratione una» [7], «quae enim praedicantur secundum unum nomen et unam naturam et unam rationem, univoce praedicantur, et haec non possunt praedicari nisi de his quae sunt in uno genere» [8], et ita «definiuntur una ratione data secundum illud nomen commune» [9].

---

[1] *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 3, t. I, p. 156a.
[2] *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 9, t. 6, p. 420b.
[3] *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 7, p. 216a. Univoca sunt per omnia similia, et de omnibus univocatis dicuntur secundum unam rationem et unum nomen (*IV Meteororum*, tract. 1, cap. 12, t. 4, p. 724a).
[4] *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 13, § 9, dub. 3, obi. 2, t. 14, p. 376a; *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 3, t. I, p. 155, 157b; *VI Topic.*, tract. 5, cap. unic., t. 2, p. 466a.
[5] *Summa theol.* I P., q. 41, memb. a. 1, obi. 1, t. 31, p. 427a.
[6] *I Sent.*, d. 26, a. 3, ad 1, t. 26, p. 10b.
[7] *II Sent.*, d. 46, a. 12, § Quaeritur ergo, t. 26, p. 445a.
[8] *I Ethic.*, tract. 5, cap. 13, t. 7, p. 77a.
[9] *II Sent.*, d. 35, a. 2, obi. 1, t. 27, p. 562b.

Unde et proloquia illa: «univocorum est ratio una»[1]; «quorum una est definitio sunt univoca»[2], utpote «unius rationis in nomine illius communis»[3], nam vere univocum dicitur quando «natura est una sicut nomen unum est in his de quibus praedicatur»[4], «quia univocum vere a natura una causatur, quae communis pluribus participatur a singulis»[5].

Quam ob rem, «quaecumque unum habent nomen participatione eiusdem naturae communis, sunt univoca»[6]: «quaedam enim est [communitas rationis] secundum naturam communem per eandem rationem participatam a pluribus, quae natura communis abstrahitur ab unoquoque illorum, et secundum esse in quolibet illorum compositionem habet cum eo quod contrahit eam ad hoc et ad illud; et illa natura facit universale, et secundum totum posse quod habet illa natura non est in uno, licet sit in eo secundum esse: ideo haec natura excedit quodlibet illorum de quo praedicatur, quoad posse; et qui est in eo secundum totum esse suum, ideo est ratio cuiuslibet eorum de quo praedicatur vel pars rationis eius, vel simpliciter ut in genere vel specie, vel secundum quid sicut in proprio et accidente»[7].

Et ratione huiusce unitatis omnimodae qua univocum est essentialiter sive per essentiam in suis univocatis, haec parificantur in natura vel essentia illa communi: «quorumcumque enim participatio est unius formae, si participatio immediata sit, omnia participabunt illud aequaliter, et non secundum prius et posterius»[8], siquidem ratio el definitio «*aequa* et non per prius et posterius» convenit univocis[9].

Ex hoc igitur quod «genus... una ratione praedicatur de omnibus in quibus est»[10] —«per univoce enim praedicari... intelligitur praedicari secundum unam communem naturam de omnibus illis quae ordinantur sub uno genere[11]—, sequitur illud «secundum unam rationem aeque praedicari de speciebus»[1]; nam «quandocumque aliqua in una ratione participant genus, unum non magis proprie recipit praedicationem illius generis quam aliud»[2].

[1] *Summa theol.* I P., tract. 19, q. 76, qla. 3, t. 31, p. 796a.
[2] *Summa theol.*, II P., tract. 15, q. 9, memb. 2, § adhuc quaeritur ulterius, t. 33, p. 212a.
[3] *IV Sent.*, d. 38, a. 7, obi. 1, t. 30, p. 405a.
[4] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 43, ad 4, t. 31, p. 459b.
[5] *Op. cit.*, I P., tract. 10, q. 44, ad 3 quartae sententiae, p. 471a.
[6] *I Sent.*, d. 2, a. 11, arg., 1 sed contra, t. 25, p. 66a.
[7] *I Sent.*, d. 23, a. 5c, t. 25, p. 495b.
[8] *I Ethic.*, tract. 5, cap. 13, t. 7, p. 76a.
[9] *II Physic.*, tract. 1, cap. 13, t. 6, p. 108b.
[10] *I Metaph.*, tract. 5, cap. 13, t. 6, p. 108b.
[11] *Summa de creaturis*, II P., q. 80, arg. 1 sed contra, t. 35, p. 650a.

Unde et «species ex aequo participant suum genus»[3]: «cum enim species coaequaevae sub uno sunt genere, oportet quod natura generis sit univoca in illis»[4]. Verbi gratia, «aequaliter et non secundum magis et minus homo et bos, qui sunt species animalis, sunt animal, quod est genus, participantes»[5].

Eodem iure ratio speciei et differentiae participatur aequaliter ab individuis, nam «commune est differentiae et speciei aequaliter et non secundum magis et minus a suis inferioribus participari. Et hoc est manifestum per exempla: hominem enim, quod est species, aequaliter et non secundum magis et minus participant particulares homines; et similiter non secundum magis et minus participant rationale, quod est differentia. Et huius causa iam superius assignata est, quia scilicet species est totum esse individuorum et differentia est pars esse speciei et individuorum, et non recipit magis et minus: si enim magis et minus reciperet secundum esse, vel adderetur vel minueretur aliquid ab esse vel ad esse, tunc non esset idem esse quod prius, quod falsum est et imposibile»[6].

Similiter ratio proprii participatur ex aequo ab omnibus individuis: «aequaliter Cato et Cicero, qui sunt speciei hominis individua, sunt risibile, quod est proprium hominis, partcipantes..., nec participant suae speciei proprium secundum magis et minus»[7].

614. Ab hac autem unitate et identitate, rationis et naturae significatae per nomen et aequalitate participationis eius, recedunt *aequivoca*, ex eo dicta quia nonnisi «aequaliter nomen habent»[8]. Hoc enim ipso quod ratio significata per nomen «non est penitus eadem et aequa-

[1] *De Praedicabilibus*, tract. 4, cap. 5, t. 1, p. 71b.
[2] *IV Sent.*, d. 38, a. 7, arg. 1 sed contra, t. 30, p. 405b.
[3] *VII Physic.*, tract. 2, cap. 2, t. 3, p. 509b.
[4] *III Physic.*, tract. 1, cap. 2, p. 180b.
[5] *De Praedicabilibus*, tract. 8, cap. 6, t. I, p. 132a.
[6] *Ibid.*, cap. 8, p. 136b.
[7] *Ibid.*, cap. 6, p. 132a, 133b.
[8] *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. I, p. 152a.

liter, non secundum magis et minus, participata»[1], ratio illa est diversa et multiplex: «ratio diversa est quando non penitus est eadem»[2]. Et ideo aequivoca «multipliciter dicuntur et non uno modo»[3], eo ipso quod recedunt ab unitate et uniformitate omnimoda univocorum. Quare «omne aequivocum aliquo modo est diversae naturae cui respondet ratio diversa»[4], quaecumque tandem sit diversitas et multiplicitas illa: sufficit enim ad rationem communem et universalem aequivoci recedere a perfecta et totali unitate univocorum[5]. Quo in sensu universaliter dici potest illud nomen esse aequivocum quod, idem verbotenus cum sit, diversorum tamen praedicamentorum est quantum ad rem et rationem significatam per nomen: «nam, si significata in [diversis] generibus praedicamentorum non sunt eadem, manifestum est quod dicitur aequivoce quod dicitur in diversis generibus esse secundum sua significata, quia essentiae praedicamentorum sunt impermixta. Sic, ut exemplariter dicatur, bonum quidem in genere ciborum dicitur effectivum voluptatis; bonus enim cibus est voluptuosus: in genere medicinae bonum, quod bona dicitur medicina, est effectivum sanitatis: in anima vero, tanquam in alio genere, dicitur bonum, *qualem esse* secundum bonitatem, ut castum vel fortem vel iustum»[6].

615. Et inde sumitur *fundamentum divisionis aequivocorum*. Cum enim de ratione aequivocorum sit plura significare sive multipliciter dici, eorum divisio sumenda est ex diverso modo quo idem nomen potest significare plura vel multipliciter praedicari. Aut enim nomen unum significat plura aequaliter et totaliter, idest plura ut plura, et tunc dicitur aequivocum totaliter vel simpliciter;

1 *Ibid.*, p. 153a.
2 *Ibid.*, p. 152b.
3 *I Metaph.*, tract. 5, cap. 10, t. 6, p. 105b.
4 *I Sent.*, d. 7, a. 4, arg. 1 sed contra, t. 25, p. 210a.
5 *VI Topic.*, tract. 5, cap. 1, t. 2, pp. 466-467.
6 *I Topic.*, tract. 4, cap. 6, p. 283b.

aut significat plura inaequaliter et quodammodo partialiter, idest plura secundum prius et posterius sive ut aliquo modo unum, quo in casu dicitur aequivocum partialiter tantum vel secundum quid, nempe aequivocum secundum analogiam[1] seu aequivocum secundum prius et posterius[2].

En verba S. Doctoris perspicua: «cum enim aequivocatio ab aequa vocatione dicatur, erit *modus primus et principalis* quando vox *sic aequaliter ad plura significata refertur quod ad unumquodque refertur aequaliter*, et non significat unum principaliter et aliud secundario sicut modum aliquem principalis significati; *talis enim dictio aequaliter plura significat*, secundum definitionem aequivocationis in *Praedicamentis* datam quod aequivoca sunt quorum *solum nomen commune* est, ratio autem substantiae significatae [omnino] diversa... Rursus, *secundus modus aequivocationis* est quando *non aequaliter una vox plura significat, sed unum principaliter et aliud secundario*»[3].

Et post pauca: sufficientia eorum patet ex ipsa divisione. Omne enim quod *plura* [per se aut secundum se] significat, *aut* significat *omnia principaliter* [idest aeque primo], *aut unum prius et alia ex consequenti*»[4].

In primo casu aequivocatio est manifesta, eo quod rationes significatae per nomen sunt multum distantes utpote omnino diversae; in secundo autem aequivocatio est occulta, quia rationes significatae per nomen conveniunt aliquo modo in uno principali, et ideo accedunt aliqualiter ad univocationem. «In talibus autem, ait S. Doctor, quando aequivocatio secundum formas a quibus imponitur nomen propinqua est univocantioni, oportet ipsorum aequivocationem latentem esse, sicut in his in quibuscumque secundum rationem nominis respicitur ad unum secundum rem: sicut in sano, quod dicitur de diaeta et exercitio et urina et animali; in his enim respectus ad unum est, quod est animal, quamvis modus respiciendi non sit unus: et talia proprie non aequivoca, sed analoga dicuntur. In quibus autem formae multum distant a quibus nomina imponuntur, quae ideae graece

1 *I De Anima*, tract. 1, cap. 7, t. 5, p. 132a; *I Sent.*, d. 24, a. 2, c, t. 25, p. 609b; *I Elenchorum*, tract. 5, cap. 1, t. 2, p. 615a.
2 *I Sent.*, d. 29, 1 ad 1, t. 26, p. 75a.
3 *I Elenchorum*, tract. 2, cap. 1, t. 2, p. 537.
4 *Ibid.*, p. 338b.

13

nuncupantur, non latet aequivocatio, et illa dicuntur casu et fortuna aequivoca: puta, sicut quando aequivoce vocatur clavis epiglottis quae est sub collis animalium, claudens cannam tempore cibi ne aliquid de cibo incidere possit, et aperiens tempore vocationis ut in libero sono vox formetur; et quando dicitur clavis instrumentum quo serae ostium clauduntur et aperiuntur: harum enim formae valde remotae sunt, et statim manifestant aequivocationem; sicut etiam quando dicitur canis caeleste, latrobile et marinum» [1].

Primus ergo et principalis aequivocationis modus, quem appellat vere [2], proprie [3], pure [4], simpliciter [5], omnino [6], penitus aequivocum [7], aut etiam, post Boetium, aequivocum a casu et fortuna [8], aequivocum casu et fortuna [9], aequivocum per casum et fortunam [10], habetur quando nomen quidem unum idemque est, ratio vero significata per nomen est omnino diversa et disparata. Pure namque aequivoca «non habent principium unum» [11], neque ponunt «respectum diversorum ad naturam unam per intentionem nominis» [12], ita quidem ut «nec unius rationis sint neque

---

1 *V Ethicorum*, tract. 1, cap. 1, t. 7, pp. 332-333.
2 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 206b.
3 *II Sent.*, d. 16, a. 6c, t. 27, p. 293b.
4 *VII Physic.*, tract. 2, cap. 2, t. 3, p. 510a; *I Ethic.*, tract., 5, cap. 17, t. 7, p. 81b; *I Sent.*, d. 5, a. 9, ad ultimum, t. 25, p. 191b in fine.
5 *De Praedicabilibus*, tract. 4, cap. 5, t. I, p. 70b; *I Sent.*, d. 25, a. 2, ad 2, t. 25, p. 629b; *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 5, memb. 2 ad 5, t. 31, p. 24b; tract. 6, q. 26 ad obiecta, p. 233b circa principium; tract. 9, q. 41, memb. 1, a. 1 ad 1-3, p. 428a.
6 *I Sent.*, d. 5, a. 9, ad ultimum, t. 25, p. 191b; *IV Sent.*, d. 38, a. 7 ad quaest., t. 30, p. 406a; *Summa theol.*, I P., tract. 8, q. 35, memb. 2 ad 2 quaestionem, t. 31, p. 363b; tract. 13, q. 51 ad quaesti. 3, p. 531a.
7 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, ad 2 quaest., t. 31, p. 596a; *Summa de creaturis*, I P., tract. 4; q. 21, a. 3c, t. 34, p. 467b; *I Ethic.*, tract. 2, cap. 3, t. 7, p. 20a.
8 *De Praedicabilibus*, tract. 4, cap. 5, t. I, p. 70b; *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, ibid., p. 153a; *III Physic.*, tract. 1, cap. 2, t. 3, p. 181a.
9 *I Elenchorum*, tract. 5, cap. 1, t. 2, p. 615b; cap. 5, p. 626a; *I Ethic.*, tract. 5, cap. 17, t. 7, p. 81b; *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1, obi. 3, t. 31, p. 587b.
10 *I Sent.*, d. 24, a. 2c, t. 25, p. 609b; d. 29, a. 1 ad 1, t. 26, p. 75a.
11 *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 13, & 9, dub. 3, obi. 3, t. 14, p. 376a.
12 *I Sent.*, d. 2, a. 11, arg. 2 sed contra, t. 25, p. 66a.

attingant unum in ratione» [1], sed dicitur alia et alia ratione de diversis tali diversitate ut ratio unius recedat *omnino* a ratione alterius [2], nec in illis ratio unius clauditur aliquo modo in alio secundum intellectum [3]. Quo fit ut pure aequivocorum sit «multitudo rationum simpliciter» [4], «simpliciter enim aequivocum est *quando una vox secundum diversas rationes refertur ad multa*, et ex illo non potest procedere aliqua scientia nisi prius distinguatur, eo quod propositio talis subiecti et talis praedicati simpliciter est plures et non una» [5]; et ideo communitas aequivocationis «est in *solo nomine*» [6], nec de pluribus dicitur nisi «secundum *solam communitatem nominis*» [7]. Unde et eius distinctio non est nisi unius «vocis in significationes» omnino disparatas, cum «ratio naturae», per eam significata sit «penitus diversa» in diversis aequivocatis [8].

Propter quod ait «aequivocum secundum *veram* aequivocationem» tunc haberi quando «solum nomen commune est et ratio substantiae et naturae diversa est, et ad unam naturam non dependet illa diversitas» [9]. Nam «ea quae aequivoca sunt, licet aliquod habeant praedicatum secundum totum ambitum *vocis*, tamen *nullum penitus habent praedicatum essentiale secundum communitatem vocis omnibus conveniens*. Vere enim dici potest quod omnis canis est pulcher; sed cum res *penitus* sit *diversa* quae in communitate vocis continetur, quod essentiale est uni non est essentiale alteri, et sic nihil essentiale praedicari potest de aequivoco» [10]. Sunt autem rationes simpliciter diversae «si nec secundum primum dicerentur a quo nomen accipiunt, nec dicerentur ad unum ad quod dependent secundum rationem: tunc enim *omnino* est ratio substantiae *diversa*, et ideo de eis non

---

1 *II Sent.*, d. 16, a. 6, arg. sed contra, t. 27, p. 393b.
2 *III Sent.*, d. 8, a. 2 obi. 6, t. 28, p. 165b.
3 *I Sent.*, d. 5, a. 9, ad obiecta, t. 25, p. 191b.
4 *I Sent.*, d. 2, a. 19, ad 5, t. 25, p. 78b.
5 *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 5, memb. 2, ad 5, t. 31, p. 24b.
6 *Summa theol.*, II P., tract. 15, q. 94, memb. 2, ad 2 eius quod ulterius quaeritur, t. 33, p. 213b.
7 *Summa de creaturis*, II P., q. 80, arg. 1 sed contra, t. 35, p. 650b.
8 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, & Ulterius quaeritur, t. 31, p. 231a.
9 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 3, p. 206b.
10 *Ibid.*, pp. 207-208.

potest determinare una et eadem scientia»[1], cum eorum rationes sint penitus *separatae* seu disparatae[2].

Notandum est tamen S. Albertum, qui semper eandem notionem abstractam pure aequivocorum retinuit, non semper eodem modo applicasse exemplo classico de cane terrestri, marino et caelesti. Prius enim docuisse videtur nomen canis esse omnino aequivocum, absque ulla rationis communitate. Ita enim scribit: «aequivocum non ponit respectum diversorum ad unam naturam per intentionem nominis. Qui enim nominavit canem sidus caeleste, non respexit ad aliquam proprietatem naturae canis; et similiter qui nominavit piscem, canem: ergo intentio instituentis aequivocum non respexit idem illud cum instituit secundum ad quod respexit cum instituit ut nomen esset prioris; et ideo Boetius vocat talia aequivoca *a casu et fortuna*»[3].

Postea vero in ceteris operibus reduxit hanc aequivocationem ad metaphoram quandam, quae certe, licet multum accedat ad aequivocationem puram, retinet tamen aliquid analogiae proportionalitatis. Ait enim: «aequivoca sunt quando unum nomen diversis secundum diversam rationem impositum est, *eo quod una aliqua proprietas inventa in diversis afficit instituentem*, quae tamen proprietas non per unam rationem est in illis, ut *canis*, quod nomen est impositum latrabili et stellae caelesti et marino pisci *propter unam proprietatem inventam in illis*, quae est *omnia haec esse mordacia, cum tamen non una ratione mordacia sint*»[4]. Et iterum: «alius autem modus est aequivocorum quae Boetius vocat *a casu et fortuna*, quando scilicet idem nomen *casu et fortuna* diversis imponitur, quorum substantia cui nomen imponitur non est una nec unius respicientis ad unum vel etiam diversorum respicientium ad unum; sed tamen qualitas qua nomen illud diversis imponitur, *per similitudinem translationis est una*, ut *canis*, quod imponitur latrabili et marinis et caelesti, et eorum substantia cui nomen imponitur non est una, sed diversa genere proximo et specie; et *proprietas sive qualitas a qua nomen imponitur nonnisi per similitundinem translationis est una*, verbi gratia *mordax esse*, quod convenit

---

1 *Ibid.*, cap. 6, p. 213b.
2 *Ibid.*, cap. 7, p. 216a.
3 *I Sent.*, d. 2, a. 11, arg. 2 sed contra, t. 25, p. 66a.
4 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. I, p. 11a.

[proprie] omni quod *dentibus mordet*, per *translationem* autem convenit ei qui *mordet qualitate et respectu nocivo*»[1].

Id quod magis adhuc explicat alio in loco, dicens: «*casu* autem aequivoca dicimus quae *sola casuali impositione unum nomen acceperunt*. Quamvis enim aequivocum ad univocum reducatur, non tamen ita reducitur quod unio sit, sed *ad unum reducitur quod secundum proportionem commune est*, sicut est *mordax esse vel nocivum*, ad quod respexerunt qui nomen imposuerunt, unum nomen dantes caelesti et marino et latrabili quod est *canis*. Mordax tamen esse *dentibus* latrabili convenit et marino: *marino* quidem *per insidias et defensionem*, *latrabili* autem *per iram et custodiae fidelitatem*, *caelesti* autem non convenit nisi *per nocumenti immissionem*; et haec non conveniunt nisi in *communi effectu*, qui est *illatio nocumenti*»[2].

Praesertim vero hisce verbis: «verum est quod talia sunt aequivoca, et est una species aequivocationis sicut cum dicitur, *pratum ridet*; et verum est quod talis proprietas quae convenit uni non convenit alteri, sed in talibus potest esse *proportio ad unum* et per diversas et dissimiles proprietates, ut cum dicitur *canis* latrabile et *canis* caeleste sidus quod lucet in pede Orionis et *canis* marinum, per dissimilium dissimiles proprietates *similis proportio fit ad unum* quod est *esse mordax*. Ad hoc enim habet se latrabile per iracundiam et dentes lacerativos, caeleste per radiationem nocivam et peremptivam, marinum autem per similitudinem ad latrabile in dentium dispostione et organorum; et per illud in quo sic dissimilia similia sunt, fit *translatio* nominis»[3].

Utut sit de hoc aequivocationis exemplo classico, quod revera non videtur esse aequivocationis purae[4] et quidquid sit de explicatione eius quam dedit S. Albertus, certum est tamen apud omnes, ne excepto quidem ipso Alberto, aequivocationem meta-

---

1 *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. I, p. 153a.
2 *I Ethic.*, tract. 5, cap. 17, t. 7, p. 81b.
3 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1, ad 3, t. 31, p. 588b. Cf. etiam *op. cit.*, tract. 13, q. 51, ad quaest. 3, t. 31, p. 531a.
4 Revera, ut moderni philologi opinantur, nullum est nomen pure aequivocum, nisi forte excipiantur nomina exclusive personalia ut scite animadverterat S. THOMAS: «ut praecipue patet in diversis hominibus uno nomine nominatis» (*In I Ethicorum*, lect. 7, n. 95). Sufficit tamen ad rationem purae aequivocationis quod nomen sic dictum possit concipi ut possibile dari.

phoricam non esse confundendam cum aequivocatione pura, cum revera sit aequivocatio secundum analogiam proportionalitatis, ut postea videbimus ex eodem Alberto: ubicumque enim adest aliqua communis ratio significata per nomen quantumcumque exigua et accidentalis, ibi non datur aequivocatio pura, neque sic nominata uno nomine *sola casuali impositione* nomen accipiunt, sed fundamentum aliquod habent in re cur ita nominentur.

Haec ergo aequivoca pura habent significationes omnino distantes sive disparatas utpote «a sensu et forma aequivoca» provenientes, quia «tunc causatur aequivocatio ab ipsa intentione nominis aequivoci» [1], et ideo in illis facile est videre talem diversitatem significationum: «in aequivocis autem quae sunt *casu et fortuna aequivoca* eo quod nomen diversis institutionibus significat multa [ut multa aeque primo], eo quod talium nomen unum est et ratio substantiae *aperte diversa,* facile est videre distinctionem» significationum et vitare deceptionem [2].

616. Alter vero et secundarius modus aequivocationis, quem appellat aequivocum *analogorum* [3], aequivocum aequivocatione analogiae [4] sive aequivocum per analogiam [5] aut aequivoca-analoga [6] vel etiam aequivocum secundum prius et posterius [7], habetur quando nomen est unum idemque, ratio autem significata per nomen non est omino eadem neque omnino diversa, sed quodammodo eadem et quodammodo diversa [8], quatenus scilicet «simpliciter est multa et secundum quid est unum» [9]: diversa quidem et multiplex absolute et secundum rem, una vero eademque relative et secundum proportionem vel proportionalitatem [10], idest secundum analogiam, quia

1 S. Albertus Magnus, *VII Physic.*, tract. 2, cap. 3, t. 3, pp. 511, 512. Cf. etiam *V Ethic.*, tract. 1, cap. 1, t. 7, pp. 232-233.
2 *I Elenchorum*, tract. 5, cap. 1, t. II, p. 615b.
3 *VII Physic.*, tract. 2, cap. 3, t. 3, p. 511b.
4 *I Sent.*, d. 24, a. 2c, t. 25, p. 609b.
5 *I de Anima*, tract. 1, cap. 7, t. 5, p. 132a.
6 *I Sent.*, d. 24, a. 2 ad 2, t. 25, p. 609b.
7 *I Sent.*, d. 29, a. 1 ad 1, t. 26, p. 75a; et passim.
8 *I Physic.*, tract. 3, cap. 3, t. 3, p. 48a; *IV Topic.*, tract. 1, cap. 5, t. II, p. 367a.
9 *I Post. analyt.*, tract. 2, cap. 13, t. II, p. 50b.
10 *XI Metaph.*, cap. 10, t. 6, pp. 598-599, 600b; cap. 14, p. 605b; cap. 15, p. 607; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, & 2,

idem est dictu secundum proportionem et secundum analogiam [1]. Et inde tales formulae: «commune proportionis ad unum... vocatur commune secundum analogiam» [2]; «et hic quidem modus vocatur multiplex dictum secundum analogiam sive proportionem» [3].

Hic ergo aequivocationis modus analoga constituit quae, post philosophos arabos, convenientia [4] et ambigua [5] vocat, et *media* essentialiter consistunt inter pure univoca et pura aequivoca: «analogum, hoc est, commune secumdum proportionem..., *medium est inter univocum et aequivocum*», nempe inter aequivocum «quod *simpliciter*, ut dicit Boetius, a *casu et fortuna aequivocum* est, et univocum quod *simpliciter* per unitatem nominis et unitatem definitivae rationis *univocum* est» [6].

Et alio in loco: «*analoga* autem sunt *proportionaliter dicta*; ut Arabes dicunt, convenientia. Et *sunt media inter univoca et aequivoca*, quae sunt imposita a diversis secundum esse et substantiam per respectum ad unum cui proportionantur: sicut ens, quod dicitur de substantia primo et principaliter; et de accidente, secundario, quia est aliquid entis; et quantitas dicitur ens, quia est mensura entis; et qualitas dicitur ens, quia est dispostio entis» [7].

Rursus: «ea quae praedicantur de pluribus, uno... [trium] modorum praedicantur de pluribus: aut nomine et intentione et natura una, ut *univoca*; aut praedicantur de pluribus nomine uno, intentione et natura diversis, ut *aequivoca*; aut *medio modo*» ut *analoga* [8]; multipliciter enim dictum per analogiam, «me-

dub. 1c et ad obiecta, t. 14, pp. 14-15; *I Sent.*, d. 2, a. 19, ad 6, t. 25, p. 78b.
1 *II Post. Analyt.*, tract. 4, cap. 6, t. II, p. 220a; *I Physic.*, tract. 3, cap. 9, t. 3, p. 65a; *Liber de indivisibilibus lineis*, qui facit ad scientiam libri VI Physicorum, cap. 7, ibid., p. 480a; et passim.
2 *De Praedicabilibus*, tract. 2, cap. 9, t. I, p. 39a.
3 *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. I, p. 153a, 154a.
4 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. I, p. 11a.
5 *III Physic.*, tract. 1, cap. 2, t. 3, p. 181a; cap. 3, p. 183b; *II Posteriorum*, tract. 4, cap. 5, t. II, p. 247b.
6 *De Praedicamentis*, tract. 4, cap. 5, t. I, p. 70b.
7 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, p. 11.
8 *I Post. Analyt.*, tract. 2, cap. 13, t. II, p. 53a.

dium est inter aequivocum et univocum»[1]. Propter quod frequenter adhibet formulam: non dicitur aut non praedicatur omnino univoce neque omnino aequivoce, sed analogice[2]: «persona in Deo, in angelo et in homine invenitur et non in alia natura; aut ergo in his dicitur *univoce*, aut *aequivoce*, aut *medio modo*, secundum prius scilicet et posterius»[3].

Et ideo differentiam inter univoca, aequivoca et analoga perspicue exponit hisce verbis: «est enim *aequivocum* cuius solum nomen est commune et unum, substantia autem cui aptatur definitio *penitus diversa*; *univocum* autem illi oppositum est cuius nomen et substantia est substantiae ratio est *penitus unum*; *analogum* autem est *proportionatum ad unum*, et hoc est cuius nomen est unum et res sive substantia nominata illo nomine est una et eadem, sed *ratio est diversa*, eo quod *ratio diversificatur per rem et modum illius rei*»[4].

Quae quidem verba ultima, licet proprie non conveniant nisi analogiae attributionis, sufficienter ostendunt analoga minime esse confundenda cum univocis neque cum aequivocis presse dictis, sed ab utrisque distare, ideoque negative et quasi per locum a divisione naturam commonstrant analogorum.

At insuper via positiva manifestat propriam eorum indolem ex notione *proportionis*, siquidem analoga nihil aliud sunt quam proportionalia. Notat ergo quod «proportio primum in numeris est»[5], hoc est, in quantitatibus dimensivis, et inde extenditur ad quantitates virtuales et ad formas quascumque: «quamvis enim de proportione solus tractet arithmeticus et geometer in quantum linea numerus est et in quantum demonstratio transit de genere in genus, tamen proportionale, quod quocumque modo formam proportionis participat, non solum est monadici numeri proprium, hoc est, numeri formalis qui ex monadibus rerum communitatibus coacervatur, sed est totaliter numeri, hoc est, rerum numeratarum formam numeri quocumque modo parti-

---

1 *De Praedicabilibus*, tract. 5, cap. 1, t. I, pp. 81b, 83b.
2 *Videsis*, verbi gratia, *I Sent.*, d. 1, a. 8, t. 25, p. 25a; d. 24, a. 2, c, p. 609; d. 25, a. 2, p. 629; d. 29, a. 1, ad 1, t. 26, p. 75a; *Summa theol.*, I P., tract. 8, q. 35, memb. 1, ad quaest., t. 31, p. 360b; memb. 2, ad quaest. 2, p. 363b; tract. 9, q. 41, memb. 1, a. 1, obi. 4, p. 427a; tract. 14, q. 59, ad obi. 5-7 quaest. 2, & Sunt alii, p. 596b; ad 1-3 et 7, p. 596b.
3 *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 46, obi. 8, t. 31, p. 490b.
4 *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 9, t. 6, p. 420b.
5 *I de Anima*, tract. 2, cap. 6, t. 5, p. 152a.

cipantium»[1]; «quia quamvis proportio proprie sit in quantitate, tamen extenso nomine secundum quod locus a proportione accipitur [consistit], in similitudine habitudinum quorumcumque similiter se habentium ad unum»[2].

Aliud tamen est, presse loquendo, similitudo, aliud proportio et aliud proportionalitas. Conveniunt quidem similitudo et proportio in hoc quod utraque accipitur inter duo[3]; sed differunt in hoc quod similitudo proprie loquendo sumitur secundum *inhaerentiam*, cum sit rerum differentium eadem *qualitas*, quae inhaerentiam directe nominat; dum proportio sumitur proprie secundum *respectum* sive habitudinem, eo ipso quod directe nominat *relationem*[4]. Proportionalitas autem convenit cum proportione in eo quod directe nominat respectum vel habitudinem sicut proportio, sed differt a proportione in eo quod talis respectus est saltem inter quatuor terminos re vel ratione distinctos. «Omnis enim proportio est habitudo unius ad aliud»[5], et ideo «proportio est similitudo habitudinis inter duo, sed proportionalitas est similitudo proportionum, inter quatuor[6]; nam proportionalitas «est similitudo proportionum, et est ad minus in quatuor, vel tribus, uno in ratione duorum accepto»[7], ut accidit in proportionalitate continua, verbi gratia «sicut se habent duo ad quatuor ita quatuor ad octo»[8].

Qua in re S. Albertus communem sequitur modum loquendi scholasticorum, post Boetium[9], licet aliquando, et quidem rectius, distinguat rationem, proportionem et proportionalitatem

---

1 *V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, t. 7, p. 315a. Cf. *I Post. Analyt*, tract. 2, cap. 16, t. II, pp. 60-62.
2 *II Topic.*, tract. 2; cap. 6, t. II, p. 324a; *I Sent.*, d. 19, a. 1 ad 1 et 2, t. 25, p. 512.
3 *V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, t. 7, p. 345b; *IV Sent.*, d. 1, a. 5, ad 3, t. 29, p. 16b.
4 *IV Sent.*, loc. cit.; *II Topic.*, tract. 2, cap. 6, t. II, pp. 324a, 325b; *V Topic.*, tract. 3, cap. 4, p. 425b.
5 *I Metaph.*, tract. 5, cap. 10, t. 6, p. 103b.
6 *IV Sent.*, d. 1, a. 5 ad 3, t. 29, p. 16b.
7 *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 2, & 5, t. 14, p. 39b.
8 *V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, t. 7, p. 346a. «Continuam voco proportionem quando una et eadem proportione in qua se habet prima [quantitas] ad mediam, habet se media ad tertiam. Et hoc in numeris est manifestum: accipiatur enim 12, 6, 3; in his enim primus est duplus ad medium et medius duplus ad tertium» (*II de Anima*, tract. 1, cap. 5, t. 5, p. 200b).
9 Cf. *supra*, n. 32.

in hoc quod simplex ratio nominat habitudinem commensurationis vel quancumque aliam inter duos terminos, proportio inter quatuor et proportionalitas inter octo vel plures, ita quidem ut proportio sit similitudo vel aequalitas habitudinum sive rationum, ut si dicam: «sicut se habet rector navis ad navem ita rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet quod uterque eorum non sorte sed arte eligitur; et in numeris: sicut se habent duo ad quatuor ita se habent tria ad sex, in hoc scilicet quod utrumque est duplum et subduplum»; proportionalitas vero sit similitudo vel aequalitas proportionum, ut si dicam: «sicut est proportio inter duo et quatuor et tria et sex, similem habens qualitatem dupli, ita est proportio inter duo et tria et quatuor et sex, similem habens qualitatem sexquialteri. Unde patet quod similitudo [et ratio [1]] est inter duo, proportio inter quatuor et proportionalitas inter octo et aliquando inter decem si producatur proportionalitas, ut non tantum attendatur inter partes et partes, sed etiam inter constitutum totum ex primo et secundo et inter constitutum totum ex tertio et quarto» [2].

Usu tamen frequenter pro eodem usurpat proportionem et proportionalitatem sicut et alii auctores sui temporis [3]. Utut sit, extensio proportionis et proportionalitatis ab ordine quantitativo et homogeneo ad ordinem qualitativum et formarum fit potius a proportione geometrica quam ab arithemetica, eo quod medium proportionis geometricae magis attenditur secundum qualitatem quantitatis quam secundum nudam et absolutam quantitatem [4], et ideo magis apta est ut extendatur ad significandas habitudines quascumque inter res vel essentias diversorum generum vel ordinum, circa quas, proprie loquendo, versatur analogia philosophica et theologica. «Proportio enim ad unum est similitudo habitudinum ad unum quod in diversa specie

---

[1] «Illud quod *proportio* ab Avicenna dicitur, vocatur *ratio* ab Aristotele» scilicet «*ratio* magnitudinis» et «*ratio* augmenti» in corporibus viventibus secundum propriam speciem (*Summa de creaturis*, II P., q. 13 ad 8, t. 35, pp. 130-131).

[2] *V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, t. 7, pp. 345, 347.

[3] Quod vel in eodem indicaverat: «haec autem proportio *sive* proportionalitas...» (*V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, p. 347b). Et alibi: «commune proportionis *vel* proportionalitatis» (*I Sent.*, d. 26, a. 5 ad 1, t. 26, p. 10b).

[4] *VI Politicorum*, cap. 5, t. 8, p. 598a; *V Ethic.*, tract. 2, cap. 5, p. 348a; *IV Sent.*, d. 14, a. 3c, t. 29, pp. 408-409; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 5, dub. 2, solutio, t. 14, p. 150.

et in una proportione participatur, sicut est gubernatio navis ad nautam et civitatis ad iudicem. Nec enim eisdem regulis nauta prosequitur navis gubernationem quibus consequitur iudex civitatis gubernationem, nec idem in specie est gubernatio navis et civitatis; et tamen similitudo habitudinum in utroque una est» [1].

Itaque analoga dicuntur quorum nomen est unum, ratio vero significata per nomen est quoque una eademque, non tamen unitate absoluta et totali sicut est unitas rationis significatae per nomen univocum, sed unitate mere relativa et proportionali secum ferente diversitatem pariter relativam et proportionalem, et non diversitatem totalem et absolutam sicut sunt rationes significatae per nomen aequivocum. Quo in sensu scribit S. Doctor: «est etiam communitas [rationis] resultans ex proportione aliquorum ad unum quod convenit utrique, secundum tamen diversa, sicut est communitas proportionis regiminis navis et scholae ad gubernatorem navis et scholae: quod tamen regenti navim convenit secundum artem gubernandi et scholastico secundum artem docendi litteris; quia tamen similis est habitudo, ideo respectus ad actum regiminis est eis communis» [2].

Analogum ergo est «commune per proportionem et non commune ut genus; *est autem communitas proportionis*, ut dicit Boetius, *in similitudine se habendi ad aliquid*»: verbi gratia, «rector civitatis et rector navis sunt duo eligibilia, non sorte sed arte; et secundum hunc modum caelum Trinitatis et caelum empyreum et firmamentum sunt tres caeli quantum ad convenientiam continendi et salvandi inferiora contenta», quia scilicet «hi caeli *similiter se habent ad unum actum, qui est continere et salvare contenta*» [3], et ideo ratio significata per nomen analogum praedicatur de suis analogatis «ut unum similitudine habitudinis sive proportionis» [4], nam et «per similem comparationem accipitur unum proportione» [5], «qua scilicet una similitudine habitudinis rector civitatis se habet ad civitatem ut rector navis ad navem» [6]. Haec igitur unitas, cum in se involvat quandam

---

[1] *I Ethic.*, tract. 2, cap. 3, t. 7, p. 20.

[2] *I Sent.*, d. 23, a. 5c, t. 25, pp. 595-596.

[3] *Summa de creaturis*, I P., tract. 3, a. 1 ad 1, t. 34, p. 417a; *Summa theol.*, II P., tract. 3, q. 12, memb. 4, ad 1-3, t. 32, p. 155.

[4] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 43, memb. 2, a. 1 ad 4, t. 31, p. 459b.

V Metaph., tract. 1, cap. 9, t. 6, p. 290b.

Summa theol., I P., tract. 6, q. 24, memb. 1, t. 31, p. 196a.

diversitatem et pluralitatem, non est unitas totalis et absoluta, sed «est unitas proportionis diversorum ad unum vel ad diversa similia quae, in quantum similia, sunt unum, sicut habitudo rectoris civitatis una dicitur cum habitudine rectoris navis»[1].

617. Ex quibus omnibus facile est videre quomodo se habeant inter se univoca, aequivoca et analoga quantum ad eorum communitatem, participationem, praedicationem, abstractionem, comparationem et divisionem.

Quoad *communitatem* quidem, quia aequivocorum est communitas nominis seu vocis tantum, non rei et rationis significatae per nomen; univocorum autem est communitas perfecta, non solum nominis, verum etiam rei et rationis; analogorum vero est communitas imperfecta rationis et quodammodo ipsius rei, ultra nominis communitatem. Univocorum enim communitas est universalium proprie dictorum, quae idem per essentiam sunt in suis univocatis eodemque modo, dum analogorum communitas est potius transcendentalium vel ad modum transcendentalium se habentium, cum sit communitas eorum quae genere differunt[2]: et haec minor communitas est[3]. Ideo S. Doctor vigilantissime dixit: «*omne analogum* est in *communitate quadam cuiusdam generalitatis* et *ambitus*»[4].

Aliis verbis: communitas univocorum est communitas naturae vel essentiae, dum communitas analogorum est solum communitas habitudinis vel proportionis[5], «hoc est, secundum pro-

---

1 *Ibid.*, p. 197a.

2 *De Praedicabilibus*, tract. 2, cap. 9, t. I, p. 39; tract. 4, cap. 5, p. 70; *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, pp. 151-153; *III Metaph.*, tract. 5, cap. 7, t. 6, p. 182a; *I Sent.*, d. 23, a. 5c, t. 25, pp. 595-596; d. 46, t. 12, ad obiecta, t. 26, p. 445b; *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 3, memb, 4c, t. 31, p. 19b; tract. 3, q. 15, memb. 1, ad 1 contra quaestionem, p. 81a; tract. 18, q. 70, memb. 1, obi. 9, p. 729a; memb. 3, q. 3, obi. 3, p. 737b.

3 *I Sent.*, d. 26, a. 5 ad 1, t. 26, p. 10b.

4 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 208a.

5 *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 1, ad 3 quartae sententiae, t. 31, pp. 470-471.

portionem habitudinis ad unum commune secundum rationem»[1], «quae est secundum prius et posterius» in suis analogatis[2], id est, diversimode, quia sub communi quadam ratione «in omni analogo *rationes speciales diversae sunt*, sicut patet: ens enim communiter dictum, de substantia, quantitate et qualitate speciales habet rationes; dicitur enim substantia ens vere et per se ens, de quantitate dicitur ens quia mensura entis, de qualitate dicitur ens quia dispositio entis, et sic de aliis»[3].

Unde et alibi data opera expendens huiusmodi distinctionem, scribit: «*communitas rationis* multiplex est. *Quaedam* enim est secundum *naturam* communem *per eandem rationem participatam a pluribus*, quae natura communis *abstrahitur* ab unoquoque illorum, et secundum esse in quolibet eorum compositionem habens cum eo quod contrahit eam ad hoc vel ad illud: et illa natura facit *universale*, et secundum totum *posse* illa natura non est in uno, licet sit in eo secundum *esse*; ideo haec natura excedit quodlibet eorum de quo praedicatur quoad *posse*. Et quia est in eo secundum totum *esse* suum, ideo *est ratio cuiuslibet eorum de quo* praedicatur *vel pars rationis eius*: vel simpliciter, ut in genere, vel specie, et differentia; vel secundum quid, sicut est in proprio et accidente.

Est *etiam* communitas resultans *ex proportione aliquorum ad unum quod convenit utrique, secundum tamen diversa*: sicut est communitas proportionis regiminis navis et scholae ad gubernatorem et scholasticum; quod tamen regenti convenit naturae secundum artem gubernandi, et scholastico secundum artem docendi litteras. Quia tamen *similis* est *habitudo*, ideo *respectus ad actum regiminis est eis communis*»[4].

Univocorum ergo sive universalium «est communitas secundum naturam unam quae [uno modo] convenit omnibus»; analogorum vero non est communitas secundum unam naturam quae eodem modo conveniat omnibus et contrahatur per differentias ad hoc vel ad illud, sed «in illis est communitas secun-

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, ad quaest. 2, p. 596a.

2 *Summa theol.*, II P., tract. 15, q. 94, memb. 2, ad quaest., t. 33, p. 213a; *De causis et processu universalitatis*, lib., II, tract. 1, cap. 17, t. 10, p. 462b.

3 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 27, memb. 5c, t. 31, p. 285a.

4 *I Sent.*, d. 23, a. 5c, t. 25, pp. 595-596.

dum rationem proportionis tantum»[1]. Et sic liberum arbitrium commune est Deo et creaturae intellectuali, simul tamen «aliter est in Deo et aliter in creatura. Hoc tamen non facit *communitatem aequivoci* quae *est in solo nomine*, sed facit *communitatem analogiae* quae est in hoc quod, licet res communis sit, tamen per prius convenit Deo quam creaturae; et ideo praedicatur de Creatore et creatura communitate analogiae, non simpliciter univoce»[2]: «potestas enim conservandi rectitudinem multo maior est in Deo quam in creatura». Quo fit ut utriusque non sit una communis definitio presse dicta, idest «secundum unitatem generis et speciei vel univoci», sed solum large et improprie dicta pro communi aliqua ratione sive descriptione, quae est quasi «una definitio analogice conveniens» utrique[3].

Similiter, «cum *natura* sit nomen dictum *multipliciter* et conveniat pluribus [scilicet materiae et formae et composito ex materia et forma], *secundum prius et posterius [idest analogice]*..., dabimus talem naturae definitionem quae *per prius et posterius* omnibus his de quibus natura dicitur possit applicari: haec autem non erit vere definitio, sed erit assignatio et descriptio quae maioris est manifestationis quam sit nomen; quoniam, si definitio esset, oporteret quod nomen naturae his de quibus dicitur *aeque* [hoc est, univoce], *et non per prius et posterius conveniret*: et hoc non est verum», quia solum analogice convenire potest[4]. Ita «communis digestio ante divisionem definiri non poterat, eo quod non univoce dicitur de dividentibus, sed per prius et posterius: pepansis enim universaliter intellecta maxima digestio est, et aliae digestiones per prius et posterius dictae per relationem ad illam; epsesis enim plus habet de ratione digestionis quam optesis»[5].

Et propterea haec omnia simul iungens, profunde scribit: «quorum analogia ad invicem, eorum est convenientia in analogia illa. Analogia enim non facit aequivocum a casu et fortuna, sed ponit respectum ad unum; et ille respectus non causatur nisi per aliquid conveniens illi ad quod respicit: sicut patet cum dicitur, animal sanum, cibus sanus, urina sana. Cibus enim non

---

[1] *Ibid.*, ad 5, p. 597b.
[2] *Ibid.*, ad 2 et 3, p. 213ab.
[3] *Ibid.*, ad 1, p. 213a.
[4] *II Physic.*, tract. 1, cap. 3, t. 3, p. 96. Cf. *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. I, p. 155a.
[5] *IV Metereorum*, tract. 1, cap. 13, t. 4, p. 725a.

dicitur sanus nisi per analogiam quam ponit ad sanitatem animalis ut conservans, urina etiam non dicitur sana nisi quia respectum ponit ad eandem sanitatem animalis ut indicans. Similiter ens non dicitur de substantia, quantitate, qualitate, et sic de aliis, nisi quia res aliorum praedicamentorum convenientem analogiam ponunt ad ens principale quod est substantia: verbi gratia, quantitas dicitur ens quia mensura est eius quod est vere ens, qualitas dicitur ens quia dispositio est eius quod est vere ens, relatio dicitur ens quia respectus est eius quod est vere ens»[1].

618. Quoad *participationem* autem. «Participare enim dicitur aliquid duobus modis scilicet naturam aliquam communem secundum totam essentiam accipere et secundum ambitum suae potestatis ad partem suae communitatis determinare; et hoc modo species participat genus, et omne inferius essentialiter participat suum superius. Alio modo dicitur participare, non naturam secundum veritatem essentiae accipere, sed naturae proprietatem, et illam ad quendam modum essendi determinare: et tale commune sic participatum a diversis nec univoce nec aequivoce dicitur de illis, sed per analogiam, sicut ens dicitur de substantia et accidentibus»[2].

Et alibi: «duplex est participatio. Dicitur enim participatio proprie[3] quando particulare totum capit univer-

---

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 4, memb. 2, a. 4, arg. 3 sed contra, t. 32, p. 89.
[2] *Summa theol.*, I P., tract. 5, q. 23, memb. 1, a. 2, particula 1c, t. 31, 173b.
[3] «Participare est suscipere participati superioris rationem et nomen *univoce*» (*IV Topic.*, tract. 1, cap. 2, t. II, p. 357b); «definitio autem eius quod est participare est suscipere participati rationem: participatum autem dicimus cuius secundum partem suae potestatis et secundum partem communitatis inferens suscipit praedicationem, ut homo suscipit rationem animalis et praedicationem» (*ibid.*, p. 358b). «Nihil participatur proprie nisi cuius capitur pars: forma autem omnis de se universalis est, et licet tota sit in isto quoad esse, non tamen tota est intra substantiam quoad posse, quia potest esse in alio, aliter enim non esset universalis; licet, secundum quod inest huic, non sit vel possit esse in alio, et ideo accipitur in parte suae potestatis: sic autem sequitur quod omne participatum maius sit in posse quam id quod participat ipsum» (*I Sent.*, d. 22, a. 8c, t. 25, p. 577b).

sale secundum essentiam sed non secundum potestatem, sed partem accipit suae potestatis et suae communitatis, sicut homo participat animal. Secundo modo dicitur participatio ad huius similitudinem dicta, quando imago accipit simile formae primae secundum partem potestatis illius sicut sigillatum formam accipit sigilli, non secundum totam potestatem sigillandi quae est in sigillo sed secundum partem, licet totam similitudinem sigilli recipiat»[1]. «Omnis enim communitas ponit convenientiam in aliqua natura, quae participatur *aequaliter aut per prius et posterius*»[2].

Secundum hoc ergo aequivocata solum participant nomen aequivoci, nullo autem modo essentiam neque potestatem eius; univocata autem participant totum nomen et totam rationem vel essentiam univoci uno eodemque modo sive aequali participatione, sed non totam potentiam vel universalitatem eius; analogata vero totum quidem nomen analogi participant, at non totam essentiam neque totam virtutem et potestatem eius, sed aliquid tantum vel aliquo modo, et quidem singula diversimode[3], idest inaequali participatione, pro rata parte vel portione uniuscuiusque.

Verbi gratia, «sicut providentia ducis exercitus ex omnibus constituit exercitum unum quae aliquo modo analogiam habent ad finem victoriae, qui finis per unum haberi non potest, sicut non habetur per unam virtutem, sed per multas: in qua coquus est in analogia suae virtutis; marescallus, qui equestrem habet potentiam, in analogia suae virtutis; gladiorum et armorum factor, qui armorum habet potentiam, similiter in analogia suae virtutis; similiter est de milite et de athleta, et sic de aliis: propter quod oportet ducem ex providentia sua adducere plura, et non unum, quia ex virtutibus plurium sequitur triumphus et non ex virtute una vel unius. Similiter est in universo, ad cuius

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 3, particula 1, ad 5, t. 31, p. 248. Cf. etiam *ibid.*, particula 3, ad quaest. 2, pp. 255-256.
[2] *Quaestiones de Bono*, q. 4, obi. 1, ed. H. Kühle («Florilegium patristicum», fascic, 36), p. 26, 16-17. Bonnae 1933.
[3] *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. I, pp. 151-153.

finem angelus se habet in propria analogia, caelum in propria, elementorum unumquodque in propria, homo in propria et unumquodque in propria»[1]: «bonum enim universi non est unius, sed multorum, et est uniuscuiusque secundum propriam analogiam quam habet ad illud bonum; sicut et ars faciendi domum, licet sit unius opificis et unius finis qui est protegi ab imbribus et caumatibus, et custodia rerum ad se pertinentium, tamen est de multis, quorum omnium analogia est ad finem illum, ut lapidum, lignorum, caementi, parietis et tecti, camerae et aulae, uniuscuiusque tamen in propria analogia»[2]

Unde loquens de processu intelligentiarum creatarum a Prima Intelligentia, quae Deus est, scribit: «dicimus quod multiplicantur per processum ex Uno, quod est Prima Causa, non per processum ex uno quod est genus... Et hic processus est ordinis *secundum proximius et remotius, et secundum prius et posterius*: generis autem processus in species, processus est *in aeque distantia*; cuius signum est quod omnes species una ratione participant generis nomen. Nulla autem intelligentiarum nomen intelligentiae cum alia eadem ratione participat... Ex hoc relinquitur quod nulla intelligentia cum alia convenit nec genere nec specie: sed Prima Intelligentia, Intelligentia est; et intelligentiae inferiores nomen habent intelligentiae eo quod habent quendam modum eius»[3], «secundum uniuscuiusque propriam analogiam sive proportionem ad Primam»[4].

619. Quoad *praedicationem* vero, quia univocum praedicatur proprie et per essentiam de omnibus et singulis univocatis, cum se habeat ad ea ut totum universale; aequivocum autem nullo modo praedicatur de suis aequivocatis, nisi impropriissime et copulative si omnia simul sumantur, eo quod se habet ad ipsa ut totum integrale; analogum vero medio modo se habet, et ideo praedicatur proportionaliter, secundum prius et poste-

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 1 ad 1, t. 32, p. 26a.
[2] *Ibid.*, corp. p. 25b.
[3] *De causis et processu universalitatis*, lib. II, tract. 2, cap. 4, t. 10, p. 485.
[4] *Ibid.*, cap. 44, p. 545a. Cf. etiam lib. I, tract. 4, cap. 6, pp. 420-421; lib. II, tract. 1, cap. 17, p. 462b; tract. II, cap. 23-24, pp. 513-515.

rius, de suis analogatis, quia se habet ad ipsa ut totum potestativum [1].

620. Quoad *abstractionem* etiam, quia univocum plene et perfecte abstrahit a suis univocatis, cum sit plene et perfecte universale; aequivocum vero nullo modo abstrahit a suis aequivocatis, eo quod nullo modo est universale, cum nulla sit eorum ratio ommunis; analogum autem se habet medio modo, quia nonnisi improprie et imperfecte est universale et commune secundum rationem, et ideo imperfecte et improprie, vere tamen, abstrahit a suis analogatis [2].

621. Quoad *comparationem* quoque, quia univoca sunt proprie et perfecte comparabilia, eo quod habent unam naturam omnibus perfecte communem; pure aequivoca autem nullo modo sunt comparabilia, quia eorum qua talium nulla est naturae et rationis communitas, sed plena et perfecta diversitas; analoga vero se habent medio modo sicut et medio modo se habent in communicando naturam et rationem significatam per nomen, et ideo nonnisi improprie et imperfecte, vere tamen, sunt comparabilia.

Nam «quaecumque comparantur, per aliquid idem in utroque comparantur» [3], et ideo pure aequivoca non sunt comparabilia: «quae enim aequivoca sunt, non comparantur, cum omnia quae comparantur non possint comparari nisi per unam naturam quae est in utrisque; in aequivocis autem non est una natura, sed tantum est in his convenientia in nomine» [4].

E contra, univoca et analoga sunt vere comparabilia: «opor-

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad quaestionem, t. 31, p. 322; q. 29, memb. 1, a. 1c, p. 292b; II P., tract. 3, q. 12, memb. 4, ad 1-3, t. 32, p. 155; *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. 1, pp. 151-153; *I Elenchorum*, tract. 2, cap. 2, t. 2, p. 540; *I Sent.*, d. 7, a. 4, arg. 2 sed contra, t. 25, p. 310a; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 6, & 5, dub. 1c, t. 14, p. 149; *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, pp. 207-208.

[2] *I Sent.*, d. 23, a. 5c, et ad 3 et 5, t. 25, pp. 595b-597.

[3] *VII Physic.*, tract. 2, cap. 2, t. 3, p. 507b.

[4] *Ibid.*, paulo supra, p. 507a.

tet scire quod comparatio et proportio est inter similia quae non sunt nisi univoce vel analogiae idem participantium» [1]. Diversimode tamen; nam sola univoca sunt proprie et verissime comparabilia, analoga vero nonnisi largiori quodam et imperfectiori modo. Ad cuius evidentiam recolendum est tria esse requisita ad comparationem strictissime dictam: primo, quod sit inter univoca; secundo, quod sit inter univoca strictissime dicta, scilicet convenientia in specie atoma; tertio, quod sit in forma accidentali sive in qualitate aliqua, secundum quam, eadem essentia vel specie manente, diversa individua vel subiecta suscipere valent intensionem et remissionem, idest magis et minus et aequale. Considerandum est, inquit, «quod id in quo attenditur comparatio et ea quae comparantur, sint accepta specie indivisibili, hoc est, specialissima, quia non fit comparatio aliqua nisi ubi potest esse magis et minus et aequale; non autem fit comparatio talis nisi in accidentali forma quae vel per se vel per accidens accidit, et praecipue fit secundum passionem per se accidentem... Ex his ergo omnibus colligere potest aliquis de facili quod *tria* exiguntur ad comparationem quae *verissime* comparatio est, scilicet quod id in quo est comparatio sit univocum, *et* accipiatur secundum esse proprium quod habet in per se et primo susceptivo, *et* quod sit acceptum secundum individuam speciem ultimam... Si autem *large* sumatur comparatio, sufficit ad hoc quod fiat comparatio in hoc quod *quocumque modo unum* est *in his quae comparantur*. Dico autem *quocumque modo*: quia, si sit *univocum* in eis, *fiet comparatio per magis et minus et aequale*, quae generantur ex intensione et remissione; si autem sit in eis *unum per analogiam*, quod non est pure univocum nec pure aequivocum, *fit in talibus comparatio per magis et minus et nunquam per aequale*, quia illa comparatio nunquam generatur ex intensione et remissione, sed potius ex proportione ad unum quod per prius et posterius respicit ea, sicut ens se habet ad potentiam et ad actum et ad substantiam et accidens... Et sic attendens Aristoteles in *Ethicis*, dicit quod, qui crediderint aliqua non esse comparabilia propter hoc quod non sunt univoca, non sufficienti crediderunt signo» [2].

---

[1] *V Metaph.*, tract. 2, cap. 8, t. 6, p. 310a.

[2] *VII Physic.*, tract. 2, cap. 2, t. 3, pp. 509-510. «Sicut dicit Philosophus in IX Ethicorum, comparatio secundum magis et minus non est sufficiens univocationis signum nisi quando eadem natura secundum accessum et recessum a termino est causa magis et minus, sicut

Unde et alio in loco scribit: «duobus modis fit comparatio, scilicet secundum magis et minus et aequale alicuius proprietatis exsistentis in pluribus secundum unum nomen et rationem substantiae eandem, et haec comaratio non est nisi *univocorum*; alio modo fit comparatio secundum magis et minus et aequale quod non est omnino eiusdem rationis in pluribus, sed est in eis secundum *analogiam* ad unum, et hoc contingit duobus modis. Contingit enim quod in pluribus est natura per prius et posterius, tamen participata propter differentias, sicut substantia et accidens comparationem habent in ente: et hoc patet, quia sequestratis differentiis quae sunt esse per se et esse per aliud, ens substantiae et accidentis remanet indistinctum; aliter enim ens non esset unum principium entium. Quandoque etiam contingit quod sit comparatio in aliquo quod est in diversis, non ita quod sit unius naturae in se dictum per prius et posterius, nec etiam in differentiis, sed est in uno per se et substantialiter et ut causa, in altero autem est non per se sed ab alio, et non substantialiter sed participative et imitative, et non causa sed causatum repraesentans causam quantum potest: et talis comparatio est inter Creatorem et creaturam in his quae uno nomine in Creatore et creatura inveniuntur, sicut est esse, vita, intellectus et simplicitas et huiusmodi; unde non est ibi penitus aequivocatio, sed analogia quaedam, et proportio comparationis illius non est secundum excessum terminatum et finitum» [1].

Et adhuc magis limpide: «*duplex est comparatio*. Una est *univoci*, quae est secundum unum quod est in duobus vel pluribus secundum unam et eandem rationem, sicut dicimus album, albius et albissimum; et de hac dicit Philosophus quod comparatio univoci est: et talis comparatio in simplicitate non est inter Deum et angelum et animam rationalem.

Alia est comparatio *analogi*, hoc est, unius quod est in pluribus secundum analogiam sive proportionem ad aliquod unum: sicut dicimus Deum iustiorem angelo vel homine, quia secundum proportionem iustitiae ad actum quae est reddere unicui-

---

patet in comparatione albi; quando vero diversa natura participantium eundem actum facit ab uno participari eminenter, ab inferiori deficienter, non est comparatio univoci, sed analogi, sicut dicitur angelus intelligentior homine» (*In Dionysium de caelesti hierarchia*, cap. 9, & 1, dub. 4, solutio, t. 14, p. 252b).

1 *Summa de creaturis*, I P., tract. 4, q. 21, a. 3c, t. 34, p. 467.

que quod suum est, Deus essentialiter iustus est, et rectitudinem et perfectionem actus iustitiae semper contingit, et ab eo deflecti non potest; angelus autem et homo participative iusti sunt, et a rectitudine actus et perfectione deflecti possunt.

Similiter dicimus de simplicitate quod, cum simplicitas in Deo, in Angelo et in anima rationali non sit univoce, secundum primum modum non potest esse comparatio simplicitatis inter Deum et angelum et animam rationalem. Secundo autem modo, quodammodo est comparatio: quia maxima simplicitas est quae est in fine simplicitatis, ut scilicet idem sit habens et quidquid habet, et sint idem per essentiam, hoc est, quod una sit essentia habentis et quidquid habet; et minor simplicitas est in eo quod participative simplex est, nec est quidquid habet; et minima simplicitas est eius quod unibile est corpori quantitatem habenti, dividitur secundum potentias secundum partes organicas» [1].

Quando ergo dicitur quod «comparatio quaerit univocam rationem in comparatis» [2], quod «omnis comparatio inter univoca est» [3], quod «quaecumque sunt comparabilia, sunt univoca» [4], et quod «non est comparatio nisi inter univoca» [5], intelligenda est comparatio presse et perfectissime dicta, «quae est cum intensione et remissione formae in qua fit comparatio» [6], non autem de comparatione largius accepta, qualis dari potest inter analoga.

Propter quod uno veluti verbo reassumens totam doctrinam de comparatione, scribit: «omnia enim *univoca* comparantur *secundum magis et minus accidentia*; *secundum prius et posterius, analoga*; et ideo, si in illa forma comparari non possunt

---

1 *Summa theol.*, II P., tract. 4, q. 13, memb. 3c, t. 32, p. 163. Cf. etiam ibid., ad 1 et 3, p. 163b; I P., tract. 3, memb. 1, a. 1, particula 3, & ad id quod quaeritur ulterius, t. 31, p. 89a; tract. 6, q. 26, memb. 2, a. 1, pp. 261-262; tract. 14, q. 59, memb. 4, ad 4, ad 4, p. 596b; *I Sent.*, d. 8, a. 7, ad 1 et 2, t. 25, pp. 228-229; d. 24, a. 2, ad 1 et 2, p. 609b; *De Animalibus*, lib. XI, tract. 2, cap. 2, n. 76, ed. H. Stadler («Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters», Bd. XV, Münster 1916), p. 790, 28-32; *Quaestiones de Bono*, q. 3, qla. 3, ad arg. sed contra, ed. cit., p. 26, 3-11.

2 *I Sent.*, d. 37, a. 12, ad 3 quaest., t. 26, p. 245a.

3 *Summa theol.*, I P., tract. 18, q. 71, ad quaesti. 2, t. 31, p. 747a.

4 *I Sent.*, d. 24, a. 2, arg. 1 sed contra, t. 25, p. 608b.

5 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 2, a. 1 ad 2, p. 261b.

6 *Ibid.*

ea quae sub eadem voce figurantur, erunt proculdubio *aequivoca* et multipliciter dicta» [1].

622. Quoad *divisionem* denique, quia univocum dividitur in univocata per differentias, ut genus in species; analogum vero dividitur in analogata per diversos modos ipsius, ut ens in potentiam et actum vel in substantiam et accidens; aequivocum autem dividitur in aequivocata per significationes eius penitus diversas et disparatas, ut canis in terrestrem, marinum et caelestem [2]. Nimirum, univocum «per diversas differentias in ea dividitur quae sunt sub ipso aequaliter, ita quod aeque exeunt ab ipso, et non unum per aliud» [3], et ideo perfecte connumerantur sub ipso univoco diviso; nulla etenim perfecte «connumerantur nisi in eo in quo sunt univoca, non enim dicimus asinum et hominem esse duos homines sed duo animalia, quia sunt univocata in animali, et lapis et animal sunt duae substantiae vel duo corpora» [4]: pure autem aequivocum, cum nihil commune secundum rem et rationem dicat, sed solum secundum nomen, dividitur in diversas significationes absque ullo ordine inter se neque ad unum tertium, et ideo aequivocata nullo modo connumerantur, quia «non veniunt ad eundem numerum nisi res discretae convenientes in aliquo communi»; unde «latrabile et marinum non dicuntur duo canes sed duae significationes canis, similiter homo mortuus et homo vivus non sunt duo homines sed duae significationes hominis» [5]: analogum vero se habet medio quodam modo, quatenus dividitur ut aliquid commune secundum proportionem in diversos modos proportionales, qui non ex aequo participant illud commune, sed secundum prius et posterius, sicut caelum dividitur in caelum Trinitatis,

---

[1] *I Topic.*, tract. 4, cap. 6, t. II, p. 285b.

[2] *IV Sent.*, d. 38, a. 7, ad 1 et 2, t. 30, p. 406a; *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, & Ulterius etiam quaeritur, t. 31, p. 231a.

[3] *De Praedicamentis*, tract. 5, cap. 2, t. I, p. 245a.

[4] *I Sent.*, d. 24, a. 2, arg. 2 sed contra, t. 25, p. 608a.

[5] *Summa de creaturis*, I P., tract. 3, q. 10, a. 1, obi. 1, t. 34, p. 416a. Cf. *I Sent.*, d. 1, a. 8, obi. 2, t. 25, pp. 24-25.

in caelum empyreum et in firmamentum, vel sicut et peccatum dividitur in mortale, veniale et originale; et huiusmodi large et imperfecte connumerantur, vere tamen: vere enim dicuntur tres caeli, vel tria peccata, intelligendo tamen tria genera peccatorum vel tres modos significationis proportionalis verbi caelum [1]. «Nec enim sufficit ad hoc quod commune aliquod divisum dicatur univoce de dividentibus quod dicatur una ratione quocumque modo sumpta, sed oportet quod sit una sicut unius generis vel unius speciei» [2]: «et ideo quando dividitur ens in potentiam et actum, est divisio analogi, et *ens in potentia dicit quendam modum entis et non simpliciter ens*; sicut etiam quando ens dividitur in substantiam et accidens, substantia dicit ens *simpliciter* et accidens dicit *modum* entis... In talibus ergo non oportet quod omne divisum de dividentibus *simpliciter* praedicetur, sed praedicatur sub determinatione *modi* quem importat, et ideo ens in potentia est ens *quoddam*, non ens *simpliciter*; et eadem ratio est de partibus entis, ut est bos in potentia et bos in actu; et ideo cum dicitur, bos *est*, nullo addito, stat pro bove in actu» [3]. «Et habent

---

[1] *Summa de creaturis*, I P., tract. 3, q. 10, a. 1, ad 1, t. 34, p. 417a; *Summa theol.*, II P., trart. 3, q. 12, ad 1, t. 32, p. 155a; *II Sent.*, d. 35, a. 2 ad 1, t. 27, p. 563a.

[2] *I Sent.*, d. 46, a. 12, ad obiecta, t. 26, p. 445b; *Summa theol.*, II P., tract. 12, q. 70, memb. 3, ad 1-4, t. 33, p. 24.

[3] *V Metaph.*, tract. 2, cap. 12, t. 6, p. 315b. Quibus conferri possunt ea quae alibi tradit, dicens: «Substantia dupliciter accipitur. Uno enim modo accipitur secundum quod substat accidentibus, et est ipsorum accidentium universale subiectum, in quo ipsa accidentia habent esse; et sic non accipimus eam hic, quia hoc modo cadit in coordinatione praedicabilium. Alio modo accipitur ipsa natura substantiae secundum quod opponitur accidentali naturae: et sic est in proposito, et dicitur substantia res per se exsistens, et accidens res non per se exsistens; et quando sic dicitur, tunc continet sub se materiam et formam et compositum, et principaliter quidem hoc modo substantia est forma qua exsistit quidquid per se exsistit, et secundo modo dicitur compositum, tertio autem materia quae non habet per se exsistere in natura nisi per formam: et isti modi sunt tres penes quos dividitur substantia in tria. Neque oportet quod talis divisio sit per opposita [idest per oppositas res], cum non sit divisio analogi nisi explicatio modorum quibus analogum sub se continet quaedam»; nam «commune

se ad invicem haec... ut totum virtuale [=potestativum] ad partes [virtutis seu potestatis] se habet»[1].

623. Sic autem sumpta *analogia*, in plures modos *dividitur*: «non est tantum unus modus analogiae, sed plures»[2]. Primo ergo dividitur in analogiam secundum esse tantum et non secundum intentionem et in analogiam secundum ipsam intentionem.

Analogia *secundum esse tantum*, quae mere realis dici potest et nullo modo intentionalis, est analogia secundum quid tantum, cum secundum intentionem sit vera univocatio, ut accidit in diversis speciebus sub eodem genere contentis, quarum una perfectius habet esse quam alia: e contra, analogia secundum ipsam intentionem nominis communis est analogia simpliciter dicta, eo quod in ipsa intentione nominis recedit ab univocatione generis, ut substantia et accidens in ipsa intentione entis, quod nullo modo est genus.

Ut enim scribit S. Doctor, analogia, quae medio modo se habet inter puram et perfectissimam univocationem soli speciei atomae convenientem respectu individuorum et puram aequivocationem, contingit «*dupliciter*, scilicet aut quod *una quidem sit intentio in pluribus sed per naturas causata*, sicut est mensurabile vel proportionale esse in omnibus speciebus quantitatis,

---

quod vocamus substantiam hic tria continentem, est commune secundum analogiam, prout distinguitur in VIII Philosophiae Primae, et ideo primo convenit uni, et aliis convenit per illud» (*II de Anima*, tract. 1, cap. 1, t. 5, pp. 192-193).

Etenim «in omnibus talibus pro principio supponendum est quod id quod est causa nominis est id cui convenit nomen primo, aliis autem convenit per respectum aliquem ad illud: forma autem a qua nomen imponitur, est causa nominis; et compositum, quod est natura ad quam refertur definitio et cui nomen ipsum imponitur propter actus et formae participationem, etiam illi per posterius et in secundo gradu convenit nomen; materiae autem analogiam habenti ad actum convenit nomen tertio» (*VIII Metaph.*, tract. 1, cap. 6, t. 6, p. 503a).

1 *Summo theol.*, I P., tract. 6, q. 26, ad quaestionem, t. 31, p. 232b.
2 *Summa theol.*, I P., tract. 9, q. 41, memb. 1, a. 1, ad 4, t. 31, p. 428a. Cf. etiam tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta contra quaestionem, p. 233b.

sed in numeris causatur ab unitate, in continuis a puncto et in
tempore ab instanti sive a nunc [nam «quantitas in omnibus
quantitatis speciebus non est unius intentionis et univocationis
nisi logice loquendo, quia quamvis una sit intentio quantitatis,
tamen non unum est quo causatur quaelibet quantitas»]: *secun-*
do modo fit hoc ita quod in tota communitate alicuius dicatur
una natura sub intentionibus diversis, appropinquantibus tamen
ad unum primum, quod aliis appropinquantibus dico longius vel
propinquius, sicut sanum dicitur de animali et urina, medicina
et diaeta»[1].

Et alibi: «aliae vero sunt *aequivocationes analogorum*, quae
habent quandam similitudinem et proportionem, *eo quod refe-*
runtur ad unum. Et illorum adhuc *quaedam sunt proxima et*
parum distantia, sive secundum genus distent in quo sunt, sive
distent secundum similitudinem comparationis ad unum. Dico
autem *in genere parum distare quae parum distant in natura*
illa a qua imponitur nomen, cum tamen sit diversa natura illa
in se; dico autem *parum distare in similitudine comparationis*
quando natura illa communis secundum naturam logicam una
est, et est alia proportio ipsius ad subiectum unum et alia ad
aliud, et illae proportiones parum distant... Si enim est eadem
secundum rationem logicam in alio et alio, tunc non erit aequi-
vocatio ab ipsa intentione nominis, sed potius causatur aequivo-
catio ad similitudinem proportionis *in esse quod habet in uno*
et in alio, sicut diximus de multo et duplici quae aequivocantur
non ex se sed ex similitudine proportionis ad aquam et aerem
et alia subiecta secundum speciem differentia: *si autem sit alia*
[intentio] in alio et alio, tunc causatur aequivocatio ab ipsa in-
tentione nominis aequivoci» secundum analogiam[2].

Quando ergo Aristoteles dicit in *X Metaphysicorum* corrup-
tibilium et incorruptibilium non esse idem genus, eius «propo-
sitio est vera, sed accipit ibi genus *secundum esse et non secun-*
dum intentionem logicam: hoc enim modo unum genus est eorum
quorum una est analogia potentiae ad actum; hoc enim modo
genus habet potentia differentias specificas, et hoc modo consti-
tutivis differentiis genus determinatur ad species. Et sic non
potest esse unum genus corruptibilium, et corporalium et spiri-

---

1 *I Post. Analyt.*, tract. 2, cap. 13, t. 2, pp. 53a, 53b-54a.
2 *VII Physic.*, tract. 2, cap. 3, t. 6, pp. 512-513.

tualium; *licet secundum intentionem logicam accipiendi genus, omnia sint in genere substantiae*»[1].

624. *Analogia* vero simpliciter vel *secundum ipsam intentionem* dicta *subdividitur* in analogiam proportionis ad unum vel ab uno et in analogiam proportionalitatis ad plura et diversa. Unitas enim proportionalis vel similitudo habitudinum, quae essentialiter requiritur ad analogiam simpliciter et proprie dictam, potest esse duplex: alia duorum vel plurium ad unum, idest unitas proportionis diversorum ad unum, et tunc dicitur analogia proportionis; alia duorum ad duo vel plurium ad plura, idest unitas proportionis diversorum ad diversa similia quae, in quantum similia, sunt unum, et sic vocatur analogia proportionalitatis[2]. Hoc namque modo loquendi communi, aut fere, tempore S. Alberti, utitur S. Doctor quando dicit quod «proportio est similitudo habitudinis inter duo, sed proportionalitas est similitudo proportionum [seu habitudinum] inter quatuor»[3].

625. Sic ergo analoga *analogia proportionis* dicuntur illa quorum nomen est unum, ratio vero significata per nomen est in uno simpliciter et primo et principaliter et maxime, in ceteris autem nonnisi secundum quid et per posterius et secundario et diminute, secundum diversos respectus vel habitudines sive proportiones ad illud unum a quo dependent et a quo denominantur.

Analoga haec nomina, inquit S. Albertus, «sunt imposita diversis secundum esse et substantiam per respectum ad unum cui proportionantur, sicut ens, quod dicitur de substantia primo et principaliter, et de accidenti secundario quia est aliquid entis, et quantitas dicitur ens quia est aliquid entis, et qualitas dicitur

---

1 *Summa theol.*, II P., tract. I, q. 4, memb. 1, a. 1, particula 2, ad arg. sed contra secundae seriei, t. 32, p. 67b.
2 *II Topic.*, tract. 2, cap. 6, t. 2, p. 324a; *IV Topic.*, tract. 2, cap. 2, pp. 371-372; *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 1, ad 3, t. 31, p. 83b; tract. 6, q. 24, memb. 1, p. 197a; *I Ethic.*, tract. 5, cap. 17, t. 7, pp. 81-82.
3 *IV Sent.*, d. 1, a. 5 ad 3, t. 29, p. 16a.

ens quia est dispositio entis»[1]: «in talibus enim ens simpliciter est substantia, et alia non simpliciter entia sunt sed sunt entis passiones, ut quantitas mensura entis, qualitas autem non ens simpliciter sed entis dispositio, et sic de aliis; tamen, quia in talibus respectus est ad unum quod est simpliciter ens, ideo non simpliciter est aequivocum: quare non omnium ad unum respicientium est idem modus et ratio respiciendi; unum enim est ut mensura, alterum ut dispositio»[2]. «Et hic quidem modus vocatur multiplex dictum secundum analogiam sive proportionem ad unum quod principaliter in nomine significatur»[3], quatenus «simpliciter est in uno, in aliis autem nonnisi secundum quandam proportionem ad illud»[4].

In huiusmodi enim analogis «quodammodo est unum commune secundum rem» ad quod tamen «non eodem modo referuntur quae continentur sub communi illo»[5], quia neque hisce dicitur idem nomen «nisi quia sunt modi quidam illius» primi et principalis[6]. Consequenter analogum hac analogia est una vox plura significans, non tamen aequaliter, sed «unum principaliter et aliud secundario sicut modum aliquem principalis significati»[7]; «quia in his est nomen unum et significatum unum et in uno, sed modis quibusdam illius significatum importat multa, ut unum et ens, quod significat substantiam et non significat accidens nisi quia est modus unius et entis quod est substantia»[8], siquidem ens, «cum multis modis diversis re et ratione de multis dicatur, dicitur tamen omnibus his modis ad unum nomen et ad unam aliquam naturam ad quam omnes illi modi dependent»[9]; «et ideo ens in omnibus his unitatem habet analogice, quae unitas non est quid aequivoci omnino, sed est multorum ad unum respicientium: non quidem quod per unam rationem est in illis, nec etiam quod per diversam est in illis, sicut quidam male dicunt, sed quilibet diversorum modorum est eius qu[illegible] simpliciter verum est: sicut ens simpliciter est sub-

---

1 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 6, t. 1, p. 11.
2 *Op. cit.*, tract. 4, cap. 6, p. 70b.
3 *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. 1, p. 153a.
4 *De Praedicabilibus*, tract. 2, cap. 9, p. 39b.
5 *VI Topic.*, tract. 5, cap. unic., t. 2, p. 467a.
6 *VIII Topic.*, tract. 1, cap. 4, p. 499a.
7 *I Elenchorum*, tract. 2, cap. 1, t. 1, p. 537.
8 *Ibid.*, tract. 5, cap. 1, p. 615b.
9 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 206.

stantia, et aliquid illius et eiusdem entis est quantitas, et aliquid eiusdem qualitas, et sic de aliis»[1].

Iure itaque hunc analogiae modum definit, dicens: «analogum autem est proportionatum ad unum; et hoc est cuius nomen est unum, et res sive substantia nominata illo nomine est una et eadem, sed ratio est diversa, eo quod ratio diversificatur per rem et modum rei illius... Sic pro certo ens non est nisi res una, quae est substantia; ratio autem diversa non est ideo quia res sit diversa, sed potius quia modi eiusdem entis sunt diversi et ab ipso ente et ab invicem: quemadmodum etiam dicimus medicinale unum quidem esse et simpliciter secundum causam efficientem et finalem, sed multos esse modos diversorum secundum proportiones eorum quae faciunt actum efficientis referendo eum ad eundem finem; cum enim dicimus medicinale esse corpus medicati, et opus medentis, et vas seu instrumentum medici, dicimus haec omnia esse medicinalia ad unum quid et idem referendo: non tamen haec omnia quidem omnino dicimus esse unum»[2], quia «non una ratione» dicuntur, sed dicitur de ipsis ut relatis ad unum, «quorum unum analogiam habet ad alterum. In omnibus autem talibus pro principio supponendum est quod id quod est causa nominis est id cui convenit nomen primo, aliis autem convenit per respectum aliquem ad illud»: verbi gratia, nomen naturae est analogum ad formam, materiam et compositum ex eis, sed «forma, a qua nomen imponitur, est causa nominis; et compositum, quod est natura ad quam refertur definitio et cui nomen ipsum imponitur propter actus et formae participationem, etiam illi per posterius et in secundo gradu convenit nomen; materiae autem analogiam habenti ad actum convenit nomen tertio»[3].

Et secundum hoc plane intelliguntur haec verba S. Doctoris: «in omnibus [hoc modo] per analogiam dictis, semper supponitur unum quod per se et primo dicitur illud quod est analogicum, et postea secundum proportionem ad rationem illius accipiuntur omnes alii modi. Verbi gratia, sanum dicitur secundum analogiam de animali et urina et cibo et medicina; supponitur ergo sanum proprie et primo et per se dici de animali, de aliis autem omnibus secundum proportionem ad illud: unde sanum

[1] *I Metaph.*, tract. 1, cap. 3, p. 7a.
[2] *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 9, pp. 420-421.
[3] *VIII Metaph.*, tract. 1, cap. 6, p. 503a. Cf. etiam *X Metaph.*, tract. 1, cap. 2, p. 550b; *II de Anima*, tract. 1, cap. 1, t. 5, pp. 192-193.

quod est in animali idem est quodammodo quod sanum quod est in urina et cibo et in aliis; sed est in animali ut forma aequalitatis humorum; in urina autem ut indicativa, non quidem esse in urina, sed esse in animali cuius est urina: ecce idem numero est sanum quod est in animali et urina, et sic est de aliis. Sed hoc verum est quod proportio ista analogice diversificatur ex parte proportionatorum ad illud unum, quia ratio indicantis in urina et ratio conservantis in cibo et ratio facientis in medicina non sunt una ratio, sed comparantur ad unum numero, et ideo in illo uniuntur et denominantur ab illo, eo quod illud est finis. Et idem est in omnibus aliis [sic] analogice dictis, licet in quibusdam minus appareat»[1].

Et alia haec: «quae autem sic unum sunt, perfecta ratio invenitur in uno, in aliis autem invenitur aliquid rationis ad illud tertium, secundum comparationem ad aliquem actum vel finem; sicut in medico est perfecta ratio medicinae, in instrumentis autem et vetula est aliquid rationis secundum quod ordinantur ad actum medici»[2]. «Tale enim commune in uno simpliciter est, et in aliis non sunt nisi modi eius, qui sunt extra ipsum, et realiter sunt in his quae respiciunt ad ipsum»[3]; quia «secundum perfectionem sui esse et rationis est in uno, et in aliis secundum comparationem ad illud»[4]: «et haec unitas non est generis nec speciei, sed principii, quod simpliciter est in uno, et in aliis secundum modum quo respiciunt in ipsum per analogiam unicuique determinatam»[5], siquidem «ponit esse unum et in uno simpliciter et vere, et non in aliis nisi secundum modum quendam; et hoc est unum analogiae, in quo principium non est nisi in uno, quod non unit alia ut in ipsis exsistens, sed quia per respectum ad ipsum quidam modi sunt: sicut ens unum est in substantia et accidenti et potentia et actu, et sicut dicitur de uno simpliciter et uno secundum quid, et uno per se et uno per accidens»[6].

[1] *I Sent.*, d. 46, a. 12c, t. 26, p. 445. «Omne analogum est in uno simpliciter, et in aliis secundum respectum ad illud» (*I Ethicorum*, tract. 3, cap. 11, t. 7, p. 45b).
[2] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, & 2, dub. 1c, t. 14, p. 14b.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 3, memb. 2 ad 2 et 3, t. 31, p. 17b.
[4] *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 20, memb. 3 circa finem, t. 31, p. 146a.
[5] *Summa theol.*, tract. 1, q. 3, memb. 2c, p. 17b.
[6] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 24, memb. 1, pp. 197-198.

Quae quidem egregie illustrat multiplici exemplo. Ita, «cum dividitur bonum ab Aristotele in libro *Ethicorum* in bonum honestum, utile et delectabile, non praedicatur bonum univoca praedicatione de illis, sed secundum analogiam: in qua communitate, id quod praedicatur, simpliciter est in uno et non in aliis, nisi secundum modum quendam; unde honestum simpliciter est bonum, utile autem non simpliciter est bonum sed bonum ad hoc, et delectabile non simpliciter est bonum sed bonum quando et alicui» [1].

Similiter, in hoc analogiae modo, «id quod praedicatur in uno est excellenter et eminenter, et in aliis nonnisi ab illo; sicut ens eminenter et excellenter est in substantia, in generibus autem accidentium non est nisi quia sunt in substantia et a substantia; et hic modus consuevit vocari per prius et posterius. Et hoc modo praedicatur bonum de prima causa boni et de bonis creatis quae bona sunt per participationem: prima enim causa a se et secundum ipsam bonum est, et essentia sua est bonitas sua, ut dicit Augustinus; bonum autem creatum participatione primi boni bonum est et non a se, et bonitas sua non est essentia sua» [2].

Pariter, in hoc genere analogiae, «commune praedicatum in uno est primo, et in aliis per quendam respectum ad illud: sicut sanum primo et simpliciter est in animali, in cibo autem, medicina et urina non est nisi per respectum ad illud; respectum dico significantis, facientis vel conservantis» [3].

Et hoc etiam genere analogiae hoc nomen *Deus* dicitur de Deo vero, de creaturis sanctis et de idolis, quatenus verus Deus dicitur Deus substantive, creaturae sanctae dicuntur dii adoptive, idola vero dicuntur dii nuncupative. Et ideo nomen hoc dicitur de his omnibus aequivoce, non quidem aequivocatione a casu et fortuna, «sed potius per prius et posterius se habendo ad aliquod unum quod substantialiter et naturaliter est in Deo vero, in sanctis autem participatione quadam, quae est secundum partem et imperfecta, in diis autem nuncupative per respectum opinionis tantum, et hoc habet minimum deitatis, quia esse in opinione est esse secundum quid et non simpliciter» [4].

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, & ad id quod quaeritur in secunda parte, t. 31, p. 232b.
[2] *Ibid.*, p. 233a.
[3] *Ibid.*, paulo infra.
[4] *I Sent.*, d. 2, a. 11, ad quaest. 3, t. 25, p. 67a. Cf. etiam *Summa*

626. Analoga vero *analogia proportionalitatis* dicuntur illa quorum nomen est unum, ratio vero significata per nomen est in omnibus illis una etiam eademque, non tamen unitate et identitate absoluta et per aequiparantiam, sed mere relativa et per similitudinem proportionalem. «Secundum [hanc] analogiam enim sunt unum quaecumque se habent in una habitudine aliud et aliud, ut sicut tria ad unum ita sex ad quatuor et sicut gubernator navis ad navem ita rector civitatis ad civitatem» [1], nam «per similem comparationem [sive habitudinem duorum ad duo vel plurium ad plura] accipitur unum proportione» [2].

Hoc itaque analogiae modo dicuntur analoga quae, diversorum generum cum sint, eorum tamen est «similitudo habitudinum in proportione, ut sic dicatur: sicut se habet alterum ad alterum in eo quod quid in genere sit, ita se habet aliud ad aliud [in suo proprio genere]; verbi gratia, sicut se habet disciplina ad disciplinatum in accipiendo intellectuale, sic se habet sensus ad sensatum in accipiendo sensibile sive materiale. Et iterum in habitudine ad subiectum, sicut cum dicitur, sicut alterum est in altero, sic aliud est in alio sicut in subiecto; [exempli gratia] quemadmodum visus est in oculo sic mens est in anima, et ut tranquillitas est in mari sic serenitas est in aere» [3].

---

theol., I P., tract. 6, q. 29, memb. 1, a. 1c, t. 31, p. 292; tract. 9, q. 41, memb. 1, a. 1, ad 4, p. 428a; tract. 13, q. 51, ad quaest. 3 et 4, p. 531. Alia exempla sunt modi oppositionis (*De Praedicamentis*, tract. 7, cap. 2, t. 1, p. 276b), modi prioritatis et posterioritatis (*Ibid.*, cap. 12, p. 295a), peccatum prout dicitur de mortali, veniali et originali (*II Sent.*, d. 35, a. 2c, t. 27, p. 563a; a. 3c, et ad 3 contra definitionem primam, p. 564b, p. 565b; d. 42, a. 3 ad 1, p. 658a), timor de diversis modis eius (*III Sent.*, d. 34, a. 7 ad 1, t. 28, p. 636b; a. 8, qla. 1, p. 638), paenitentia de virtute et de sacramento (*IV Sent.*, d. 14, a. 5c, t. 29, p. 416a), votum de communi et proprio vel singulari (*Ibid.*, d. 38, a. 7c et ad 1, t. 30, p. 406a), periurium de diversis modis eius (*In Evangelium Matthaei*, V, 33, t. 20, p. 210a).
[1] *V Metaph.*, tract. 1, cap. 9, t. 6, p. 290a.
[2] *Ibid.*, paulo post, p. 290b.
[3] *I Topic.*, tract. 4, cap. 8, t. 2, pp. 286-287.

Quo fit ut unum, secundum quod sumitur haec analogia, non est unum numero sicut in analogia proportionis, sed unum ratione proportionali, idest «secundum proportionem habitudinis ad unum commune secundum rationem» [1], «quod omnibus insit in propria natura et particulari sub illo communi acceptis»; verbi gratia, ita se habet os animalis ad eius carnem sicut spina piscis ad suam, quia conveniunt in duritie et soliditate qua sustinent et continent carnem [2]; similiter «differentia quae est inter pisces et aves videtur esse secundum convenientiam proportionis ad unum [commune secundum rationem proportionalem], quoniam ad hoc ipsum ad quod aves habent plumas, ad hoc ipsum pisces habent squamas loco plumae» [3]; et rursus «sicut ala in ave ita pinnata in pisce» [4].

Et hoc etiam analogiae genere essentia, substantia et iustitia proportionaliter conveniunt Deo et creaturis, ac de eis proportionaliter praedicantur: «sic enim dicitur Deus essentia qua ipse est, et homo essentia qua est, et esse Deo et creaturae commune est [secundum communitatem analogiae sive proportionalitatis]; et sic dicitur Deus substantia qua in se subsistit alio non indigens creaturae modo; et sic dicitur Deus iustus iustitia qua retribuit et quae ipse est suo modo, et homo dicitur iustus iustitia qua reddit unicuique quod suum est et quae ipse non est suo modo: et sic ista per prius et posterius dicuntur de Deo et creatura», quia non dicuntur aequalitate absoluta et totali sicut univoca, sed aequalitate proportionali tantum quae secum fert inaequalitatem ideoque prius et posterius [5].

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, & ad id quod ulterius quaeritur, t. 31, p. 596a.
2 *II Post. Analyt.*, tract. 4, cap. 6, t. 2, p. 220a; *De Animalibus*, lib. XI, tract. 2, cap. 2, n. 80, ed. cit., p. 792.
3 *De Animalibus*, loc. cit., n. 74, p. 789, 34-36.
4 *Ibid.*, n. 80, p. 792, 2.
5 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, & ad id quod ulterius quaeritur, t. 31, p. 596.

Ex quibus plane intelligitur quare S. Doctor affirmet haec analoga dici secundum proportionem ad unum, non quidem re et numero, sed ratione et proportione; quod est aequivalenter dici secundum proportionalitatem, quia proportionalitas nihil est aliud quam proportio vel similitudo proportionum: «dicitur secundum similitudinis simplicitatem [idest proportionis unitatem sive identitatem] ad analogiam sive proportionem, sicut si dicamus: sicut in corpore est visus ita in anima intellectus. Ad unum enim [proportione] fit proportio, quod est illustratio cognitorum: sensibiliter quidem in visu, intellectualiter autem in anima» [1]. «Proportio enim ad unum [proportionale] est similitudo habitudinum [sive proportionum], quod in diversa specie [vel essentia] et in una proportione participatur, sicut est gubernatio navis ad nautam et civitatis ad iudicem: nec enim eisdem regulis nauta prosequitur navis gubernationem quibus consequitur iudex civitatis gubernationem, nec idem in specie [vel essentia] est gubernatio navis et civitatis; et tamen similitudo habitudinum [sive proportionum] in utroque una est» [2]. Et ideo analoga analogia proportionalitatis «in unum conveniunt quo formaliter uniuntur... in unam habitudinem [diversorum] ad diversa», sicut «una similitudine habitudinis rector civitatis se habet ad civitatem et rector navis ad navem» [3].

627. Rursus *analogia proportionis* multipliciter *subdividitur*, «quia non uno modo dicitur fieri analogia ad unum, sed multis modis» [4]. Sunt autem tria in huiusmodi analogis, scilicet analogum primum et principale ad quod cetera proportionantur suo modo, analogata secundaria quae ad illud primum referuntur, et ipsa intentio communis analoga quae tam primo quam secundariis analo-

---

1 *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, t. 7, p. 82a.
2 *I Ethicorum*, tract. 2, cap. 3, p. 20.
3 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 24, memb. 1, t. 31, p. 196.
4 *I Sent.*, d. 46, a. 17, ad 1, t. 26, p. 458a.

gatis suo modo convenit. Consequenter subdivisiones istius analogiae fieri debent ex triplici capite, nimirum ex parte rationis analogantis secundum quam illud primum et principale natum est sibi analogare cetera secundaria analogata, ex parte secundariorum analogatorum ad illud primum, et ex parte communicationis ipsius intentionis analogicae.

Ex parte igitur rationis analogantis secundum quam primum et principale natum est sibi analogare cetera sub ipso analogabilia, subdividitur haec analogia in quatuor modos iuxta quatuor genera causarum extrinsecarum praebentium sive fundantium rationem illam analogantem, scilicet finalis, efficientis, exemplaris et quasi materialis prout nominat subiectum. *Hoc siquidem primum et principale non habet rationem generis aut speciei respectu suorum analogatorum, sed solum rationem principii et causae*[1]: «in omnibus enim his quae multipliciter dicuntur ad unum, habent id unum *causam totius multiplicitatis*»[2], et ideo «reducuntur ad [illud] unum quod est *causa omnium illorum*»[3]; «quidquid est in multis non aequivoce exsistens in illis [sed analogice analogia proportionis], est in aliquo uno primo quod est *causa omnium aliorum*...: cum igitur bonum sit in multis non penitus aequivoce exsistens in illis, necesse est quod sit in uno primo quod *causa sit omnium aliorum* in bono; non enim aequivoce est in multis quod est in omnibus secundum proportionem ad unum, aequivoca enim proportionem ad unum non habent: cum igitur talis similitudo in omnibus una sit [eo] quod unum sit primum bonum ad cuius proportionem et similitudinem alia bona dicantur, videtur esse unum primum bonum quod essentialiter bonum est, et *causaliter in omnibus facit bonum*,

[1] *De Praedicabilibus*, tract. 4, cap. 5, t. 1, p. 70a; *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 208a; *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 3, memb. 2c, t. 31, p. 17b.
[2] *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 2, t. 6, p. 404a.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 25, memb. 3, a. 3, particula, 2, obi. 3, t. 31, p. 221a.

et proportionaliter forma bonitatis eius salvatur in omnibus»[1].

Id quod amplius urget hac cogente ratione: «*omne quod est in unoquoque ordine, vel est primum, vel est a primo*. In ordine ergo eorum quae bona sunt, unumquodque est primum vel a primo: cum [autem] unumquodque non possit esse primum, *oportet quod sit a primo*; oportet igitur ponere unum quoddam primum quod *omnium causa sit aliorum*..., *quod tamen nec in genus nec in speciem incidit cum aliquo bonorum*», sed alia omnia continentur sub ipso «*communitate principii, non generis*»[2].

Et quidem habere debet rationem principii vel causae extrinsecae; «tale enim commune in uno simpliciter est, et in aliis non sunt nisi modi eius, qui *sunt extra ipsum, et realiter sunt in his quae respiciunt ipsum*»[3].

Ex quibus plane intelliguntur haec aurea verba S. Doctoris: «quorum est analogia ad invicem, eorum est convenientia in analogia illa. Analogia enim non facit aequivocum a casu et fortuna, sed *ponit respectum ad unum, et ille respectus non causatur nisi per aliquid conveniens illi ad quod respicit*, sicut patet cum dicitur: animal sanum, cibus sanus, urina sana. Cibus enim non dicitur sanus nisi per analogiam quam ponit ad sanitatem animalis ut conservans; urina etiam non dicitur sana nisi quia respectum ponit ad eandem sanitatem animalis ut indicans. Similiter ens non dicitur de substantia, quantitate, qualitate, et sic de aliis, nisi quia res aliorum praedicamentorum convenientem analogiam ponunt ad ens principale quod est substantia: verbi gratia, quantitas dicitur ens quia mensura est eius quod est vere ens; qualitas dicitur ens quia dispositio est eius quod est vere

[1] *I Ethicorum*, tract. 2, cap. 3, t. 7, p. 20.
[2] *Ibid.*, pp. 20b et 21a.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 3, memb. 2, ad 2 et 3, t. 31, p. 17b.

ens; relatio dicitur ens quia respectus est eius quod est vere ens»[1].

S. Albertus saepe recolit tria membra simul huiusce subdivisionis, scilicet secundum causam finalem, efficientem et quasi materialem, provocans ad Aristotelem[2] et ad S. Joannem Damascenum[3]; aliquando duo tantum, nempe secundum causam efficientem et finalem, ut reddat sensum analogiae ab uno et ad unum[4]; quando unum tantum, videlicet secundum causam exemplarem[5]: revera tamen quatuor membra novit et admisit.

628. Singula autem membra explicat egregie, pluribusque exemplis illustrat. Ita, analogum analogia proportionis ad unum secundum causam *finalem* habetur quando idem convenit pluribus secundum prius et posterius «per diversum respectum ad finem unum, qui uno modo per se inducitur in» primo et principali, «et alia diversimode operantur ad inductionem eius»[6], eo quod illa «omnia contendunt ad unum bonum quod eis finis est»: sicut «*sanum* dicitur animal, et praecipue homo, qui inter cetera magis in aequalitate [complexionis] consistit; sana etiam dicitur urina, et sana dicitur medicina, et sanus cibus; et sanitas finis est quam per se appetit homo et medicus. Sanitas autem primo et per se est in homine sicut in subiecto, in urina autem sicut in indicante, in medicina autem sicut in contrarium removente, in cibo autem sicut in faciente vel conservante»[7].

Quod quidem exemplum alibi fusius et limpidius prosequitur, scribens: «et hoc videmus in analogia communitatis dictae secundum causam *finalem*. Sic enim dicitur *salubre* multis modis diversis ad unum quod est *sanitas* et *finis omnium salubrium*: *hoc* enim dicitur salubre sive sanum ut *conservans* sanitatem,

---

1 *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 4, memb. 2, a. 4, arg. 3 sed contra, t. 32, p. 89.

2 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, pp. 206-207; *I Sent.*, d. 8, a. 7, ad 3, t. 25, p. 229a; *Quaestiones de Bono*, q. 4, obi. 2, ed. H. Kühle («Florilegium patristicum», fascic. 36), p. 26, 24-30. Bonnae 1933.

3 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. 1, p. 11b.

4 *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, t. 7, pp. 81-82.

5 *De causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 1, cap. 17, t. 10, p. 462a; *I Sent.*, d. 24, a. 2c, t. 25, p. 609, et passim in aliis operibus.

6 *I Sent.*, d. 8, a. 7 ad 3, t. 25, p. 229a.

7 *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, t. 7, pp. 81-82.

sicut exercitium; *aliud* autem salubre sive sanum *diverso modo dicitur a conservante* sicut in actione sua sanitatem *faciens*, sicut potio sive pharmacia humorem putridum expellens; *aliud* autem salubre sive sanum dicitur *tertio modo a dictis duobus* sicut *signum* sanitatis, sicut pulsus vel urina vel cretici dies laudabiles; *quartum* autem salubre sive sanum dicitur sicut *susceptibile* sanitatis de facili, sicut corpus mundum ab humoribus malis. *Et cum diversi sint modi quibus ista sana dicuntur, est tamen unica natura sanitatis ad quam sicut ad finem omnia ista sana dicuntur et a qua sani accipiunt nomen*»[1].

Aliud exemplum est *boni* moralis secundum quod dicitur de bono utili et de bono delectabili per ordinem ad bonum honestum sicut ad eorum finem: «honestas enim et utilitas et delectabilitas differentiae boni sunt per prius et posterius dicti, nec utile movet appetitum nisi per relationem ad honestum; similiter et delectabile non movet appetitum nisi per hoc quod est quaedam honesti resonantia. Honestum autem ex propria forma movet, quia essentialiter est similitudo esse divini, et sub ratione divini boni movet appetitum»[2]. «Quia ergo bonum honestum *omnem virtutem* boni habet, utile autem et delectabile non habent nisi boni *virtutem quandam*, ideo non simpliciter, sed *ad quid* [=utile] vel *cui* [=delectabile] bona dicuntur: et hic est quidam modus analogiae»[3]. Et propter hoc «divisio boni in delectabile, utile et honestum non est divisio generis in species, sed potius data est per prius et posterius participantia ipsum divisum, sicut ens dividitur per potentiam et actum»[4].

Se habet igitur bonum ad haec tria bonorum genera ut totum potestativum sive analogum ad partes eius potentiales sive virtutis[5]. Constat autem quod «in omni toto potestativo inferior potentia semper ordinatur ad superiorem, nec habet ultimum

---

1 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 206b. Videsis etiam *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, & exemplum autem eorum quae contendunt ad unum, t. 7, pp. 81-82; *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. 1, p. 11b; *I Sent.*, d. 8, a. 7, ad 3, t. 25, p. 229a; *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, arg. 3 sed contra, t. 31, p. 230b; & ad id quod quaeritur secundo, tertium genus analogiae, p. 233a; *Summa de Creaturis*, II P., q. 80, a. 1, arg. 1 sed contra, t. 35, p. 650b.

2 *I Ethicorum*, tract. 3, cap. 6, t. 7, p. 38b.

3 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, & ad id quod quaeritur in secunda parte, t. 31, p. 233a.

4 *I Sent.*, d. 1, a. 21 ad 3, t. 25, p. 49b.

5 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, § ad id quod quaeritur in secunda parte, t. 31, p. 232b.

nisi in summo illo quo superiorem attigit», ut in civilibus videre est, in quibus «totum potestativum est regnum distributum in partes potestativas, sicut in praetoriatum, ducatum, militiae praefectoriam, et huiusmodi: patet autem quod inferior semper respicit superiorem, et non habet bonum et optimum sui nisi ordinem superioris participando, sicut dux ordinatur a rege ad actum et opus, praetor autem a duce, praefectus autem a praetore; et, si talis ordo non sit, cum ordo sit pars potestatis, cadunt a ratione potestatis, et confusum quid erit, non in unum sed in diversa tendens et seipsum destruens»[1].

Quod et illustrat hoc alio perlucido exemplo: «sicut totum universale [=univocum] est essentialiter in quolibet suorum subiectorum, ita totum potestativum et virtuale [=analogum] non est essentialiter sed potestative et virtualiter in qualibet sibi subiectarum potestatum et virtutum. Sicut victoria quae est in duce exercitus, secundum aliquam virtutem [est] in coquinativa, et secundum aliquam in marescaltiva, et secundum aliquam in militari; et sic de omnibus his virtutibus congregatis et ad unum relatis perficitur victoria, et singula tanto meliora sunt quanto victoriae sunt propinquiora. Et hoc modo idem est bonum exercitus et uniuscuiusque singulariter de exercitu; singulorum enim opera rationem boni non habent nisi *per analogiam ad ultimum bonum*: in qua analogia idem est bonum unius et totius exercitus, non quidem genere vel specie vel numero vel definitiva ratione, sed *analogia ad unum, quod est commensuratio omnium et singulorum ad unum ultimum*»[2].

Indeque assurgens ad universum exercitum creaturarum quae sub Deo veluti sub uno supremo duce militant ad supremam victoriam assequendam, idest ultimum finem simpliciter rerum omnium, pulcherrime scribit: «bonum autem quod omni naturae est bonum, est participatio *divini intellectus* secundum quod ipse est efficiens et forma et *finis universaliter entis sive universitatis*. Ad hoc enim est omne quod est, et propter illud agit omne quod agit, et ipsum est causa ordinis secundum omnem gradum omnis entis; quia vicinius illi esse, est ipsum nobilius et per plura participare; et remotum esse ab ipso, est ipsum minus nobile et per pauca participare: et sic per modum participationis unumquodque disponitur in gradu universitatis, et

[1] *VI Ethicorum*, tract. 1, cap. 3, t. 7, pp. 397-398.
[2] *I Ethicorum*, tract. 3, cap. 14, p. 48.

per hoc est causa ordinis universi; et uniuscuiusque naturae malum nihil aliud est nisi infirmari et corrumpi in modis commensurationis sive proportionibus et habitudinibus participandi bonum illud secundum gradum uniuscuiusque naturae debitum, perfici vero in bono illo et vigorari et secundum totum esse commensurari proportionaliter sibi secundum naturam et habitudine optima participare illud *secundum analogiam unicuique gradui entis debitam*. Hoc igitur bonum est in prima causa, sicut victoria totius exercitus est in duce exercitus. In exercitu autem *quidam* secundum *parum* participant victoriae bonum, ut sternentes equos et coquinantes militi; *quidam* autem plus, ut armantes milites; *alii eminenter* participant, ut vexilliferi; *totum autem ipse dux ordinans et continens exercitum totum*»[1].

Quo etiam analogiae modo ostendit unitatem Theologiae Sacrae. «Haec scientia, inquit, *una* est proportione, non ad unum quod subiectum sit aliorum sicut substantia subiectum est accidentium, sed *proportione ad unum quod est finis beatificans*; quia sic beatificabile considerabitur ut participans illud, et dispositiones beatificantes ut removentes a contrario, et res huius mundi ut adiuvantes et adminiculantes»[2], scilicet prout «in usum veniunt eius qui ad beatitudinem progreditur: in usum dico, secundum intellectum meum in cogitando per ipsa Creatorem, vel secundum opus in adiuvando ad beatitudinem»[3]. Et propterea «Theologia» considerat quidem res et signa, attamen «non speculatur res in quantum res sunt absolute sed prout ordinantur ad perfectionem beatitudinis et fruitionis, ad quas quaedam ordinantur ut beatificantes, quaedam autem ut adiuvantes et disponentes ad beatitudinem, sicut utilia; similiter dicendum est de signis, quod non considerantur in generali acceptione signorum [idest absolute in eo quod signa], sed prout demonstrant non continendo, vel demonstrant continendo gratiam, quae est propria dispositio ad beatitudinem»: et ita omnia considerat «in quantum faciunt aliquo modo ab beatitudinis participationem»[4], «nihil enim quaeritur in eo quod est ad finem nisi fi-

[1] *I Metaph.*, tract. 2, cap. 5, t. 6, p. 29. Cf. etiam *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, & 2, dub. 5c, t. 14, pp. 17-18; *Quaestiones de Bono*, q. 1, ad 2 contra primam definitionem, ed. cit., p. 16, 8-17; q. 4, solutio, p. 27, 10-15.
[2] *I Sent.*, d. 1, a. 3c, t. 25, p. 17b.
[3] *Ibid.*, ad 2, p. 18a.
[4] *Ibid.*, a. 2c, p. 16.

nis»[1]; «dicit enim Philosophus quod ubi unum propter alterum, utrobique unum, et est sensus quod finis et non aliud quam finis inspicitur et quaeritur: et sic in utili quaeritur fruibile ut stat sub forma fruibilis»[2].

629. Analogum vero analogia proportionis ad unum secundum causam *efficientem* contingit quando idem pluribus convenit secundum prius et posterius «in ordine ad [unum] actum efficientis, qui per se est unius, et alia per aliud appropinquante modo causalitatis efficientis: sicut medicus dicitur medicus per se, et vetula imitando, et instrumenta medicinalia ut per quae exercetur actus»[3].

Idemque exemplum alio in loco protrahit longius hisce verbis: «Exemplum est in communitate *analogiae causae efficientis* dictum, et *est communitas qua multa dicimus esse medicinalia per comparationem ad unam eandem medicinam*. Dicitur enim hic medicus medicinalis in habendo facultatem medicinae secundum habitum regentem actum medicativae artis; aliud autem dicitur medicinale in exsistendo subtile secundum industriam ad medicinam, sicut vetula sine arte operans; aliud autem dicitur medicinale quia facit actum conferentem medicinae, ut clyster vel syringa. Et cum omnes isti modi sint diversi, tamen una est ars medicinae secundum naturam et nomen et rationem ad quam omnia ista modis diversis dependent et a qua accipiunt nomen medicinalis»[4].

Et vividius adhuc talem facit descriptionem huiusce analogiae: «cuius exemplum est quod medicus Hippocrates vel Galenus medicus dicitur; medicus autem dicitur apothecarius servus commixtione specierum subserviens medico; medicans etiam dicitur imitans medicum; et medicus dicitur clyster vel instrumentum. Omnia autem haec medici accipiunt nomen per univocationem [=comparationem, proportionem] ad unum medicum qui vere medicus est, secundum tamen diversos modos ad actum illum [medendi vel sanandi] referuntur: ita tamen quod solus medicus operatur hunc actum secundum causam quae in ipsa est medicina; alia autem omnia quantum possunt imitantes

1 *Summa theol.*, I P., tract. 1 q. 3, memb. 2, ad 2 et 3, t. 31, p. 17b.
2 *Ibid.*, corp. p. 17b. Cf. ibid., memb. 4c, p. 19b.
3 *I Sent.*, d. 8, a. 7 ad 3, t. 25, p. 229a.
4 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 206b.

medicum, non artem, secundum diversas potentias quas habent, imitantur»[1].

Haec ergo omnia dicuntur medicalia *«proportione ad unum efficiens actum*: ut medicus dicitur vere medicus qui secundum eam quae in ipso est medicinam operatur; et medicus dicitur idiota, medicum per experta vel experimenta imitans in opere medicandi, et non secundum eam quae in ipso sit artem medicinae; et medicus dcitur instrumentum medicinae per quod fit medicatio, ut clyster, vel embotum, vel aliud huiusmodi»[2].

Quae omnia uno verbo contrahit, dicens: *eorum «quae sic unum sunt, perfecta ratio invenitur in uno, in aliis autem invenitur aliquid rationis ad illud tertium secundum comparationem ad aliquem actum*...: sicut in medico est perfecta ratio medicinae, in instrumentis autem et vetula est aliquid rationis secundum quod ordinantur ad actum medici»[3]. Et sic haec pertinet ad ea «quae per analogiam dicuntur, in quibus secundum quasi instrumentale est ad primum»[4].

Indeque ad supernaturalem sanationem animae transferens huiusmodi analogiam, scribit: sacramenta novae legis dicuntur vasa medicinalia «in quantum vas habet se quodammodo ad actum medicinae et medici. Dicimus enim quod medicus sanat, et medicina, et clyster et embutum; sed medicus effective, et medicina sicut virtus coniuncta naturae, et clyster est sicut instrumentum ponens medicinam in locum debitum: et ita se habent in curatione animae Deus et gratia et sacramentum», nempe Deus ut medicus, gratia sanans ut medicina, sacramentum ut instrumentum continens gratiam medicinalem et ad animam sanandam deferens[5].

630. Analogum autem proportionis ad unum secundum causam *exemplarem* tunc obtinet quando idem pluribus exemplatis convenit secundum prius et posterius in ordine ad unum exem-

1 *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 17, t. 7, p. 81b. Cf. etiam *Summa de creaturis*, II P., q. 80, a. 1, arg. 1 sed contra, t. 35, p. 650b.
2 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. 1, p. 11b.
3 *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, & 2, dub. 1c, t. 14, p. 14b.
4 *De causis et processu universitatis*, lib. I, tract. 4, cap. 6, t. 10, p. 420b.
5 *IV Sent.*, d. 13, a. 10 ad 4, t. 29, p. 349b. Cf. etiam d. 1, a. 5 ad 4, p. 17a.

plar vel prototypum quod imitantur quantum possunt secundum modum proprium uniuscuiusque. «Exemplar enim est proprie ad cuius similitudinem aliquid fit per respectum ad ipsum et non per extensionem super ipsum» [1]: et ideo inter exemplar et exemplata «non est communitas nisi per analogiam, quae communitas in uno [scilicet exemplari], est per se et proprie, in aliis autem [idest in exemplatis], per imitationem illius» [2], utpote convenientibus «secundum proportionem imitationis cum ipso» [3]: unde et appellatur «communitas imitationis» [4]: verbi gratia, animal dicitur de animali vivo et de animali picto, sed animal pictum non dicitur animal nisi in quantum ad animal vivum «refertur secundum repraesentationis quendam modum» [5].

Similiter *veritas* creata dicitur veritas secundum analogiam imitationis ad veritatem primam et increatam quasi ad exemplar primum omnis veritatis, «ut prima veritas dicatur veritas per se, aliae autem dicantur veritates per comparationem ad illam» [6]. Rectitudo enim primo et per se convenit veritati increatae, «quae nunquam deflectitur ab extremis, et in omnibus aliis est rectitudo hanc imitans in quantum potest quadam mentali extensione adaequans media suae rectitudinis principio a quo est et fini ad quam est: et hoc invenitur in re quando est quod debet, et in actione quando facit quod debet, et in signo quando significat quod debet, et sic de aliis» [7]; nam «in omnibus talibus, ut vult Philosophus, in secundis manet respectus proportionis ad primum, et ideo, si sic loquamur, tunc prima veritas erit in omnibus creaturis veris sicut in individuantibus eam et imitantibus in quantum possunt: et hoc modo [prima veritas] erit quasi quaedam mensura ad quam mensuratur unumquodque quod verum dicitur» [8]. «Est ergo una rectitudo et veritas qua

---

[1] *I Sent.*, d. 35, a. 14, ad quaestiunculam, t. 26, p. 203b.
[2] *De causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 1, cap. 17, t. 10, p. 462b.
[3] *In librum Dionysii de Mystica theologia*, quaest. prooemialis, ad 6, t. 14, p. 815b.
[4] *Op. cit.*, cap. 2, § 2, dub. 2 ad 2, p. 841b; dub. 3, ad 3, p. 842b. Cf. etiam *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, § 2, dub. 1c, et ad 2 et 4, t. 14, pp. 14-15; expositio textus, p. 18b.
[5] *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, p. 154a.
[6] *I Sent.*, d. 46, a. 11c, t. 26, p. 443b.
[7] *Ibid.*, a. 12c, p. 445b.
[8] *Ibid.*, a. 17c, pp. 457-458. Cf. etiam *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 25, memb. 1, t. 31, pp. 205-206; *IV Ethicorum*, tract. 3, cap. 2, t. 7, pp. 317-318.

omnia recta et vera sunt, et intelligitur *qua*, scilicet exemplari et prototypo et non sicut forma adhaerente rebus: omne enim verum creatum sic se habet ad primam veritatem ut diminutum quod non implet et adaequat eam in totum sed exceditur ab ipso, sicut esse temporale se habet ad aeternum et esse circunscriptum se habet ad incircunscriptum» [1].

Aliud exemplum est *scientia* secundum quod dicitur de scientia Dei et de scientia angelorum et hominum, quia «neutra scientiarum creaturarum est univoca scientiae Creatoris»; neque etiam pure aequivoca, quia utraque exemplata est a divina scientia, et «exemplatum nullum aequivocum est exemplari in forma exemplaris», secus «exemplatum non erit in aliquo similis speciei cum exemplari et ita non erit magis exemplatum ab ipso quam a disparato sibi»; sed analogica, quia «utraque imitatur eam quantum potest, et ideo est per prius et posterius dicta, eo modo quo dictum est supra, quod primo est in Deo, et ab ipso et ad ipsum quantum possibile est, in angelo et in homine», nam «exemplatum imitatur [exemplar primum] quantum potest, plus in angelo et minus in homine», siquidem «mens angeli et animae non proportionatur essentiae divinae nec scientiae secundum quod est divina, et ideo oportet quod recipiat [scientiam] inferiori modo prout exigit natura inferioris status» [2]: «intellectualis enim natura est in homine et in angelo, et intellectualior angelus quam homo» [3], «et sic sufficit communitas analogiae, sicut dicimus quod intellectualis est homo, intellectualior angelus, intellectualissimus Deus» [4]; «sic enim intellectuale quod est in Deo essentialiter, in angelo est per analogiam propinquiorem, et in homine per analogiam remotiorem» [5].

Eodem iure «*numerus* non dicitur univoce, nec etiam unitas, de Creatore et creatura», quia «nihil univoce convenit Deo et creaturis..., sed dicitur aequivoce, non quidem aequivoce per casum et fortunam, ut canis [terrestris, marinus et caelestis], et asinus vas et animal, sed aequivocatione analogiae ad unum:

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 25, memb. 3, a. 1c, t. 31, p. 215a. Cf. *I Sent.*, d. 41, a. 8, t. 26, pp. 352-353.
[2] *I Sent.*, d. 35, a. 1c, obi. 2, et ad 2 et 3, t. 26, pp. 176-177.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 2, a. 1 ad 4, t. 31, p. 261.
[4] *Op. cit.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, ad 4, p. 596b.
[5] *Op. cit.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 1, ad arg. 4 sed contra, p. 92b.

et non secundum [causam quasi materialem ad unum subiectum, ut] ens est analogum ad substantiam et accidens; vel [secundum causam finalem, ut] sanum ad animam et urinam; vel [secundum causam efficientem, ut] medicum ad artificem et clysterum; sed secundum analogiam causati et exemplati ad causam et exemplar... Et ideo abusiva est comparatio quando dicimus, Deus est magis unus quam creatura, et tantum valet: Deus est magis unus quantum Deus est primo et per se ut causa et exemplar unum, et creatura minus una, idest ab illo et ad illud exemplata et relata est unum» [1].

Item, *bonum* dicitur de diversis generibus bonorum creatorum per analogiam ad bonitatem primam et summam Creatoris ut ad exemplar et prototypum omnis bonitatis; et ideo omnia bona sunt et dicuntur talia una eademque bonitate, non quidem sicut ab una causa formali intrinseca ut individua sunt una specie et species sunt unum genere, sed ab una causa formali extrinseca seu exemplari quam diversimode participant et diversimode imitantur pro modo et gradu bonitatis uniuscuiusque. «Dicendum est quod non una bonitate et prima formaliter et essentialiter omnia bona sunt bona, nisi ablativi isti, *una bonitate*, construantur in habitudine causae formalis exemplaris; tunc enim verum est quod omnia una bonitate bona sunt exemplariter, quia bonitas in omnibus exemplum est primae bonitatis et imago, et ipsa prima bonitas forma et exemplar omnis bonitatis» [2]. Quo in sensu, idest ut analogata ad illam bonitatem primam exemplarem, non possunt intelligi nec definiri ceterae bonitates secundae et participatae nisi per ordinem ad illam; «unde sicut non contingit intelligi imaginem sine eo cuius est imago et exemplum sine exemplari, ita non contingit intelligi bonum per participationem dictum non intellecta prima bonitate; eo quod omnis talis causa sicut est prima causa, causatum suum efficit et plantat in imagine suae formae et convertit ad seipsam. Et propter hoc, ex triplici causa Dionysius determinat bonum. Sicut enim artificiata sunt in intellectu artificis, sic omnia secunda causata sunt in prima causa: et ideo sicut in artificiatis domus est ex domo plantata in forma domus quae est in mente artificis, et relata ad ipsum sive conversa per imitationem, et perfecte

[1] *I Sent.*, d. 24, a. 2c, obi. 1, et ad 1 sed contra, t. 25, p. 608a, 609.
[2] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 3, particula 1c, t. 31, pp. 246-247.

bona quando perfecte imitatur; sic in omnibus secundis bonum est ex bono plantatum in forma ipsius, et relatum et conversum ad imitationem ipsius, et perfecte bonum quando perfecte imitatur. Et haec est vera causa propter quam vera determinatio boni est quando per participationem dicitur, quod bonum est quod est a bono et in bono et ad bonum» primum et per essentiam [1]. Nec tamen Creator ab ullo aufert naturam propriam et bonitatem propriam, «sed omnibus largitur pulchrum et bonum secundum propriam uniuscuiusque analogiam» [2].

Haec ergo communitas formae bonitatis non est participata ab omnibus bonis eodem modo et secundum totalitatem essentiae neque univoce de eis praedicatur, sicut genus et species praedicantur de suis inferioribus; «hoc enim modo praedicatur bonum honestum de partibus honesti, et bonum utile de particularibus utilibus, et delectabile secundum sensum de delectantibus in sensu» [3]: sed participatur diversimode secundum prius et posterius, ac de eis diversimode praedicatur secundum diversam proportionem ad unum primum et maximum quod est bonum per essentiam. Nam «communitas formae in participantibus formam non est una: sed quaedam est communitas analogiae in qua id, quod vere secundum formam dicitur, est in uno, et non in aliis nisi secundum modum quendam habitudinis ad illud... Illi enim qui sic secundum formam commune dicitur multa accidunt in uno quae non accidunt in alio. Et est exemplum de *necessario*, quod dicitur de eo quod est ens necesse, et de eo quod non potest aliter se habere: et ei quod est ens necesse, nullum opponitur contingens vel possibile; ei tamen quod est impossibile aliter se habere, per aliquem modum opponitur et contingens et possibile: si enim comparetur ad causam per quam exivit in esse, et contingens erit et possibile. Et sic est de bono quod per communitatem analogiae dicitur de creato et increato: et simpliciter est in bono increato, in aliis autem secundum modum, quia scilicet sunt a bono et in bono et ad bonum illud, ut dicit Dionysius; et ideo accidit ei oppositio mali secundum quod participative dicitur, quae non accidit ei secundum quod

[1] *Ibid.*, particula 4c, pp. 257-258.
[2] *Op. cit.*, I P., tract. 6, q. 27, memb. 4, ad quaest. 3, t. 31, p. 287b.
[3] *Op. cit.*, tract. 6, q. 26, memb. 1, ad 1, ad id quod quaeritur in secunda parte, t 31, p. 232.

in se accipitur et ut primum bonum quod essentialiter bonum est et causa boni»[1].

Qua de causa, sicut bonum creatum sive participatum dicitur diversimode de diversis bonis creatis secundum diversum modum propinquitatis ad bonum per essentiam quod imitantur in modo, specie et ordine, ita malum oppositum bono participato dicitur de diversis secundum diversum modum elongationis et defectibilitatis ab illo eodem bono summo, a cuius imitatione deficiunt, deficiendo a proprio modo, specie et ordine singulis debito: unde sicut bonum creatum analogice dicitur de diversis generibus vel modis eius; ita et malum ei oppositum analogice dicitur de diversis generibus vel modis mali. «In veritate, ait profunde S. Doctor, una ratione communi communitate analogiae dicitur malum de omnibus malis, sive sit malum culpae, sive malum paenae. Et haec est illa ratio, quod malum est corruptio modi, speciei et ordinis, ut dicit Augustinus; sive corruptio modi, commensurationis et harmoniae, ut dicit Dionysius: sicut et bonum, secundum quod est perfectum modo, specie et ordine ad actum optimum, sive modo, commensuratione et harmonia, communi ratione [analogiae] dicitur de omnibus bonis. Speciales tamen rationes diversae sunt, sicut in omni analogo rationes speciales diversae sunt, sicut patet: ens enim communiter dictum, de substantia, quantitate et qualitate speciales habet rationes; dicitur enim substantia ens vere et per se ens, de quantitate dicitur ens quia mensura entis, de qualitate dicitur ens quia dispositio entis, et sic de aliis. *Sic etiam* in malis differt ratio specialis secundum quod est illius vel illius boni corruptio secundum esse vel secundum bene esse uniuscuiusque»[2]. Et ideo malum per prius dicitur de malo culpae quam de malo paenae, et quidem per prius de malo culpae mortalis quam de malo culpae venialis et de malo culpae originalis; nam «licet ista tria dividant peccatum, non tamen suam essentiam participant secundum idem, sed secundum prius et posterius»[3].

Pariter *liberum arbitrium* commune est Deo, angelis et hominibus, non tamen communitate generis vel speciei, quae est communitas univocationis, sed communitate analogiae. «Non univo-

[1] *Op. cit.*, tract. 6, q. 27, memb. 1, a. 1, ad 1 et 2, t. 31, p. 271b. Cf. etiam *I Sent.*, d. 2, a. 2 ad 1, t. 25, p. 57a.

[2] *Ibid.*, memb. 5c, p. 285a.

[3] *II Sent.*, d. 35, a. 2c et ad 1, t. 27, p. 563a; a. 3c, p. 564b; d. 42, a. 3 ad 1, p. 658a.

ce nec aequivoce liberum arbitrium convenit Deo et creaturae, sed communitate analogiae quae est secundum prius et posterius; libertas enim per prius est in Deo et per posterius in creatura», quia «potestas conservandi rectitudinem multo maior est in Deo quam in creatura»[1].

Et quidem angelis et hominibus convenit secundum diversam proportionem imitationis ad liberum arbitrium Dei veluti ad primum exemplar libertatis. Unde iterum S. Albertus: «secundum analogiam est communitas ista in creatura et Creatore, quia rectitudo in Creatore non differt a potestate servandi eam nisi secundum rationem, nec potestas servans differt a potente nisi secundum rationem; in creatura autem differentia est inter haec secundum rem: et in Deo est ut in exemplari primo, et in creatura sicut in exemplato; in angelo autem et in homine non est secundum communem speciem, sed genere, sicut sensibile in bruto et homine; et quod plus est, non est secundum propinquum genus, sed remotum, quia non est mea opinio quod angelus et anima sunt idem specie vel genere propinquo, nec angeli idem specie sunt ut puto: ideo potentiae etiam secundum haec ad invicem habent differentiam»[2].

Eodem modo, *amor* dicitur de amore naturali, intellectuali et angelico et gratuito per analogiam ad amorem divinum ut ad prototypum omnis amoris recti. Equidem amor de his omnibus «non dicitur aequivoce, sed per prius et posterius; et per prius dicitur de divino, et de illis aliis secundum accessum ad illum plus vel minus. Unde caritas angelica, quae est patriae, magis habet de ratione amoris quam viae, quae est intellectualis; et huic etiam, ut dicit Augustinus, contendit assimilari in quantum potest amor sensibilis et naturalis, licet quandoque deflectatur[3].

Et ad eundem analogiae modum reducitur analogia nominis *Dei* secundum quod dicitur de ipso Deo vivo et vero, et de sanctis et de idolis sive diis gentilium. De Deo enim vivo et vero dicitur per prius, idest substantive et essentialiter, ut de primo et supremo analogante; de sanctis autem et idolis gentilium di-

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 15, q. 94, memb. 2, § ad id quod ulterius quaeritur, t. 32, p. 213.

[2] *II Sent.*, d. 25, a. 5c, t. 27, p. 430b. Cf. etiam *ibid.*, a. 7, a. 439-440; *Summa de creaturis*, II P., q. 70, a. 6c, t. 35, p. 589b; *II Sent.*, d. 3, a. 7, § ad id quod ulterius quaeritur, t. 27, pp. 72-73.

[3] *III Sent.*, d. 27, a. 4, ad 2 sed contra 2 definitionem commentatoris, t. 28, p. 521.

citur per posterius ut de secundis analogatis: et quidem de sanctis dicitur participative, scilicet per participationem gratiae qua filii Dei nominantur et sunt, iuxta illud: «Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes»[1]; de diis vero gentilium dicitur nuncupative tantum et secundum eorum opinionem, quasi de signo quodam vel figura Dei. Quidquid autem sit de huiusmodi idolis, quorum remotam et imperfectam analogiam admitit aliquando[2], licet plerumque eam denegat, putans ea deos appellari omnino aequivoce, «cum *nihil* habeant divinitatis nec per essentiam nec per participationem»[3]; certum est tamen sanctos vocari deos per analogiam imitationis ad ipsum Deum verum et vivum, vi cuius denominantur dii: quia «ad denominationem sufficit convenientia ad id a quo denominatur, licet non participet totam essentiam denominantis, sicut dicuntur dii denominative sancti per convenientiam remotam ad deitatem»[4]. «Et ideo illis est communicabile hoc nomen *Deus*: nec tamen aequivoce, sed *per imitationem secundum prius et posterius*»[5]. Participatione enim divinae naturae per gratiam facti sunt digni «divina *univocatione*, idest quod *vocentur eodem nomine* quo Deus, non aequivoce, sed analogice: si tamen hoc est *iustum*, idest *rectum* dicere; non est enim omnino rectum, in quantum est imperfecta imitatio, et in quantum analogia deficit ab univocatione, aliquid non habens eius»[6].

Indeque etiam intelligitur analogia huius nominis, *Filius Dei*, secundum quod dicitur de Filio Dei naturali, qui est Christus Jesus; et de filiis adoptivis qui sunt sancti; «et de filiis per creationem, ut sunt creaturae intellectuales in suis naturalibus sine gratia et sine peccato; et de filiis nuncupativis, qui sunt creaturae intellectuales in peccato exsistentes ideoque deturpatam habentes imaginem creationis. «Ista, inquit, non sunt unius rationis, sed per prius et per posterius sunt dicta: Christus enim

---

[1] *Psalm.* 81, 6.
[2] *I Sent.*, d. 2, a. 11, ad quaest. 3, t. 25, p. 67a.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 29, memb. 1, a. 1c, t. 31, p. 292; tract. 13, q. 51, ad quaest. 3 et 4, p. 531; tract. 9, q. 40, ad quaest. 3, in fine, pp. 425-426.
[4] *Summa de creaturis*, I P., tract. 2, q. 3, a. 4c, t. 34, pp. 354-355.
[5] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 12, § unic., dub. unic., solutio, t. 14, p. 524a.
[6] *Ibid.*, expositio textus, p. 325b. Cf. etiam *ibid.*, cap. 1, § 1, expositio textus, p. 11b; *In Evangelium Joannis*, X, 34-36, t. 24, p. 428; *De Sacrificio Missae*, tract. 2, cap. 10, a. 1, t. 38, p. 67a.

vere Filius est, ad cuius similitudinem nos sumus filii; et non accipitur similitudo in actu generationis, sed ad natum et ad ius nati. *Ad natum*, quia ipse est nobis exemplum cui assimilamur in quantum possumus ut simus ei conformes; et hoc intendit Apostolus (Rom. 8, 17); cum enim dixerat: si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, statim subiunxit: si tamen compatimur, ut et conglorificemur; quasi diceret: si in vita similes fuerimus Filio. *Ad ius* autem sumitur similitudo in perceptione hereditatis»[1].

Et paulo post: «est filius creatione sola, et est filius creatione et adoptione, et est filius nuncupatione qui imaginem creationis actu peccati in quo est deturpavit: et ille dicitur nuncupatione filius, non quod non habeat actum et imaginem Patris, sed quia deficit ab imitatione Patris et similitudine, sicut Abraham dixit diviti (Lc. 16, 25): fili, recordare...»[2].

Atque alio in loco respondet ad quaestionem *utrum aequivoce vel univoce dicatur filius de Filio Dei, et filiis hominum, et filiis Dei per adoptionem*: «dicendum quod *per analogiam*. Et *primo* quidem convenit Filio Dei; *secundo* autem filiis hominum, qui in similitudinem formae et speciei et non in eiusdem numero naturae identitate genitores suos demonstrant; *tertio* filiis adoptionis, qui Patrem non demonstrant nisi per consensum voluntatis quem facit in eis spiritus adoptionis: facit enim participes filiationis divinae per filiationem hereditatis, sicut dicitur ad Colosenses I, 13: eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit nos in regnum Filii dilectionis suae. Haec autem translatio non fit nisi per adoptionem»[3].

Eademque ratione nomen *Patris* analogice dicitur de Deo Patre respectu Filii sui et de homine patre respectu filiorum suorum, quia «Paternitas per prius est in Deo quam in inferioribus»[4]; immo et de ipsa divina paternitate secundum quod dicitur de Patre respectu Filii naturalis et respectu filiorum adoptivorum[5].

---

[1] *III Sent.*, d. 10, a. 16c, t. 28, p. 208b. Cf. etiam *I Sent.*, d. 26, a. 15, t. 26, p. 32.
[2] *Ibid.*, a. 11c, p. 209.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 8, q. 35, memb. 1, ad id quod ulterius quaeritur, t. 31, pp. 360-361.
[4] *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 2, § 7, dub. 1c, t. 14, p. 43b; *In librum Dionysii de Mystica theologia*, quaest. prooem., solutio, ibid., p. 814b.
[5] *III Sent.*, d. 10, a. 16, argumenta, t. 28, p. 208.

Rursus, *imago Dei* dicitur hoc analogiae genere de imagine substantiali et increata eius quae Filio naturali convenit, et de imagine creata quae creaturis intellectualibus convenit: et quidem diversimode, prout agitur de imagine naturali seu creationis, vel de imagine supernaturali tum viae seu recreationis tum patriae sive similitudinis [1]. Imago enim increata est imago aequiparantiae per omnimodam coaequationem, dum imago creata est solum imago similitudinis per imitationem [2] etiamsi sit perfectissima in suo genere, ut est imago gloriae, «scilicet qua imitabimur ipsum secundum quod competit nobis ex imitationis merito, et illa similes ei erimus quantum possumus et quantum debetur nobis» [3]. Ideo quaerens S. Doctor utrum imago Dei dicatur de homine et de Filio Dei univoce, aequivoce, vel analogice, respondet: «dicendum quod *per analogiam* dictum est, nec proprie aequivoce, nec proprie univoce: tali, inquam, analogia quae nihil unum ponit in utroque, sed potius *ponit totum in uno, et in alio ponit ab illo et ad illud esse*; et sic homo est imago»; nam «per talem analogiam aliquid est in homine a Deo, quod per prius in Deo invenitur» [4].

Neque tamen imago creata dicitur talis per meram denominationem extrinsecam, sed per veram et realem participationem, ut explicat alio in loco hisce verbis: «nec univoce, nec aequivoce dicitur [imago Dei de Filio et de homine], sed secundum analogiam. Et prima quidem imago Patris Filius est natura et ratione proprietatis secundum originem». Secunda vero «est in homine sicut in eo qui imitatur per aliquid quod est in ipso», scilicet per participationem naturae intellectualis ut in imagine creationis, vel gratiae ut in imagine recreationis, vel gloriae seu beatitudinis ut in imagine similitudinis. Consequenter, «verius est imago Patris in Filio eo quod sit eiusdem naturae cum Patre quam in nobis qui diversae naturae sumus. Cum tamen *in nobis* sit *impressa* ex illa quae est una natura in tribus personis et *non tantum extrinsecus picta*, sed in ipsis naturalibus et essentialibus impressa [et in gratuitis, quia scilicet inhabitando in nobis per gratiam, facit nos imaginem Filii per recreationem], non potest esse omnino aequivoce dicta imprimens et impressa,

---

[1] *I Sent.*, d. 3, a. 19c et ad obiecta, t. 25, p. 117; *Summa de creaturis*, II P., q. 73, per totum, t. 35, pp. 604-606.
[2] *II Sent.*, d. 16, a. 1c et ad 1-4, t. 27, p. 287.
[3] *Summa theol.*, II P., tract. 5, q. 21, memb. 1 ad 2, t. 32, p. 259a.
[4] *II Sent.*, d. 16, a. 6c et ad 1, t. 27, p. 293.

nec omnino univoce, sed, sicut dictum est, per analogiam dicitur de ea quae imitatur et de ea ad quam refertur imitans» [1].

Similiter *praedestinatio* dicitur analogice sive per prius et posterius de praedestinatione Christi et de praedestinatione nostra [2], et quidem analogia exemplati ad exemplar: nam praedestinatio Christi est «causa exemplaris» praedestinationis nostrae, «quia nos ad conformitatem ipsius praedestinati sumus» [3], sicut et per imaginem gratiae et adoptionis effecti sumus conformes imagini filiationis eius naturalis et coheredes eius.

Et hac etiam de causa nomen *pietatis* dicitur analogice analogia proportionis secundum causam exemplarem de pietate erga Deum, erga parentes et cognatos, erga sanctos, erga omnes homines prout sunt ad imaginem Dei, specialiter erga pauperes vel aliqua miseria perculsos, et de aliis huiusmodi. Ut enim egregie ait S. Doctor, «*pietas secundum Augustinum* [4] *dicitur multipliciter, et non aequivoce vec univoce sed secundum prius et posterius*. Dicitur enim cultus Dei, et imaginis Dei: sed quaedam est imago Dei in sanguine coniunctis et patriae benevolis, ex eo quod per eos quodammodo sumus sicut per Deum simpliciter sumus; et ratio imaginis etiam invenitur in omnibus, et sic cultus et obsequium invenitur in dono pietatis ad omnes. Pietas autem, quae est affectus in oratione, dicit dispositionem tendentis per obsequium et cultum in Deum in liquescente affectu per amorem eius qui colitur» [5].

Et alibi fusius: «pietas dicitur multis modis, et quandoque est in genere virtutis et quandoque in genere *doni, et dicitur illis modis per prius et posterius*; *unde necesse est ponere unum modum quo dicitur per se, et alii modi erunt sumpti in comparatione ad illum*.

Potest ergo dici quod pietas proprie est benevolentia in imaginem Dei prout est imago Dei. Hoc autem accipitur multipliciter: *aut* enim inclinat affectum *ex parte exemplaris a quo exit imago illa, et sic in exemplar magis fertur pietas*, et hoc modo erit in genere virtutis *latriae*, et secundum Augustinum dicitur hoc modo *praecipue* [eo] *quod exemplar est ratio bene-*

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 8, memb. 2, ad quaest. 3 et ad 3,
[2] *III Sent.*, d. 10, a. 19c, t. 28, p. 211b.
[3] *Ibid.*, a. 20c, p. 212b.
[4] S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. X, cap. 1, ML 41, 278.
[5] *III Sent.*, d. 9, a. 8c, t. 28, pp. 178-179.

volentiae in omnibus aliis modis quibus inclinatur affectus ad imaginem; sed *etiam* inclinatur benevolentia *in imaginem descendentem ab exemplari divino.* Et hoc *tripliciter*, scilicet ita quod *inclinatur cum natura*, et tunc est benevolentia *in parentes*, et est iterum *virtus* et species iustitiae *naturalis*; *aut generaliter fertur in imaginem secundum quod est imago*, et tunc proprie *donum* est, et est benevolentia imaginis Dei in natura rationali et docet benevolenter se habere ad illam; *aut fertur in imaginem prout coniuncta est naturae inferiori a qua imago circundatur miseria*, et sic pietas efficitur circa opera misericordiae: et differt a misericordia, quia misericordia habet rationem operum super miseriam alienam; pietas autem imaginem cum coniunctione ad miseriam quae circunstat eam in natura *miserabili*» [1]: «vel, ut magis proprie dicatur, pietas respicit naturam imaginis in miseria; et misericordia, e converso, miseriam in imagine» [2].

Cuius analogiae modi facile erit exempla multiplicare, eo enim saepissime utitur S. Albertus. Liceat ergo unum vel alterum superaddere. Ita *simplicitas* dicitur de Deo, de angelis de anima, de principiis primis rerum constitutivis: de omni tamen creaturarum simplicitate dicitur per analogiam imitationis ad primam et summan simplicitatem divinae naturae, quam tamen adaequare non possunt. Etenim «est exemplum imitationis et exemplum perfectae aequalitatis; et simplicia in creaturis exempla sunt simplicitatis divinae secundum qualemcumque imitationem, sed exempla esse non possunt secundum aequalitatem perfectam» [3].

Sic etiam *aeternitas* dicitur de Deo, de angelis, de anima, de caelo, de vita beata, de paenis inferni, de longissimo tempore: de solo tamen Deo dicitur aeternitas per essentiam, de aliis vero per participationem unius vel alterius proprietatis aeternitatis divinae quam diversimode imitantur; «et hoc modo participantia aeternitatem, per prius et posterius dicuntur aeterna. Sunt

---

[1] *III Sent.*, d. 35, a. 15c, t. 28, pp. 606-661. Cf. etiam *ibid.*, a. 17, p. 663a.

[2] *Ibid.*, a. 16, ad 2 et 3, p. 662a. Videsis aliud exemplum de fortitudine *In III Ethicorum*, tract. 2, cap. 10, et. 7, p. 249b; *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 2, § 9, dub. unic., ad 4, t. 14, p. 52b.

[3] *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 20, memb. 2, ad obiecta, t. 31, p. 139b; II P., tract. 4, q. 13, memb. 3, t. 32, p. 163.

autem duae proprietates in aeternitate, quae maxime participantur a creaturis, scilicet incommutabilitas et carentia finis. Est enim aliquid *simpliciter incommutabile* in substantia, esse, virtute et operatione; *et hoc primo et per se incommutabile est Deus*; est etiam aliquid per substantiam incommutabile, tamen commutabile virtutibus et accidentibus et operatione, ut angelus et anima beata; est et incommutabile ab esse, commutabile tamen ad esse et commutabile motu et virtute et operatione, sicut corpora caelestia: et ideo participatione huius proprietatis Deus primo est aeternus, secundo angelus, tertio anima et quarto corpora caelestia; *ista enim simpliciter incommutabilia non sunt, sed incommutabilitatis quendam habent modum secundum plus et minus, et prius et posterius.*

Similiter est de *carentia finis. Quaedam enim carent fine ita quod non habeant potentiam qua finiantur in se nec in alio superiori*, ut angelus et anima et substantia circuli caelestis et etiam substantia elementorum quantum ad materiam primam quae est in eis; materia enim prima manet ut subiectum mutationis et ut relicta post mutationem: et hoc modo dicuntur *aeterna, quia nunquam finienda*, non habentia potentiam finiendi in se nec in alio superiori quod faciat ipsa finiri, eo quod quiescit operatio eius in ipsis et influxus ad esse. *Quaedam* vero ex carentia finis dicuntur aeterna *eo quod non habeant potentiam qua finiantur in seipsis, quamvis habeant rationem finiendi in alio propter quod sunt, qua finiri debeant et finiantur*: et hoc modo aeternus dicitur caelestis motus et generatio et corruptio in mundo et successio noctis et diei [iuxta illud] Pslm. 148, 6: statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi; haec enim sunt ad complendum numerum electorum qui determinatus est in praesentia Dei, et completo illo quiescent et finientur, quia tunc primus motor non influet amplius motum, et sic cessabit motus in mobili. *E convero* dicitur aliquid aeternum *eo quod habet potentiam ad finem in seipso et non in alio*, sicut simplicia dicuntur aeterna, quia superius potentius est ad tenendum ea in esse quam potentia quae in ipsis est ad finitionem eorum.

Et secundum quod ista participantur, sic plus et minus, prius et posterius, dicuntur aeterna. Unde plus sunt aeterna quae carent potentia finiendi in se et in alio quam illa quae carent potentia altero modo tantum: et plus aeterna sunt quae carent potentia finis in alio quam quae carent in seipsis quia, sicut dictum est, superius potentius est ad tenendum ea in esse quam principium intrinsecum ad finiendum vel non finiendum. Secun-

dum ergo hunc modum, per prius et posterius dicuntur aeterna, et praedicatur aeternum de ipsis non univoce, sed secundum analogiam»[1].

Aeternitas ergo Dei «consideratur ut exemplar participatum ab aliis quantum potest unumquodque..., eo quod participat ipsam per unam proprietatem eius vel duas vel plures, secundum quod maiorem vel minorem habet propinquitatem ad Deum qui verissime est aeternus»[2].

631. Postremo analogum analogia proportionis ad unum secundum *causam quasi materialem* dicitur quando unum nomen convenit pluribus secundum prius et posterius per diversam habitudinem ad unum primum et principale subiectum inhaesionis, «scilicet *per convenientiam ad subiectum*, sicut dicitur *ens analogum* per convenientiam ad substantiam quae subiectum est omnis entis»[3]: ens enim «dicitur de substantia *primo et principaliter*: et de accidente, *secundario*, quia est aliquid entis, ut quantitas dicitur ens quia est mensura entis, et qualitas dicitur ens quia est dispositio entis»[4], «eo quod ens et unum *primo* est id quod per se est ens et unum, alia autem quae sunt in illo sicut in subiecto dicuntur ens et unum quia ad id sicut ad subiectum aliquo modo entitatis referuntur, vel sicut mensura illius, vel sicut dispositio, vel sicut respectus, vel aliquo alio modo»[5]. «Palam igitur est quia propter substantiam quae primum ens est, etiam illorum singula sunt entia vocata et exsistentia: igitur substantia est primum ens, et substantia non est aliquid ens, secundum quod dicimus aliquid esse quod est *alicuius* et non absolute est; substantia enim hoc modo non est aliquid, sed est ens simpliciter et absolute»[6].

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 5, q. 23, memb. 1, a. 2, particula 1c, t. 31, pp. 173-174. Cf. etiam *I Sent.*, d. 28, a. 9c, t. 25, p. 233; *Summa de creaturis*, tract. 2, q. 3, a. 3, t. 34, pp. 354-355.
2 *I Sent.*, d. 8, a. 9c, t. 25, p. 233.
3 *Quaestiones de Bono*, q. 4, obi. 2, ed. cit., pp. 26, 24-26.
4 *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. 1, p. 11b.
5 *De Praedicamentis*, tract. 1, cap. 2, t. 1, p. 153a.
6 *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 2, t. 6, pp. 404-405.

Quam *entis analogiam* alibi uberius explicat hisce verbis: «ens multipliciter dicitur de multis, quae omnia dependent ad unum ens quod est verum ens et subiectum unicum omnium, et accipiunt nomen ab ipso; et ideo talis dicti multipliciter ratio refertur ad principium unum. Quaedam enim dicuntur entia, quia sunt substantiae [utpote principia substantiae, ut materia et forma vel potentia et actus]; quaedam vero ad substantiam dependentia, sicut passiones substantiae; quaedam autem sicut viae in substantiam, sicut generatio quae est substantiae actus potentiae permixtus, aut sicut corruptiones quae sunt via in non esse in qua esse substantiae continue abiicitur, aut sicut privationes quae sunt potentia pura actui non permixta, aut sicut qualitates primae vel secundae alterantes substantiam —alterationis enim finis est generatio vel corruptio—, aut sicut effectiva substantiae sicut sunt virtutes informantes qualitates activas et passivas sicut sunt virtutes caelestes et animae virtutes in caloribus et spiritibus seminum et animatorum, aut sicut generantia substantiam elementariter sicut materia et forma —virtutes enim faciunt substantiam effective, generantia autem constituunt eam elementariter—; aut sunt entia eo quod sint aliqua ex his quae ad substantiam dicuntur, sicut tota accidentium multitudo. Nec tantum recipiunt nomen entis quae sic secundum primos intellectus rerum, sed etiam quae respiciunt ens secundum intellectus secundos logicos: unde horum quae dicta sunt, non solum affirmationes, sed etiam negationes; horum autem entium negationes, substantiae dicimus esse et non esse significare, licet huiusmodi intentionum dispositio non sit nisi in anima, propter quod etiam dicimus non-ens *esse* non-ens.

Omnibus igitur dictis modis dicitur ens per dependentiam ad subiectum unum quod est vere ens; cui alia, vel inferunt passiones, vel sunt transmutationes eius, vel transmutantia ens verum, vel ad ipsum dicta sunt dispositiones, vel mensurae, vel respectus, vel habitus, vel actiones vere entis, vel intentiones secundae acceptae circa ipsum esse vere entis, vel alicuius quod dicitur ad ipsum ut accidens ad subiectum... omnia igitur diversis modis dicuntur ad unum»[1].

Quae quidem dicuntur «partes entis secundum quod per analogiam respiciunt substantiam» veluti eorum subiectum[2]: non

---

1 *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 207.
2 *I Sent.*, d. 1, a. 3, obi. 3 et corp., t. 25, p. 17b.

quidem ut partes subiectivae eius, sed ut partes quasi potentiales. «Ens enim per se et ens per accidens distinguuntur, similiter ens actu et ens potentia, et tamen sub nulla communitate generis distinguuntur. Genus enim substantialiter praedicatur de sibi subiectis; ens autem substantialiter non praedicatur de ente per accidens et de ente in potentia; quia ens in potentia, secundum id quod est, non est nec habet esse nisi secundum quod dependet ad actum: similiter ens per accidens, secundum id quod est, non est, esse autem habet secundum quod aliqualiter se habet ad substantiam, scilicet ut mensura eius vel dispositio vel respectus. *Et sic distincta sub communi secundum analogiam non necesse est differentiis distingui constitutivis, sed modis quibus plura habent analogiam ad unum*, et sic distincta non necesse est unum principium potentiale per modum generis vel materiae habere ante se» [1], sed solum per modum subiecti: «sic enim unum genus [large et improprie dictum] vocamus quod est unum et primum subiectum ad quod alia omnia quocumque modo referuntur» [2].

Tam autem substantia quam accidens ei inhaerens sunt modi entis finiti et participati et creati: necesse est ergo ut uterque modus dicatur ens per habitudinem dependentiae ad ens per essentiam, quod Deus est, sicut ad causam primam exemplarem, quam suo modo imitantur. Quando ergo ens commune ad novem genera accidentium dicitur analogum, intelligitur analogia proportionis ad unum subiectum inhaesionis veluti ad unam causam *quasi materialem in qua*; quando vero ens commune ad decem praedicamenta dicitur analogum, intelligitur analogia proportionis tam substantiae quam accidentis, non quidem ad unum primum subiectum inhaesionis, sed ad unam primam *causam exemplarem*, quae solus Deus est, cuique vere et proprie convenit esse absque ulla permixtione potentialitatis, dum substantiae et accidenti convenit esse cum admixtione potentialitatis ideoque deficienter.

Ens namque commune primo analogiae modo consideratur ut essentia potius quam ut esse, dum in secundo modo analogiae consideratur formaliter ut esse et nonnisi materialiter ut essentia. Porro sicut ens accidentale ut essentia non convenit acci-

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 20, memb. 2, quaest. incidens, ad 5, t. 31, pp. 141-142.
[2] *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 208a. Cf. etiam *I Sent.*, d. 8, a. 31c, t. 25, p. 264a.

denti nisi per analogiam ad ens substantiale sicut ad eius subiectum, ita ens participatum ut esse non convenit ei nisi per analogiam ad ens per essentiam sicut ad primam causam exemplarem et efficientem.

Et ideo S. Doctor profundissime scribit: «*vere et proprie esse* dicitur, ita quod *proprie* referatur ad ens sive ad id *quod est* [idest ad essentiam], et referatur *vere* ad *esse*. Et tunc *vere esse est quod simpliciter esse est, et quod nihil unquam habuit vel habet vel habebit de non-esse admixtum*: sicut verum aurum dicitur quod nihil alienae naturae habet admixtum. *Proprie autem est, in quo est idem quod est et esse*: in quo enim *diversum est* quod est et esse, *per aliud est* [*potius*] *quam ipsum sit. Et hoc modo proprie et vere soli Deo convenit esse*» [1]. E contra, ens participatum commune substantiae et accidenti non est hoc in sensu vere et proprie, idest simpliciter, esse, sed secundum quid tantum; sicut neque accidens ut essentia est ens sola substantia, quia haec sola est *quae* est, dum accidens nonnisi *alicuius* est. Propter quod iterum S. Albertus: «esse quod omnibus commune est [idest substantiae et accidentia], est esse commiscibile et participabile, secundum communitatem analogiae dictum de omnibus [praedicamentis]; et *hoc non est esse simpliciter, sed secundum quid. Non enim est esse vere, sed cum non-esse permixtum*: verum enim in naturis opponitur permixto, sicut in sermonibus opponitur falso et in operibus opponitur vano et in apparentibus ad sensum vel intellectum opponitur phantastico» [2].

Unde et per comparationem ad Deum, cui soli convenit esse per se et secundum quod ipsum, esse convenit creaturis omnibus accidentaliter et per aliud, idest per Deum sicut per causam, licet non omnis creatura sit accidens. Etenim «multa sunt per accidens quae non sunt accidentia secundum sui naturam, sicut animali accidit quod sit homo, nec tamen est accidens vel animal vel homo; et albo accidit quod sit homo vel lignum, nec tamen est accidens homo vel lignum: hoc enim modo accidit quod secundum ipsum [=per se primo] non convenit. Et hoc modo *esse* accidit his quae sunt et creata sunt; quia secundum id quod sunt non convenit eis, sed secundum quod dependent ad alterum: secundum enim id quod sunt nihil sunt et ex

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 19, memb. 1c, t. 31, p. 126a.
[2] *Ibid.*, ad arg. sed contra, p. 126b.

nihilo sunt, quae ipsius esse non possunt esse principia. Et ex hoc sequitur quod, si de Deo quaeratur an est, quaestio per causam terminari non potest, quia nihil habet ante se; si autem de creato quaeratur an est, questio terminabilis est, quia habet ante se id quod est causa esse»[1].

Haec est ergo differentia inter praedicationem entis creati ut essentia et entis creati ut esse, etiam relate ad substantiam creatam: «nam cum dicitur, homo est animal, praedicatio est per se et in quid; similiter cum dicitur, animal est substantia: cum autem dicitur, substantia est ens [=exsistens, esse], praedicatio non est per se nec in quid, ut dicunt Avicenna et Algazel; esse enim non praedicatur de substantia ut genus vel differentia, nec ut potentia eius, nec ut actus, sed praedicatur ut creatum primum ab alio participatum. Et ex hoc sequitur de necessitate quod esse accidit omni ei quod est et quod creatum est, et quod nec genus, nec differentia, nec potentia, nec actus, est de quo praedicatur; et si sic est, non est subsistens veritas eius; nec manens causa in ipso *quod est*, radicata; nec naturalis generis proprietas: sed in solo Deo hoc sequitur. Et quando fit resolutio usque ad ens [=esse], non stat resolutio in ente ut [essentia, idest ut] in genere vel differentia vel specie, vel sicut in prima potentia et in primo actu, sed stat in ipso sicut in primo creato per aliud participato in omnibus quae creata sunt»[2].

Quae cum ita sint, *analogia entis* de Deo et creaturis est hoc modo intelligenda, «quod ens et huiusmodi per se substantialiter sunt in Deo, et in creaturis per aliud et participative, et non ita quod Deus diversimode se habeat ad creata vel ad aliquid unum ad quod se habeat creator et creatura per prius et posterius..., sed quia inferiora diversimode se habent ad Creatorem. Licet enim primum uno modo se habeat ad omnia, secundum Dionysium et Philosophum, non tamen [haec] uno modo se habent ad ipsum»[3]. In omni enim modo analogiae proportionis ad unum primum, nihil est prius illo primo; et propter hoc etiam in analogia entis accidentalis ad substantiam sicut ad primum subiectum inhaesionis, nihil est prius ipsa substantia ut subiectum, licet alio modo analogiae sit aliquid prius ut causa et exemplar. Unde rursus S. Albertus: «cum dividitur ens in substan-

[1] *Ibid.*, memb. 3, ad 1, p. 130a. Cf. etiam *In Evangelium Joannis* I, 9, t. 24, p. 43a.
[2] *Ibid.*, ad 2, p. 130b.
[3] *I Sent.*, d. 8, a. 7, ad 3, t. 25, p. 229.

tiam et accidens, ens simpliciter non est ante substantiam, quia simpliciter ens non est nisi substantia; nec ea in quae dividitur ens per differentias coaequaeva exeunt de ente cum dividitur in substantiam et accidens: substantia quidem est ens, accidens autem erit modus quidam entis per posterius, et ideo genus esse non potest», quod sit prius differentiis et partibus eius subiectivis[1]. Et iterum: «sicut [Deus] non est in genere substantiae per hoc quod substantia est, ita non est in genere accidentis per hoc quod ad aliquid est. Est enim per hoc quod substantia est, ante omnem substantiam; et per hoc quod relativum est, ante omne accidens. *Nec prima divisio entis est in substantiam et accidens, sed secunda: sed prima divisio est in ens ab alio et ens non ab alio, et postea entis ab alio divisio est in substantiam et accidens*. Substantia enim quae dividit ens cum accidente, est *substantia-subiectum*; ens autem non ab alio nullius potest esse subiectum: est enim per intellectum ante substantiale et ante accidentale», ut eorum prima causa[2].

Merito ergo S. Doctor tanti momenti existimavit hanc doctrinam de *analogia entis* ad substantiam et accidens et ad creatorem et creaturam, ut contrariam sententiam de univocitate entis appellet *errorem pessimum*, subiungens: «est autem *error periculosus non solum contra veritatem philosophiae, sed etiam contra veritatem fidei*»[3]; «sequeretur enim quod *omnia essentialiter essent Deus*»[4], idest sequeretur purus putusque monismus et pantheismus.

632. *Ex parte vero secundariorum analogatorum ad illud primum* secundum omnes et singulos modos praedictos, *subdividitur* analogia proportionis in duos modos, scilicet in analogiam proportionis *unius tantum ad unum* et in analogiam proportionis *duorum vel plurium ad unum*, prout analogatum secundarium est unum tantum vel plura. Quando enim est analogia unius ad unum, nihil est prius utroque in suo genere per ordinem ad quod

[1] *I Elenchorum*, tract. 5, cap. 6, t. 2, p. 636a.
[2] *Summa theol.*, I P., tract. 9, q. 37, ad 3, t. 31, pp. 387-388. Cf. *ibid.*, § ad id quod ulterius quaeritur, p. 389.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 3, part. 1c, t. 31, p. 246b.
[4] *Ibid.*, arg. 4 sed contra, p. 246a.

analogentur: quando vero est analogia duorum vel plurium ad unum, est aliquid prius illis duobus vel pluribus, nempe illud unum quod est quasi tertium ad quod analogantur.

Ita, si dicam: quantitas est ens, substantia est ens, habetur analogia unius ad unum subiectum, nempe quantitas ab substantiam; si vero dicam: quantitas est ens, qualitas est ens, relatio est ens, substantia est ens, habetur analogia plurium, scilicet quantitatis, qualitatis et relationis, ad unum, nempe ad substantiam.

Similiter, si dicam: medicina sana, animal sanum, est analogia unius medii ad unum finem, idest medicinae ad animal; sin autem dicam: medicina sana, cibus sanus, ambulatio sana, aer sanus, habitaculum sanum, animal sanum, est analogia plurium mediorum ad unum finem, nempe cibi, medicinae, habitaculi, ambulationis et aeris ad animal sanandum.

Et idem videre est in aliis analogiae modis secundum causam efficientem et exemplarem.

S. Albertus vocat primum modum proportionem similiter ad invicem se habentium; secundum vero, proportionem duorum vel plurium similiter se habentium ad unum tertium [1], sive etiam similitudinem habitudinum duorum vel plurium ad unum [2]. Ut enim ad rem scribit, «duplex est similitudo, scilicet duorum in tertio [vel ad tertium], et sic oportet quod una qualitas in qua fundatur similitudo sit in utroque [illorum duorum secundum prius et posterius]; quandoque autem similitudo est inter aliqua ita quod unum dicit rationem similitudinis alterius ad alterum, sicut imago quae dicit rationem similitudinis *huius* statuae ad Herculem, et tunc non oportet quod idem sit in utroque similium [per participationem ab uno tertio], sed quod unum sit exemplar et aliud

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 1, ad arg. 3 sed contra, t. 31, p. 83b.
[2] *II Topic.*, tract. 2, cap. 6, t. 2, p. 324a.

imitetur ipsum: et sic est similis character, quia dicit assimilationis rationem animae ad Deum» [1].

Et alio in loco, hac distinctione utens, ait: «creatori et creaturae nihil est commune univoce, nec etiam per analogiam talem quod idem participetur per prius et posterius a creatore et creatura, [idest duorum ad tertium], quia creator nihil habet per participationem, sed per essentiam et substantiam [et insuper nihil est prius creatore]; sed est ibi communitas proportionis [unius] ad unum, quod substantialiter primo convenit Creatori, ab illo autem et posterius sub illo et ad illud convenit creaturae, sicut vita, sapientia et bonum conveniunt Creatori et creaturae» [2]. Quo in sensu non valet argumentum quod «in omni divisione divisum *simplicius* [et prius] est dividentibus, et est per participationem in unoquoque illorum:: hoc enim solum verificatur in divisione univocorum, et aliquo modo in divisione plurium analogatorum secundariorum sub uno tertio, minime vero in divisione analogorum unius tantum ad unum [3]; «tali, inquam, analogia quae nihil unum [tertium vel superius] ponit in utroque, sed potius ponit totum in uno, et in alio ponit ab illo vel ad illud esse, et sic homo est imago» Dei [4]; nam «per talem analogiam aliquid est in homine a Deo, quod per prius in Deo invenitur» sicut in exemplari primo [5].

633. Tandem *ex parte communicationis sive participationis ipsius formae seu intentionis analogicae secundariorum analogatorum ab illo primo* secundum praedictos quatuor modos, *subdividitur* analogia proportionis in intrinsecam sive realem et in extrinsecam sive pure intentionalem vel denominativam.

Analogia proportionis *intrinseca* sive realis vel secundum esse dicitur quando ipsa forma primi analogantis participatur vere et realiter a secundis analogatis, non quidem secundum eundem modum et perfectionem qua

---

[1] *IV Sent*, d. 6, a. 1, ad arg. contra primam definitionem, t. 29, p. 127a.
[2] *I Sent.*, d. 1, a. 8c, t. 25, p. 25a. Cf. etiam d. 8, a. 7, ad 3, p. 229a.
[3] *Ibid.*, obi. 1 et resp., pp. 24-25.
[4] *II Sent.*, d. 16, a. 6c, t. 27, p. 293b.
[5] *Ibid.*, ad 2, p. 293b.

convenit primo, quia tunc esset participatio univoca, sed per posterius et deficienter: ex adverso, analogia proportionis dicitur *extrinseca* sive mere denominativa aut secundum intentionem vel purum respectum, quando ipsa forma primi analogantis non participatur vere et realiter a secundis analogatis, sed haec solum dicunt merum respectum sive relationem vel habitudinem ad illud.

S. Albertus definit et explicat modum analogiae proportionis *extrinsecae* dicens quod est ille «*in quo commune praedicatum in uno est primo, et in aliis per quendam respectum ad illud*: sicut sanum primo et simpliciter [et formaliter] est in animali; in cibo autem, medicina et urina non est nisi [pure denominative, idest] *per respectum ad illud*: respectum dico significantis, facientis vel conservantis» [1].

Quod enim ita sint intelligenda huiusmodi verba, *nonnisi per respectum ad illud*, idest quod sanitas animalis non participatur formaliter a cibo, medicina et urina, sed mere denominative, evidenter apparet ex hoc alio loco ubi eandem analogiam fusius exponit: «sanum dicitur secundum analogiam de animali, et urina, et cibo, et medicina; supponitur ergo sanum proprie et primo et per se dici de animali, in aliis autem omnibus secundum proportionem ad illud. Unde sanum quod est in animali *idem est quodammodo* quod sanum quod est in urina et cibo et in aliis; sed est in *animali ut forma aequalitatis humorum*; *in urina* autem *ut indicativa, non quidem esse in urina sed esse in animali cuius est urina. Ecce idem numero est sanum quod est in animali et urina, et sic est de aliis; sed hoc est verum, quod proportio ista analogice diversificatur ex parte proportionatorum ad illud*, quia ratio *indicantis* in urina, et ratio *conservantis* in cibo, et ratio *facientis* in medicina, *non sunt ratio una, sed comparantur ad unum numero*: *et*

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1c, t. 31, p. 233a.

ideo in illo uniuntur, et denominantur ab illo» [1]. Nempe forma aequalitatis humorum non est realiter et intrinsece nisi in animali, dum in aliis non est nisi respectus causantis vel conservantis vel significantis talem *humorum aequalitatem*, quae est formaliter ipsa sanitas.

634. E contra veritas et bonitas et necessitas, quae analogice analogia proportionis dicuntur de veritate et bonitate et necessitate per essentiam et per participationem, non solum sunt formaliter et realiter in veritate et bonitate et necessitate increata, sed etiam *intrinsece* et formaliter participantur, licet per posterius et diminute, a veritate et bonitate et necessitate creata, quamvis dependenter ab increata sicut a causa exemplari prima, a qua et ad quam analogantur ut exemplata et participata; et ideo non solum vera et bona et necessaria sunt ex habitudine ad primum eorum exemplar, sed etiam a propria uniuscuiusque veritate et bonitate et necessitate.

Quam ob rem S. Albertus optime scribit: «*non dicuntur res verae in illa habitudine solum* [ad veritatem increatam ut ad earum exemplar], sed potius quia habent verum aliquod [propriae naturae vel speciei] quod, quantum possunt, imitantur; et si hoc verum non esset, non haberent rationem proportionis.

Hoc modo non est in urina, quia in urina non habetur sanum quod illi sanitati proportionetur quae est in animali, sed habet indicans aliquid illius [tantum], ut digestionem humorum et huiusmodi.

Et hoc ideo est, quia non uno modo dicitur fieri analogia ad unum, sed multis modis. Dicitur enim *necessarium per se, et necessarium per posterius: et tamen, licet necessarium per posterius respiciat proportionaliter necessarium dictum per prius, est aliquo modo neces-*

[1] *I Sent.*, d. 46, a. 12c, t. 26, p. 445b.

sarium aliquod formaliter in ipso, quo proportionatur necessario dicto per se» [1].

Et hac ratione «veritates creatae multiplicantur secundum numerum verorum, et *unumquodque habet suam veritatem*, et hoc modo verum causatur a re»; licet ulterius huiusmodi veritates respiciant primam veritatem increatam veluti earum causam exemplarem «ad quam proportionantur» [2].

Pariter bona creata «dicuntur bona *forma boni creati*, quae tamen ulterius proportionatur bono increato» ut exemplari primo [3].

Eodem modo *potentia activa* convenit intrinsece et formaliter causae creatae, licet dicatur per analogiam proportionis ad potentiam activam primae causae, quae Deus est; nam «intentio potentiae [activae] per prius et posterius dicitur de potentia perfecta et de potentia imperfecta»: soli autem Creatori convenit potentia perfecta, quae dicitur potentiae plenitudo; creaturae vero convenit potentia imperfecta et participata, quia «potentia per participationem dicitur *possessio* potentiae secundum *partem* plenitudinis, et non secundum totum» [4].

Uno verbo: analogata secundaria per analogiam intrinsecam et realem dicuntur analoga *participative*, sicut homo iustus dicitur Deus per intrinsecam participationem gratiae, quae est de natura Dei veri et vivi; e contra, analogata secundaria per analogiam mere extrinsecam dicuntur analoga solum *nuncupative*, sicut imago lapidea Dei, puta idolum, vel sicut pictura hominis dicitur homo [5]: idem enim est dictu nuncupative et per meram denominationem extrinsecam, «sicut statuae fictae ab homine *dii* dicuntur, *cum nihil [realiter et forma-*

[1] *I Sent.*, d. 46, a. 17, ad replicam contra 1 arg., t. 26, p. 458a.
[2] *Ibid.*, corp. et ad 1, p. 458a.
[3] *Ibid.*, ad 3, p. 458b.
[4] *Summa theol.*, I P., tract. 19, q. 76c et ad 2, t. 31, p. 795.
[5] *I Sent.*, d. 2, a. 11, ad quaest. 3, t. 25, p. 67a; *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 29, memb. 1, a. 1c, t. 31, p. 292.

liter] habeant divinitatis, nec per essentiam, nec per participationem» [1].

635. Hactenus de subdivisionibus analogiae proportionis. Superest iam ut videamus *subdivisiones analogiae proportionalitatis.*

Hanc ergo analogiam subdividit S. Albertus in analogiam proportionalitatis propriae et in analogiam proportionalitatis metaphoricae. Dicitur *propria* quando similitudo rationum vel proportionum est in ipsa natura vel saltem in qualitate naturali, scilicet in proprio naturae, utriusque membri proportionalis; seu quando similitudo proportionum est essentialis vel coessentialis ex parte utriusque membri. Ut enim dicit S. Doctor, idem nominant *vere et proprie*: *vere* quidem prout dicit rem sive realitatem et contradistinguitur ab apparenti vel ficto; *proprie* autem prout opponitur alieno vel extraneo; et sic vere et proprie nominat ipsam essentiam realem puram, non admixtam aliquo extraneo, sicut vere et proprie aurum est quod realiter aurum est et nonnisi aurum est: «dicimus verum aurum, purum, alienae naturae non permixtum» [2].

Consequenter, analogia proportionalitatis propriae dicitur «propria *proprietate rei*» ex utraque parte [3]: quae quidem proprietas, vel est *ipsa propria essentia et natura rei*, vel *proprium accidens eius*, quod omni, soli et semper convenit rei, ac conversim praedicatur de re. Et ideo ratio vel forma significata per nomen analogum hoc modo anaolgiae debet esse *vere*, idest realiter et intrinsece in omnibus suis analogatis; et quidem *proprie*, hoc est, proprietate essentiae vel proprietate attributi sive accidentis proprii. Ambo ergo membra huius analogiae

[1] *Summa theol.*, loc. cit.
[2] *In Evangelium Joannis*, cap. 1, 9, t. 24, p. 43a; *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 19, memb. 1c, t. 31, p. 126a; *V Metaph.*, tract. 2, cap. 15, t. 6, p. 319b; *IX Metaph.*, tract. 1, cap. 1-2, pp. 320-321.
[3] *I Sent.*, d. 22, a. 1c, t. 25, p. 576a

debent proportionaliter participare eandem formam vel qualitatem in qua analogantur vel assimilantur [1], eaque dicuntur et sunt proportionaliter similia «secundum *rem*» [2], scilicet similitudine *naturae* [3] vel similitudine *essentiali* [4]. Verbi gratia, sicut se habet sensus ad sensibile ita se habet intellectus ad intelligibile; sicut oculus est in corpore ita intellectus est in anima [5]; sicut se habet oculus ad visibile et ad actum videndi ita se habet auditus ad audibile et ad actum audiendi [6]; sicut se habet [vis] affectiva [puta voluntas] ad bonum ita se habet intellectiva ad verum» [7]; sicut se habet intellectus ad verum amplectendum affirmatione et ad falsum respuendum negatione, ita se habet voluntas ad bonum prosequendum amore et ad malum reiiciendum odio et aversione, quia «idem quod est in mente dominativa affirmare et negare, hoc in appetitu subiecto est prosequi et fugere» [8].

Aliud exemplum classicum analogiae proportionalitatis propriae inter artem et naturam: «*sicut* enim intellectus practicus in mechanicis est propter finem determinatum, propter quem movet materiam ut inducat formam artis, quod est bonum illius, eo quod omnis ars alicuius boni est operatrix, sicut faber facit quod facit propter cultellum, et operatum opus illud est finis eius; *eodem modo etiam* natura operatur propter finem determinatum quem intendit» [9], in quantum exequitur id ad

---

[1] *I Sent*, d. 34, a. 6 ad 6, t. 26, p. 173b; *IV Sent.*, d. 1, a. 5, qla. 1, obi. 3 et resp. t. 29, p. 15a, 17b; *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 2, § 5, t. 14, p. 93b; *In Epist. IX*, § 1, dub. unic., ad 4, p. 989b.

[2] *In Sent.*, d. 34, a. 6 ad 6, t. 26, p. 173b.

[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta contra quaest., t. 31, 233b; *In Evangelium Joannis*, cap. VI, t. 24, p. 283b.

[4] *IV Topic.*, tract. 1, cap. 5, t. II, p. 367b.

[5] *I Topicorum*, tract. 1, cap. 8, t. II, p. 287a; *I Ethicorum*, tract. 5, cap. 18, t. 7, p. 82a.

[6] *II Topicorum*, tract. 2, cap. 6, p. 324a.

[7] *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 13, memb. 1, arg. 7 sed contra, t. 31, p. 55a.

[8] *VI Ethicorum*, tract. 1, cap. 5, t. 7, p. 402a.

[9] *II de Anima*, tract. 2, cap. 2, t. 5, p. 217a.

quod movetur a prima causa et primo motore eius, qui Deus est et movet per intellectum: et hac de causa opus naturae est opus Intelligentiae [1], quatenus «sicut intelligentia in opere suo sibi praefigit finem ita natura ad praestitutum sibi finem secundum rationem omnia opera sua dirigit» [2].

Item, sicut se habent principia intrinseca operati per artem ita se habent principia intrinseca operati per naturam. «Materia autem subiecta in motu, quae est principium rei factae, non est scibilis per se, sed potius per analogiam, hoc est, proportionem, *et praecipue si per similitudinem accipiantur naturalia ad artificilia*: quia sicut artificialibus aes habet se ad statuam, et lignum ad lectum vel arcam, in eo quod sustinet formam artificialem, aut aliorum aliquid quod habet formam artificiale ad informe secundum artis formam se habet antequem formam artis accipiat; sic ipsa prima materia se habet ad substantiam genitam sive ad hoc aliquid et ad id quod perfectum est in natura, quia ipsa est informe quod sustinet formam substantialem, et per consequens alias formas essentiales» [3].

Quae analogia resolvitur uno verbo in hanc proportionalitatem: sicut se habet subiectum (=materia secunda) ad formam

---

[1] *I Physicorum*, tract. 3, cap. 17, t. III, p. 88b; *II Physicorum*, tract. 1, cap. 2, p. 95b; cap. 3, p. 97a; *De natura et origine animae*, tract. 1, cap. 1, t. 9, pp. 376-377.

[2] *Quaestiones de Bono*, q. 1, n. III, ed. cit., p. 12, 6-7. Hoc effatum, *opus naturae est opus Intelligentiae*, quod S. Albertus hoc in loco et in *I Physicorum*, tract. 3, cap. 17, t. III, p. 88b, tribuit Aristoteli, videtur potius formulatum ab eius commentatoribus. AVERROES attribuit illud Themistio (*XII Metaph.*, n. 18, ed. cit., fol. 287v-288r), et ex Averroe S. THOMAS (*I Sent.*, d. 43, 2, 1c). Utut sit, haec formula totidem fere verbis invenitur apud SIMPLICIUM: χἂν λέγῃ [Ἀριστοτέλης] οὖν ὅτι «ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν», οὕτως λέγει ὡς τῆς μὲν τὴν ἐπιτηδειότητα κάτωθεν παρεχομένης εἰς τέλος τὸ ἀγαθὸν βλέπουσαν, τοῦ δὲ τὸ ἐνεργεία τοιοῦτον ἄνωθεν ἐπιλάμποντος (*In II Physicorum*, cap. 2, ed. H. Diels, Commentaria in Aristotelem graeca, vol. IX, p. 288, 27-30. Berolini 1882. Quibus similia tradit *In I de Caelo*, cap. 4, ed. I. L. Heiberg, Comment. in Aristotelem graeca, vol. VII, pp. 151-154. Berolini 1894).

S. Thomas saepissime recolit hoc axioma, ut alibi ostendimus (*De hominis beatitudine*, t. I, pp. 240-241). Locis ibidem citatis addi possunt: *III Sent.*, d. 26, 2, 4, ed. Moos, nn. 134-135; *De Verit.*, 3, 1c; 13, 1 obi. 9; *De occultis operationibus naturae*, opuscula, ed. Mandonnet, t. I, pp. 4-5; II-II, 18, 4c.

[3] *I Physicorum*, tract. 3, cap. 9, t. III, p. 65a; cap. 17, p. 90a. Cf. etiam *Summa de Creaturis*, I P., tract. 1, q. 2, a. 2, arg. 3, contra tertiam definitionem, t. 34, p. 322b; et ad 1 contra tertiam definitionem, p. 325b.

artificialem (=formam secundam seu accidentalem), ita se habet materia prima ad formam naturalem (=formam primam vel substantialem)[1].

Rursus, quia materia tam prima quam secunda se habet ad suam formam sicut potentia ad actum, omne autem ens creatum compositum est ex essentia et esse sive ex *quod est* et *quo est* sicut ex potentia et actu, dicendum est ita se habere essentiam ad esse in compositione metaphysica entis creati, etiam immaterialis, sicut se habet materia prima ad formam substantialem in compositione physica entis creati corporalis. Quando ergo dicitur quod materia est primum fundamentum compositionis entis creati, intelligenda est materia analogice prout nominat potentiam passivam seu receptivam: «non sequitur quod illud fundamentum sit unum vel unius rationis in omnibus [creatis]; quia in quibusdam [=corporalibus] est materia, et in quibusdam [=incorporalibus] id *quod est* [=essentia]: licet in hoc similia sunt, quod in utroque fundatur esse creati et compositi» secundum proprium modum uniuscuiusque[2].

Nimirum, ut alibi profundius explicat, «dicitur *quod est* id quod est *primum susceptivum* in unoquoque quod est...; *quo est* autem nihil in se recipit praeter seipsum, seipso enim est et esse habet, nec ad esse determinatur aliquo alio a se», secundum quod reduplicative est *quo est*. Et quidem «*quod est* ex hoc *similitudinem habet cum materia*, quia *recipit aliud quod est praeter ipsum et differens ab ipso*...; *quo est* autem *similitudinem habet cum forma* [quia non recipit aliud a se, sicut neque forma recipit aliam formam a se]: quamvis nec *quod est* sit materia generaliter [sed susceptivum et quasi materiale, quia materiale medium est inter materiam et non materiam; materiale enim non est materia, habet tamen proprietates materiae» hoc in sensu, quod *susceptivum* alterius est], nec *quo est* forma generaliter [sed formale, utpote receptibile in alio quod informat vel actuat]; quia susceptio qua *quod est* suscipit non est susceptio materiae, sed est susceptio primi subiecti»; et similiter formatio et actuatio qua *quo est* actuat et complet id *quod est*, non est actuatio et formatio formae substantialis in linea

---

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 4, memb. 1, a. 1, particula 2, arg. 1 sed contra, t. 32, p. 62a.
[2] *Ibid.*, ad 3, p. 65b.

essentiae, sed actuatio formalissimi omnium in linea entis, quod est esse exsistentiae.

Et inde patet «quod haec compositio ex *quod est* et *quo est*, generalior est quam illa quae est ex materia et forma; quia illa in omni creato est, ista autem non»: est etiam *prior et dignior*, «eo quod minus elongatur a primo simplici quam aliqua aliarum compositionum», et respondet primae compositioni qua omne creatum compositum est, scilicet ex potentia et actu in linea entis[1].

Tandem sicut substantia corporea componitur compositione physica ex materia prima et forma substantiali, ita etiam compositione logica componitur ex genere et differentia: quia genus, utpote potentiale et indeterminatum, proportionatur materiae; differentia autem, utpote actuans et determinans, proportionatur formae; species vero, utpote composita ex genere et differentia, proportionatur toti naturae vel essentiae compositae ex materia et forma[2].

Neque obstat quod S. Albertus hanc proportionalitatem appellet aliquando *parabolicam*: «*parabola* dicitur esse rerum diversarum sub aliquo proportionaliter simili facta collatio, in qua pluribus conferuntur quae ad invicem habent proportionis aliquam similitudinem, sicut si dicam: sicut se habet ad statuam vel idolum aes et figura, sic ad speciem genus et differentia»[3]. Sumit enim parabolam sensu quodam largiori pro quacumque similitudine proportionali, sicut et de symbolo, quod proprie dicitur «similitudo corporalis spiritualia repraesentans», idest similitudo metaphorica, asserit largius quandoque sumi: «licet *quaelibet* similitudo symbolum possit dici»[4]. Ac revera, sicut in ordine physico tota essentia substantiae vere et intrinsece componitur ex materia et forma quasi ex potentia et actu, ita in ordine logico totus conceptus speciei vere et intrinsece componitur ex conceptu generis et ex conceptu differentiae quasi

---

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 2, ad quaest. 2c et ad 3, t. 32, pp. 36-38.
[2] *De Praedicabilibus*, tract. 5, cap. 5, t. I, p. 99; *V Metaph.*, tract. 6, cap. 10, t. 6, p. 369; *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 5, p. 410a; *In librum Dionysii de Caelesti hierarchia*, cap. 2, § 8, dub. 1c, t. 14, p. 49a; cap. 14, § unic., dub. 2, pp. 384, 485; *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 4, memb. 2, a. 4, arg. 5 sed contra, t. 32, p. 89b.
[3] *VIII Topic.*, tract. 1, cap. 1, t. II, p. 497a.
[4] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, § 1, expositio textus, t. 14, p. 12a.

ex potentiali et actuali sive ex determinabili et determinativo: quemadmodum enim in ordine physico forma est in potentia materiae a qua educitur realiter per generationem substantialem, ita in ordine logico differentia est in genere quasi in potentia a qua educitur per actum intellectus procedentis de potentia ad actum in inveniendo et efformando conceptu speciei; nimirum, «per additionem intentionis tantum» quasi per eductionem logicam vel intentionalem [1].

636. *Metaphorica* vero dicitur quando similitudo proportionum non est secundum ipsam naturam vel proprium naturae utriusque membri proportionalitatis, immo neque secundum propriam naturam vel essentiam unius membri tantum, sed solum secundum proprium unius et secundum appropriatum alterius: ita tamen ut proprium, et consequenter appropriatum per similitudinem ad proprium, non sumantur entitative seu per comparationem ad subiectum vel essentiam, sed operative seu per comparationem ad eorum actus vel effectus proportionaliter similes.

Haec enim tria exiguntur a S. Alberto pro analogia proportionalitatis metaphoricae: *primo*, quod similitudo proportionum non sit essentialis [2], idest secundum propriam naturam vel rationem rerum [3], sed secundum convenientiam accidentium seu proprietatum tantum [4], ideoque *accidentalis*: «translatio autem adductio est nominis

---

[1] *Op. cit.*, cap. 14, § unic. , dub. 2, ad 4, t. p. 385b. Hoc in loco S. Doctor explicat egregrie quomodo genus et species conveniant angelis.

[2] *IV Topicorum*, tract. 1, cap. 5, t. II, p. 367b; *In librum Dionysii de Mystica theologia*, cap. 3, § 1, expositio textus, t. 14, p. 849b.

[3] *I Sent.*, d. 4, a. 4c, t. 25, p. 161b; *In Evangelium Joannis*, VI, 64, t. 24, p. 283b; *IX Metaph.*, tract. 1, cap. 2, t. 6, pp. 520-521; *V Ethic.*, tract. 4, cap. 4, t. 7, p. 390b: «metaphoricum est, et non propriam habet rationem».

[4] «Similitudo quae requiritur in translatione est similitudo, *non secundum rem sed secundum convenientiam proprietatum rei*» (*I Sent.*, d. 34, a. 6 ad 6, t. 26, p. 173b); «per similitudines *proprietatum* translatio fit, et *non secundum rem*» (*Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1, obi. 2, t. 31, p. 587b).

ad *accidentalem similtudinem*» [1]; unde et huiusmodi analoga dicuntur aequivoca secundum similitudinem ipsius naturae vel essentiae [2]; -*secundo*, quod talis similitudo proprietatum sit *secundum comparationem ad actus vel effectus ex utraque parte* [3]; -*tertio*, quod haec proportio ad suos actus vel effectus conveniat membris proportionaliter similibus secundum prius et posterius; idest per prius membro principali et proprie sumpto, secundum proportionem verae proprietatis eius ad suos proprios et connaturales effectus; per posterius autem membro secundario et mere similitudinarie accepto, secundum proportionem proprietatis mere similitudinariae vel appropriatae eius ad suos effectus appropriatos, quae quidem proportio similis est proportioni prioris membri, licet deficienter et imperfecte et ex parte tantum. Et hoc ideo, «quia prius est proprium quam appropriatum; appropriatio enim non potest fieri nisi per proportionem ad propria» [4]. Nomen ergo analogum hoc analogiae genere significat proportionem primi membri principaliter et proprie, «aliud autem [scilicet proportionem secundi membri], per similitudinem translationis secundario et improprie» [5], idest per similtudinem translatam et imperfectam, siquidem «per dissimiles similtudines fit translatio, hoc est, per dissimilium similitudines». Hoc namque analogiae genere «res comparatae dissimiles sunt, et proprietates eorum [prout subiectum respiciunt cuius proprietates sunt], dissimiles. Est tamen similitudo pro-

---

[1] *IV Topic.*, tract. 1, cap. 5, t. II, p. 367b.

[2] *II de Anima*, tract. 3, cap. 22, t. 5, p. 271a.

[3] *IV Sent.*, d. 1, a. 6 ad 3 contra definitionem secundam, t. 29, p. 17b; d. 14, a. 24c, p. 445b; *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta contra secundam partem, t. 31, p. 233b; a. 3, particula 2, ad obiecta contra quaestionem primam, p. 250; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 2, § 2, dub. 3, ad 4, t. 14, p. 28b in fine; § 4, dub. 1c, p. 34b; § 5, p. 39b; cap. 15, § 13, dub. 2c, p. 447a; *In Epist. IX*, § 1, dub. unic. ad 4, p. 989b.

[4] *In librum Dionysii de Mystica theologia*, quaest. prooem., ad 8, t. 14, p. 815b.

[5] *I Elenchorum*, tract. 2, cap. 5, t. II, p. 544a.

portionis ex hoc quod res una sub proprietate sua proportionatur ad aliquid [nempe ad actum vel effectum suum], et ad idem specie vel genere proportionatur res alia sub alia proprietate secundum eandem analogiam [causae ad actum vel effectum suum]..., et per talem similitudinem proportionalitatis fit translatio». Itaque «dicuntur dissimiles similitudines ab uno et ab alio: dissimiles enim sunt quia dissimilium et in dissimilibus proprietatibus [entitative vel secundum esse sumptis], similitudines autem dicuntur a simili habitudine et proportione dissimilium ad unum» actum vel effectum; «et sic dissimilia esse similia non est inconveniens», et «per illud in quo sic dissimilia similia sunt fit translatio»[1].

Et inde est quod huiusmodi analogia est semper dynamica et accidentalis, nunquam entitativa et essentialis. Inde est etiam quod in metaphoricis «non attenduntur omnia»[2], sed ea solum quae ad rem pertinent: «ex metaphoricis autem non potest aliquis arguere ultra similitudinem quam ponunt..., sicut si dicam hominem esse platanum, sequitur quod homo ille sit longus vel altus, et non sequitur quod homo ille sit arbor vel lignum; quia platanus ponit similitudinem, non ad naturam sed ad staturam»[3].

Neque tamen facile est invenire bonas analogias metaphoricas, quia hae debent fieri per similitudines revera *congruas* nec nimis a longe petitas[4]. Quam ob rem merito scribit S. Albertus: «adinvenire adaptationes [qualescumque] non est difficile, sed *facere proprias adaptationes est valde difficile*, quia oportet quod adaptans *sciat proprietates utriusque rei*, scilicet significatae et significantis»[5]; et congruo modo earum proportionalitatem os-

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1c et ad obiecta, t. 31, p. 588.

[2] *I Sent.*, d. 10, a. 23, ad 2, t. 25, p. 306b.

[3] *In Evangelium Joannis*, VI, 64, t. 24, p. 283b.

[4] *In Evangelium Mathaei*, XIII, 12,t. 20,p. 555b; *I Sent.*, d. 1, a. 5, circa finem, t. 25, p. 20b.

[5] *In Epistolas Dionysii*, epist. IX, § 6, dub. unic., ad 4, t. 14, p. 996b.

tendat, «quia metaphorica non docentur secundum quod significant nomina, sed secundum eorum significata»[1], utpote «in quibus transfertur significatio ad significationem»[2]; et ideo «in tradendo artem symbolorum [=analogorum metaphoricorum] oportet prius ponere propria quam ipsam symbolorum expositionem, quia in expositione symbolorum attenditur *similitudo ad propria*, quia ignoratis propriis non possumus eis adaptare symbolica»[3].

Quem processum doctrina et exemplis illustrat, scribens: «quamvis huiusmodi symbola [corporalia] occultant veritatem [spiritualium] *in quantum sunt sensibilia quaedam, tamen in quantum sunt relata ad spiritualia, manifestant ea*. Referuntur autem symbola sensibilium in spiritualia *per similitudinis inspectionem*...: non quae sit secundum participationem eiusdem qualitatis, quia omnino differentes sunt qualitates corporalium et spiritualium; neque secundum proportionem ad illa quae improportionabilia sunt [quia] nec est in eis quantitas eiusdem rationis [sicut est in proportionibus mathematicis]; sed *per similitudinem proportionalitatis*.

In qua oportet quatuor facere, scilicet a) accipere proprietatem rei sensibilis, b) et comparare eam ad suum actum, c et d) et similem comparationem invenire proprietatis rei spiritualis ad suum actum: sicut proprietas leonis est animositas per quam vincit omnia animalia resistentia; *similiter* Deus sua virtute superbos et sibi resistentes deiicit. *Non est igitur virtus neque actus victoriae eiusdem rationis in Deo et leone, sed tantum comparatio*; quia *sicut* se habet virtus leonis ad suam victoriam, ita virtus divina ad suam.

Et haec est similitudo proportionalitatis, quae semper est ad minus inter quatuor, vel re, vel ratione quando uno utitur ut duobus, sicut si dicatur: sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria; vel sicut sex ad quatuor, ita decem ad sex»[4].

Similitudo ergo corporalium ad incorporalia non est similitudo simplex et directa, sed comparata tantum et indirecta per

---

[1] *Ibid.*, § 7, dub. unic., ad 7, p. 997b.

[2] *I Sent.*, d. 22, a. 1 ad 6, t. 25, p. 569b.

[3] *In Epistolas Dionysii*, Epist. IX, § 2, dub. unic., t. 14, p. 992a.

[4] *Ibid.*, § 1, dub. unic., ad 4,, p. 989b.

relationem ad unum tertium, idest ad effectus similes quos producere possunt, «resolvendo rem [corporalem] in [suas] proprietates, et accipiendo proprietates ipsius ad proprietatem rei spiritualis» secundum comparationem utriusque ad suos actus vel effectus, per ordinem ad quos proportionaliter conveniunt[1]; «non enim est similitudo corporalium ad spiritualia per participationem eiusdem *qualitatis*, sed *secundum proportionem ad actum* qui attenditur: est enim collatio duarum proportionum, quarum utraque est in duobus vel pluribus»[2]. Sunt igitur similia tantum «secundum proportionalitatem [dynamicam], quae est similitudo proportionum [ad suos actus vel effectus], et est ad minus in quatuor, vel tribus, uno in ratione duorum accepto. Et talis est convenientia corporalium ad spiritualia, sicut cum dicimus: sicut se habet rota ad motum in omnem partem, sic se habet angelus ad obediendum Deo in omnibus; non autem communicant in participando eandem qualitatem, in quo est similitudo» directa et simplex[3]. «Rota enim, in quantum est quoddam sensibile, nunquam ducet in cognitionem alicuius angeli vel proprietatis eius: sed oportet ut spiritualia deducantur et accipiantur per ea, *per similitudinem proportionis ad actus proprios*»[4].

Itaque corporalia, «in quantum dissimilia sunt [entitative ad spiritualia], non manifestant [ea]; sed *in quantum habent similitudinem* [dynamicam] *proportionaliter ad spirtualia in respectu ad proprios actus*: et ideo Dionysius dicit quod cognoscuntur in dissimilitudine [entitativa], simili» tamen operative seu dynamice, similtudine proportionalitatis tantum[5].

Et hoc modo ablutio corporalis in exteriori ritu baptismi manifestat ablutionem spiritualem animae, quatenus «refrigerium aquae sepraesentat refrigerium animae ab incendio fomitis, et humidum aquae vim ablutivam gratiae ad deponendas sordes spirituales in anima»[6]. Hoc enim analogiae modo explicantur illa verba definitionis Sacramenti: *invisibilis gratiae visibilis forma, cuius similitudinem gerat et causa exsistat*; quia «*similitudo* sumitur ibi *secundum proportionalitatem*», quae «est similitudo *proportionum inter quatuor.* Et tunc dicemus quod a) *sumenda est proprietas elementi exterioris ad effectum quem habet in corpore*, in parte *una*; b) et *proprietas gratiae per effectum quem habet in anima*, in parte *alia*; c) et *ponenda est allegorice vel metaphorice similitudo inter duas illas proportiones* [hoc pacto]: *sicut* se habet elementum [=aqua] in vi refrigerativa et ablutiva ad corpus, *ita* gratia ad animam, secundum metaphoram»[1].

Haec ergo sequens praecepta, S. Albertus complura protulit exempla talis analogiae cum in ordine philosophico tum in ordine theologico, quorum nonnulla specimina subiungere placet.

[1] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 7, § 9, dub. unic., ad 1, p. 191a.
[2] *In librum Dionysii de Ecclesiastica hierarchia*, cap. 4, § 7, expositio textus, t. 14, pp. 658-659.
[3] *Op. cit.*, cap. 2, § 5, divisio et expositio textus, p. 39b.
[4] *Ibid.*, § 4, dub. 1c, p. 34b.
[5] *Ibid.*, § 2, dub. 3, ad 4, p. 28b in fine.
[6] *IV Sent.*, d. 1, a. 5c, t. 29, p. 16a.

637. *Ordinis quidem philosophici.* Ita, terminus et figura syllogismorum dicuntur secundum analogiam proportionalitatis metaphoricae ad terminum et figuram quantitatis: *sicut terminus* in hac scientia *metaphorice* dicitur a termino in quantitate, *ita etiam figura metaphorice* dicitur a figura quae est terminus quidam in quantitate; figura enim in quantitate dicitur terminatio quanti, quod est superficies vel corpus.

Sicut autem terminus in quantitate non est nisi secundum principium, vel medium, vel finem —est enim terminus ad quem est continuatio: et hoc non potest esse nisi aut ut *a quo*, et hoc est *principium*; aut ut *ad quem* et hoc est *finis*; aut *simul utraque ratione*, idest *ut a quo et ad quod*, et hoc est *medium*—: cum ergo *transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt*, non potest esse terminus in syllogistica scientia nisi ut *a quo* est decursus syllogisticus, et hoc est *maior* extremitas; vel *ad quod* est decursus syllogisticus, et hoc est *minor* extremitas quae ultimo sub medio accipitur; et ulterius post ea nihil est de decursu syllogistico nisi ut *medium*, per quod decurrit ratio in decursu syllogistico. Et sic non sunt nisi *tres termini* in generatione figurae quae perfectum format syllogismum, et in omni ratione termini perfectam habent rationem terminorum: *maior* enim extremitas ambitu suae communitatis extra medium est, secundum substantiam autem et intellectum et definitionem est intra medium et ad medium quasi continuata; *medium* autem ad se terminat fluxum maioris extremitatis, et ex se dirigit in *minorem*; et ideo naturali positione in prima figura extremitas

[1] *Ibid.*, ad 3 contra secundam definitionem, pp. 16-17.

maior terminus maior est, et medium naturali positione medium, et minor extremitas naturali positione est terminus minor[1].

Propter quod *perfecta est haec figura*, et *dicitur esse ad modum trianguli quae est prima figura rectilinearum figurarum*: propositiones enim secundum debitam quantitatem et qualitatem coniunctae, sunt *quasi lineae* in uno termino, qui est medium, sese contingentes; et conclusio adveniens et ex his deducta, divisas a se coniungit extremitates. Propter quod etiam ab Aristotele syllogismus primae figurae vocatur *syllogismus extremitatum*. Haec igitur est figurare ratio et terminorum et *similitudo translationis*»[2].

Ita, etiam, sicut in composito corporali distinguimus materiam et formam sic in composito syllogistico distinguimus proportionaliter materiam et formam: et sicut ibi distinguimus materiam remotam et proximam, itemque formam remotam et proximam; ita hic. «Et hic *termini* sunt materia *remota, propositiones* autem *propinqua* [quia ex terminis fiunt propositiones, et ex propositionibus syllogismus]; et *figura*, forma est syllogismi *remota* [quia directe respicit materiam remotam quae sunt *termini*]; et *modus*, forma syllogismi *propinqua*», quia directe respicit propositiones quae sunt materia remota[3]. Est enim *figura* dispositio et ordo terminorum syllogismi; *modus* vero est dispositio et ordo propositionum eius; et ideo sicut se habet figura ad terminos ita se habet modus ad propositiones: item, sicut se habent termini ad propositiones in ratione materiae, idest ut remota ad proximam, ita se habet figura ad modum in ratione formae, nempe ut remota ad proximam; similiter, sicut se habent propositiones ad terminos ita se habet modus ad figuram.

Eodem iure *mixtio* propositionum modalium et de inesse in

---

1 «Voco autem *medium per metaphoram* superius inductam, quod et ipsum in alio est *ut maiori*, et aliud in ipso est *ut minus*: contentum enim secundum ambitum suae praedicationis semper minus est quam continens, et totum est in continente; hoc enim in tali figura dispositionis terminorum, etiam *positionis* ordine fit *medium*, quia *inter extrema* secundum ambitum praedicationis constitutum. *Extrema* vero voco hoc, quod et ipsum in alio et aliud in ipso est, hoc est, quorum unum est in alio contentum per praedicationis ambitum, sicut minus extremum est in medio; et sicut maius extremum in quo est medium, secundum praedicationis ambitum» (*I Priorum Analyticorum*, tract. 2, cap. 2, t. I, p. 489b).

2 *I Priorum Analyticorum*, tract. 2, cap. 2, t. I, pp. 487-488.

3 *Ibid.*, p. 346a.

syllogismo dicitur secundum analogiam ad mixtionem elementorum in corporibus physicis. «*Mixtio* in syllogismis *metaphorice* dicitur mixtio; *proprie* autem dicitur mixtio in physicis. Quia in physicis mixtio dicitur *miscibilium alteratorum unio ad actum alicuius medii, quod ex omnibus ex se invicem alterantibus mixtis generatur*: propter quod mixta in eo quod ex mixtione generantur, non remanent secundum actus suos simplices nisi in potentia. *In syllogismis* autem *metaphorice* dicitur mixtio *ordo diversarum propositionum de inesse et de modo ad unum eliciendum quod neutra illarum est, conveniens tamen cum utraque, quod est conclusio*: quae quidem in praedicato convenit cum maiori et in omnibus praedicati dispositionibus, sicut est affirmativum, negativum et huiusmodi; in subiecto autem et subiecti proprietatibus, quae sunt universale, particulare et huiusmodi, convenit cum minori. Propter quod in mixtione syllogismorum, mixta manent sub actibus suis stantia, non alterata ad aliud, quamvis unum sit aliquo modo in alio, sicut medium est in toto primo et postremum in toto medio»[1].

Quod si de Logica transeamus ad philosophiam realem, in promptu sunt exempla. *Acutum et grave* dicitur de sonis per analogiam metaphoricam ad acutum et hebes sive obtusum in tangibilibus. «Acutum enim et grave *secundum metaphoram* de differentiis soni dicuntur, et *transsumptio* ab acuto et gravi fit in angulis tangibilibus. In angulis enim dicitur acutum quod movet sensum, multum penetrando in pauco tempore; grave autem quod movet sensum, secundum parum penetrando in multo tempore; et tamen non *proprie* dicitur velox acutum, et grave sive hebes tardum; quia, sicut diximus, hae sunt *proprietates motus*, et acutum et grave sive hebes non sunt motus, sed *attribuitur acuto velox* propter velocitatem huiusmodi motus qui est in penetrando hoc quod tangit et alii *gravi sive habeti attribuitur tardum* propter tarditatem huius motus qui est in penetrando in tactu, et quoad hoc grave et acutum videtur habere *similitudinem* cum acuto et gravi sive hebeti in angulis tangibilibus. *Acutum* enim *sonum* vocamus ubi *quasi pungat*, multum *velociter penetrando* in auditum; *gravis* autem sonus est ubi *quasi pellit, sicut si lassatum sit*: acutum ergo penetrat in pauco ad auditum, grave autem in sonis pungit vix in multo»[2].

---

1 *Op .cit.*, tract. 3, cap. 3, p. 522a.

2 *II de Anima*, tract. 3, cap. 21, t. 5, p. 270b.

Sic igitur «haec dicuntur *secundum metaphoram* ab illis quae *tangunt, per similitudinem ad velox et tardum*: acutum enim movet sensum in pauco tempore in multum, grave autem movet sensum in multo tempore in paucum; neque tamen velox est acutum [proprie dictum], et grave est tardum; sed acutum *similitudinem* habet ad velox in mutando sensum quia cito immutat sensum, et tardum *similitudinem* habet ad grave quia non cito immutat.

Habet *etiam similitudinem ad acutum et ad hebes in angulis et in tactu*: hebes enim est quod impellit et non penetrat cito; acutum autem, quod penetrando pungit statim. *Et similiter est in auditu*: acutus sonus est qui penetrat fortiter, et propter hoc etiam laedit ille, et quandoque facit obstupescere dentes, et praecipue quando acutus sonus fit ex confricatione aliquorum duorum ad invicem, quia tunc ut ens subtile penetrat nervum audibilem...; laesio autem ab alio sono non ita sentitur, quia non ita subtiliter penetrat nervos capillares tangentes nervum audibilem»[1].

Eandemque prosequendo analogiam, extenditur etiam ad sapores et ad odores. Distinguimus enim sapores acutos sive acres et sapores dulces, et similiter odores acres et odores suaves: qui quidem ita se habent ad sensum gustus et olfactus sicut acutum et grave ad sensum auditus, ac finaliter sicut acutum et hebes ad sensum tactus[2].

Dicimus etiam *sonos claros et obscuros* per analogiam metaphoricam ad colores claros et obscuros, nam clarum et obscurum sunt proprie differentiae rei visibilis, et nonnisi per appropriationem quandam similitudinis proportionalis transferuntur ad rem audibilem: ille ergo sonus dicitur clarus quando est bene audibilis; sicut color vocatur clarus quando est bene visibilis; obscurus autem sonus dicitur e contra qui non est bene audibilis et distinguibilis, eo circiter modo quo color appellatur obscurus quando non est bene visibilis neque distinguibilis[3].

Vox dicitur proprie sonus productus per os animalis, metaphorice autem appellatur vox sonus productus per instrumenta inanimata, ut vox tubae vel tibiae vel lyrae, idest «aequivoce secundum similitudinem» proportionalitatis metaphoricae[4].

---

1 *Summa de creaturis*, II P., q. 25, a. 3c, t. 35, p. 248.
2 *II de Anima*, tract. 3, cap. 23, t. 5, p. 274b; 275-276.
3 *Summa de creaturis*, II P., q. 25, a. 3, ad 2, t. 35, p. 249a.
4 *II de Anima*, tract. 3, cap. 22, t. 5, p. 271a.

Intellectus possibilis metaphorice comparatur *tabulae rasae*, quando dicimus eum esse sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum et tamen omnia scribi possunt. Nam *sicut* «tabula rasa et planata et polita, in qua scriptura nec secundum actum est, nec contrarium scripturae, nec inchoatio scripturae per dispositionem mediam inter actum et potentiam quae per motum educatur in actum, sed tantum est sufficienter praeparata ad recipiendam scripturam, et ideo recipit eam sine motu; et nihil abiicitur a tabula, nec aliquid illi imperfectum procedit in actum, sed quamlibet litteram recipit ut actum sine motu adeptum, ad quem non est in potentia nisi receptiva solum: *sic* oportet accipere de intellectu possibili, quod sit in potentia receptiva tantum, cui intelligibilia prima actu non insunt, nec per dispositionem mediam inter actum et potentiam insunt ei, eo quod tunc oporteret eum esse materialem et transmutabilem ad actum; sed tantum habet recipere ea, et meliori modo quam tabula». Et quamvis huiusmodi proportio «non sit per omnia similis», sicut neque ulla proportionalitas metaphorica, «tamen tabula exemplum convenientius est quod in rebus corporalibus poterat inveniri ad incorporearum rerum potentiam demonstrandam»[1].

Amor metaphorice dicitur *pondus*: «quod in corporalibus est pondus, hoc in spiritualibus est amor; et sicut corpus movetur ad locum ad quem tendit pondus eius, ita in spiritualibus movetur spiritus ad id ad quod tendit amor eius»[2].

Anima etiam humana metaphorice comparatur ipsi homini: nam «sicut in homine duo sunt, scilicet corpus et anima, et corpus generatione est ante animam quia corpori organizato infunditur anima; ita duae sunt partes in anima, quarum una est sensualis appetitus, altera autem est intellectus, et prima, scilicet sensualis appetitus, mox natis pueris exsistit, intellectus autem secundum actum perfectus non statim»[3].

Ratio quoque metaphorice dicitur *umbra* intelligentiae, sensus umbra rationis, vita vegetativa umbra sensus: umbra enim se habet ad realitatem lucidam sicut degradatio quaedam, coniuncta tamen realitati cuius est umbra, et a realitate causata. Et sic etiam proportionaliter ratio est quaedam degradatio et veluti

---

1 *III de Anima*, tract. 2, cap. 17, t. 5, p. 362. Cf. etiam *De intellectu et intelligibili*, lib. II, tract. unic., cap. 4, t. 9, pp. 509-510.
2 *Summa theol.*, II P., tract. 3, q. 12, memb. 1, ad 2, t. 32, p. 150b.
3 *VII Politicorum*, cap. 14, t. 8, p. 733b.

obumbratio intelligentiae plene lucidae, sensus est degradatio quaedam cognitionis rationalis, simplex vegetatio est degradatio quaedam vitae sensitivae. Insuper umbra se habet ad lucem sicut materia ad formam vel potentia ad actum seu imperfectum ad perfectum: quanto ergo aliquid magis est actuale et formale et perfectum, tanto magis est independens a materia et quasi emergens ex ipsa; quanto vero aliquid est magis potentiale et imperfectum, tanto magis est materiale, idest a materia dependens et in materia veluti immersum. Et secundum hoc, cum pura Intelligentia sit omnino immaterialis et non unita materiae, est plena lux absque ulla obumbratione; ratio vero, cum sit facultas animae immaterialis quidem, sed unita corpori, non est cognoscitiva intelligibilis in sua plena luce, sed ut obumbrati sensibilibus quae materialia sunt; sensus autem nullo modo attingunt intelligibilia, sed umbram solum eorum, nempe sensibilia; tandem potentiae vegetativae maxime immersae sunt in materia, licet habeant operationes excedentes virtutem solius materiae [1].

Item, *Ethica* appellatur metaphorice *medicina animae*; nam «sicut [ars] medicinalis est curativa corporum; ita [scientia] moralis est curativa animarum. Unde sicut in medicina est medicina praeservativa, conservativa, curativa; ita est in morali, quod in qubusdam curat et praeservat studiositatem ne amittatur, et in quibusdam curat et facit morum sanitatem. Hoc autem facit medicus aliquando ostendendo, aliquando operando: moralis igitur docens, omnibus prodest, ostendendo studiositatis viam: quamvis non prosit omnibus operando et perficiendo virtutem» [2].

Sic etiam quatuor principales virtutes morales, scilicet prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia, dicuntur *cardinales* per analogiam metaphoricam ad cardines ostium et ad cardines caeli. «*Cardinales* enim sunt in quibus *velut in cardinibus* tota volvitur humana conversatio. Sic enim vocamus *cardines* caeli polos, et dextrum et sinistrum in oriente et occidente, et centrum

---

[1] *II de Anima*, tract. 1, cap. 8, t. 5, p. 206; *De unitate intellectus*, cap. 4, n. 10, t. 9, p. 454b; *De intellectu et intelligibili*, lib. I, tract. 1, cap. 6, t. 9, p. 483; *De causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 2, cap. 35, t. 10, p. 530b; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 2, § 11, dub. 1c, t. 14, p. 60a; cap. 6, § 5, dub. 2c, p. 150b; *Summa de creaturis*, II P., q. 5, obi. 7, t. 35, p. 83a; q. 21, a. 1, arg. 3 sed contra, p. 176a; *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 4, memb. 1, a. 1, particula 2c, t. 32, p. 65a; tract. 4, q. 14, memb. 1, a. 1, ad 5, p. 166.

[2] *I Ethicorum*, tract. 4, cap. 6, t. 7, p. 56a.

sphaerae, in quibus velut in cardinibus totus volvitur mundus. *Sicut* vocamus in introitu domus *cardines* postium, in quibus ianua revolvitur per quam est introitus et exitus per domum; *sic* virtutes quaedam sunt in quibus omnes aliae per modum quendam adiunguntur, per ipsas autem tota vita hominis revolvitur: et illae dicuntur cardinales sive principales, quia in ipsis revolvitur tota conversatio moralis vitae; *sicut* ad *cardinem* coniunguntur ea quae in cardine revolvuntur sive in caelo sive in ostio» [1].

Temperantia dicitur metaphorice *consonantia*: «consonantia vero de temperantia non proprie dicitur, sed translative; omnia enim consonantia proprie in sonis est; propter quod etiam *consonantia* a *sonis* nomen accepit». Quae quidem analogia hoc modo resolvitur: sicut consonantia consistit in debita proportione acuti et gravis secundum regulam artis musicae, ita temperantia consistit in debita proportione cibi et potus secundum regulam scientiae moralis [2].

Pariter *societas* dicitur *corpus morale* per analogiam ad corpus physicum hominis, et ideo «*sicut* in corpore hominis excrescentia alicuius membri praeter proportionem dissolvit compositionem corporis, sicut si pes sit quatuor cubitorum; vel etiam figuram alterius animalis accipiat, sicut si accipiat quantitatem pedis cameli vel equi, dissolvitur compositio corporis humani: *ita* in civitate dissolvitur politia et transmutatur ordo civitatis quando aliquis vel aliqui permittuntur crescere divitiis, gloria et potentatu, ita quod non sint proportionales aliis civibus... Et causa est, quia in omni ordine multorum ad unum, necesse est salvari proportionem; vel confusio inducet solutionem» [3]. Unde «*sicut* in compositione corporis humani *medium* in figura et compositione *transgressum dissolvit* pulchritudinem et decorem corporis, *ita medium* in politia *extensum nimis vel attenuatum nimis solvit* politiam vel decorem ordinis politiae: sed qui *medium habet*, exsistit scilicet *in optimo ordine*» [4].

638. *Ordinis etiam theologici*, ubi nomina talem analogiam indicantia dicuntur impropria, metaphorica, trans-

---

[1] *III Ethicorum*, tract. 2, cap. 1, p. 234.

[2] *IV Topic.*, tract. 1, cap. 5, t. II, p. 367.

[3] *V Politicorum*, cap. 2, t. 8, p. 442.

[4] *Ibid.*, cap. 6, p. 497b.

lata vel transsumpta, figurativa vel similitudinaria, parabolica, allegorica et symbolica [1]. Quae quidem verba, licet pro eodem sumantur a S. Alberto, quasi synonyma, tamen impropria, metaphorica, translata sive transsumpta directe contraponit nominibus vel significationibus propriis, iuxta illud: «dicitur *proprium* [significatum alicuius nominis] quod convenit alicui secundum quod significatur per verba, *et hoc dividitur contra improprium vel metaphoricum*» significatum, quod aliud simile nominat alius rei, transferendo significationem propriam unius ad significationem appropriatam alterius [2]; figurativa autem vel similitudinaria contraponit veris et essentialibus; parabolica vero, allegorica et symbolica contradistinguit a nudis et mysticis quasi corporalia a spiritualibus et sensibilia a nudis intelligibilibus [3].

Nomina ergo qua in sua propria et directa significa-

---

[1] *I Sent.*, d. 2, a. 17, t. 25, pp. 73-74; d. 3, a. 10, pp. 99-100; d. 22, a. 1, pp. 567-569; d. 34, a. 6, t. 26, pp. 172-173; d. 46, a. 17 ad 5, pp. 468-459; *IV Sent.*, d. 1, a. 5 ad 3 contra secundam definitionem, t. 29, pp. 16-17; d. 14, a. 42, p. 445; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, § 1, expositio textus, t. 14, p. 12; § 3, expositio textus, p. 21; cap. 2, § 2, dub. 2, ad 4, p. 28b; § 4, dub. 1, p. 34b; dub. 2, p. 35b; expositio textus, p. 36; § 5, expositio textus, pp. 38-39; § 9, expositio textus, p. 51, et dub. unic. ad 3, p. 52b; § 13, expositio textus, p. 64; cap. 3, § 3, dub. 4c, p. 90c; cap. 4, § 6, dub. unic., p. 118a; cap. 7, § 1, dub. 2 ad 1, p. 160b; § 6, dub. 2, ad 1, p. 177b; § 9, dub. unic., ad 1, p. 191a; cap. 13, § 9, dub. 1c, p. 267; *De Ecclesiastica hierarchia*, cap. 4, § 7, expositio textus, pp. 658-659; cap. 5, § 11, expositio textus, p. 705; *De Mystica theologia*, quaest. prooemial., pp. 814-815; cap. 3, § 2, expositio textus, p. 849b; *In Epist.* 9, § 1, dub. unic., ad 4, p. 989b; § 2-19, pp. 999-1.010; *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 5, memb. 1, t. 31, pp. 21-23; q. 5, memb. 4, pp. 27-30; tract. 3, q. 13, memb. 1c, pp. 55-56; q. 15, memb. 1, ad obiectiones 1-3 contra quaest., p. 81; q. 16 per totum, pp. 112-113; tract. 4, q. 19, memb. 5, p. 148; tract. 6, q. 24, memb. 1, pp. 196-197; q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta, p. 233b; tract. 14, q. 60, memb. 1-2, pp. 588-590; q. 59, memb. 4c et ad 3, p. 594; *ibid.*, ad quaest., pp. 595-596; II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 4, ad 1, t. 32, p. 48a; tract. 12, q. 71, ad 1 et 2, t. 33, p. 29; *In Evangelium Matthaei*, cap. XIII, initio, t. 20, p. 547; XIII, 10-13, pp. 554-556; XXII, 1, t. 21, p. 35b; *In Evangelium Marci*, IV, 11-12, 34, t. 21, pp. 427-428, 438a; *In Evangelium Joannis*, VI, 64, t. 24, p. 283.

[2] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 7, § 1, dub. 2, ad 1, t. 14, p. 160b; *I Sent.*, d. 22, a. 1 ad 6, t. 25, p. 569b.

[3] Passim, locis citatis nota penultima.

tione involvunt imperfectionem, ut sunt nomina rerum corporalium, adhiberi nequeunt ad spiritualia et divina significanda nisi per analogiam proportionalitatis metaphoricae, iuxta illud S. Alberti ex Dionysio, «symbolica noscimus proprietates Dei proportione proprietatis corporeae» [1], «quando inspectis proprietatibus rerum [corporalium] sub quarum figura describitur Deus, per similitudinem proportionalitatis in divina conscendimus» [2], quasi ex imperfecta similitudine *vestigii*, quae propria est creaturarum irrationalium, et non ex similitudine perfecta *imaginis* quae creaturarum intellectualium est propria et ex qua sumi potest analogia proportionalitatis propriae [3]. Ut enim scribit S. Doctor, «*vestigium* dupliciter dicitur, proprie scilicet et per translationem. *Proprie* est impressio pedis in pulvere vel via molli: et quia omnis impressio secundum tactum fit, omnis autem tactus secundum ultimum tangentis, ideo vestigium similitudo est ad ultimum quod est in pede, et hoc est planta pedis et digitorum. Quia autem sic imperfecte repraesentat pedem, et imperfectius eum cuius est pes —spissitudinem enim pedis non repraesentat, neque lineamenta et figuras superiorum pedis nec interiorum—, ideo *sub hac similitudine ad signum quodcumque transfertur quod cum causa non est convertibile*... Et secundum hoc dicitur vestigium Dei in creaturis, signum scilicet quo probabiliter aliquid Dei cognoscitur», scilicet confuse et imperfecte [4].

Itaque «*vestigium* quo Creator apparet in creatura, *per similitudinem dicitur ad vestigium pedis*: sicut enim per vestigium pedis, impressio pedis in aliena materia per configurationem expressam accipitur similitudo et ipsius deambulantis non accipitur similitudo nisi secundum partem et imperfecte, ita in creaturae modo, specie et ordine

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 13, memb. 1c, t. 31, p. 55b.

[2] *In Epist. IX Dionysii*, § 1, expositio textus, t. 14, p. 987b.

[3] Vide *infra*, n. 639.

[4] *Summa theol.*, tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 14, t. 31, p. 83a.

modus potentiae et admiratio sapientiae et bonitas Auctoris secundum partem et non secundum totum confuse sive imperfecte demonstratur» [1], quatenus «ducit in habitudinem qua se causa prima habet ad causatum, quae quasi extremum et ultimum est Dei», sicut et vestigium pedis dicit tantum «similitudinem ad pedis ultimum et extremum» [2].

Et hac de causa, id quod significatur per nomina metaphorica non invenitur formaliter et essentialiter in Deo, sed solum causaliter et effective [3]; eoque uti possumus ad divina cognoscenda per viam causalitatis et remotionis tantum, non per viam eminentiae, iuxta illud Alberti: «illae tres viae [=causalitatis, eminentiae et remotionis] accipiuntur secundum ea in quibus relucet Creator. Aut enim illa sunt *symbolice sive figurative* convenientia tantum, et in illis est *propria via negationis sive ablationis*, ut lapis, leo et huiusmodi; aut secundum rem per prius in Deo, licet secundum nomen non ita possint significari, et sic sunt *per eminentiam* exponenda, ut est vita, essentia, intellectus et cetera huiusmodi, et haec vocantur *mystica* ut dicit Dionysius [vel etiam *propria*]; aut *quantum ab utraque* conveniunt *secundum quod ab illo sunt*, et sic via est [causalitatis, idest] a causato ad Causam» [4], nam «via effectus in Causam est indifferenter in *quolibet causato*», sive repraesentet causam per modum imaginis sive per modum simplicis vestigii [5].

Hoc igitur analogiae modo dicitur *Deus lux* vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut sol est lux vera quae omnia corpora illuminat; et sicut lucem corporalem solis non omnia corpora eodem modo suscipiunt, ita neque

---

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 4, particula 1c, t. 32, p. 47.

[2] *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 1, ad 1 arg. in contrarium, t. 31, p. 83b. Cf. etiam *I Sent.*, d. 3, a. 14c, t. 25, p. 105b.

[3] *I Sent.*, d. 46, a. 17, ad 6, t. 26, pp. 458-459; *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 4, particula 2c, t. 32, pp. 51-52.

[4] *I Sent.*, d. 3, a. 10c, t. 25, p. 99b.

[5] *Ibid.*, ad quaestiunculam, p. 100b.

lucem divinam recipiunt omnes homines eodem modo. Lux ergo [divina] sic tenebris lucet sicut lux solis cadit supra caecum. Unde *sicut* tripliciter corpora se habent ad lucem solis, *sic* tripliciter habent se corda ad lucem istam. Quaedam enim corpora tenebris coniuncta non recipiunt lucem nisi ad manifestationem nigredinis et turpitudinis suae, sicut nigra, tetra et opaca; quaedam autem recipiunt eam ad exteriorem sui illustrationem et pulchritudinem; quaedam recipiunt eam in sui profundum, sicut perspicua ut lapides pretiosi, et efficiuntur quasi quaedam vasa lucis quae luminaria vocantur. *Ita* homines mente caecati et operibus tetri non recipiunt lucem istam nisi ad suae turpitudinis manifestationem...; alii autem sunt qui exterius pulchritudine quadam compositionis per hanc venustantur, sed devotionem interiorem non habent, habentes quidem speciem virtutis sed non veritatem; tertii autem qui ad interiorem devotionem lucem concipiunt, intus lucet sicut *luminaria* in caelo» [1].

Rursus, ita se habet *oculus* mentis ad solem divinum sicut se habet oculus corporeus ad solem materialem. «Sicut enim quorundam visus corporalis omnino obtunditur lumine solis, ut vespertilionis; et quorundam visus erigitur aliqualiter ad inspiciendum solem, sed propter debilitatem tremunt oculi, ut visus hominis; quorundam vero visus confortatur ut videat solem in rota, ut visus herodii: ita etiam visus mentis materialis eorum qui terrenis affectibus et corporeis imaginibus detinentur, omnino retunditur a divina claritate; sed ab his recedens in intellectualem speculationem, immaterialis efficitur, sed adhuc tremens, quia rationis principiis velut de longinquo divina conspicit; sed non tremens efficitur lumine fidei confortatus» [2].

Item, Christus dicitur *lux mundi*, idest hominum qui sunt in mundo, secundum analogiam metaphoricam ad lucem corporalem huius mundi sensibilis. «Videmus enim quod lux corporea, primo, post se manifestando pellit tenebras; secundo, immittendo se inferioribus, compressa obligatione terreni frigoris, deobligat et liberat; tertio, vitalem colorem excitat et vivificat: et

---

[1] *In Evangelium Joannis*, I, 5, t. 24, p. 38.

[2] *In librum Dionysii de caelesti hierárchia*, cap. 1, § 1, expositio textus, t. 14, p. 12. Cf. etiam cap. 3, § 1, dub. unic., solutio, p. 76b; § 3, dub. 4c, p. 90a; cap. 8, § 3, dub. 3c, p. 229b; cap. 2, § 13, expositio textus, p. 64b in fine; *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 13, memb. 1, ad 8, t. 31, p. 55a; II P., tract. 10, q. 37, memb. 1, ad 10, t. 32, pp. 410-411.

hoc videmus isto ordine fieri quando sol ad nos accedit». Similiter lux spiritualis solis divini qui Christus est, primo, se manifestando pellit tenebras spirituales hominum qui sunt in mundo, quia est lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [1], utpote descendens de caelo «illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent [2]; secundo, se immittendo mentibus hominum in eum credentium, eos a servitute peccati deobligat et liberat, quia qui eum sequitur «imitando doctrinam per veritatis fidem et cognitionem et sequendo exemplum per imitationem», non ambulat in tenebris, nam haec divina «lux circumfulget et praestringit eum, ut undique fugatis tenebris circumdetur lumine» quo secure possit dirigere pedes suos in viam pacis; tertio, vitalem calorem excitat et vivificat, quia ipse est fons vitae, et ideo qui ad eum accedit et illuminatur, habet lumen vitae, quo quasi lux splendens procedat et crescat usque in perfectam diem vitae aeternae [3].

Verbum dicitur *splendor Patris*, quia sicut in corporalibus «lux et splendor sunt eiusdem formae», et insuper splendor est coaevus luci, a qua naturaliter semperque procedit; ita Filius et Pater sunt eiusdem naturae vel essentiae, et iterum Filius est Patri coaeternus, a quo naturaliter semperque procedit [4].

Pater appellatur *fontana deitas*, quatenus sicut fons est principium rivulorum ita Pater est principium Filii et Spiritus Sancti [5].

Vocatur etiam Deus metaphorice *fons vitae* et *sapientiae*: apud te est *fons vitae* [6]; *fons sapientiae*, verbum Dei in excelsis [7]. «Videmus enim in fonte aquae materialis, qui est principium fundens aquam per se, quod tamen semper habet aquam in se stantem propter perpetuam scaturitionem; et ideo principium fontis accipitur in Deo [eo] quod est quaedam virtus simplex: quia quod non est primum, est compositum; sed primum, simplex est, quod non est in alio sed per se movetur et per se operatur et nunquam se relinquit, semper manens in altitudine suae naturae. Et quod dicitur *fons sapientiae* significat quod ipse est

---

1 *Joan.* I, 9.
2 *Luc.* I, 79.
3 *Prov.*, IV, 8. *In Evangelium Joannis*, VIII, 12, t. 24, pp. 335-336.
4 *I Sent.*, d. 9, a. 8, ad 3, t. 25, p. 386; a. 9c, p. 303.
5 *I Sent.*, d. 9, a. 18, t. 25 p. 306.
6 *Psalm.* *XXXV*, 10.
7 *Eccli.*, I, 5.

cognitio omnium cognitionum, et quod per se et non ab alio principio habet quod inspiciat omnia, sicut fons per se fundit totam aquam fluminis» [1].

Sic quoque dicitur Deus *iratus*, non quia aliquid irae sit formaliter in Deo, sed similitudine proportionis ad hominem iratum, «quia scilicet in creatura facit quod facit puniens vel iratus» [2]. Sicut enim homo offensus, irascitur et punit offendentem, ita Deus offensus peccatis hominum eos punit, absque ira tamen.

Hoc etiam modo Christus dicitur *lapis angularis*, quia sicut tota domus materialis fundatur super lapidem angularem, ita tota Ecclesia, quae est domus spiritualis Dei, fundatur super Christum [3].

Dicitur et *caput Ecclesiae*, quae est corpus eius mysticum, cuius et nos membra sumus, quia ita se habet ad suum corpus mysticum sicut caput naturale ad corpus naturale. «*Caput habet tria in se in comparatione ad corpus*: quorum *unum est virtus quae principium est effective influens virtutem sensus et motus*, quia sensus fluit ab anteriori parte capitis, motus autem a posteriori per nervos sensibiles et motivos; *secundum* autem est id quod anima formaliter influit membris, *assimilando ea sibi in virtute sensitiva influxa quae quasi formaliter adhaeret membris*; *tertium* autem est *conformitas naturae cum membris*.

Et sic *tripliciter* considerari potest *caput spirituale* quod est Christus. Si autem consideretur *ut principium influens effective tantum*, tunc est caput omnino *secundum deitatem*; si autem *ut est principium effectivum et assimilans sibi per aliquod quod influit quod est ut forma, sic est caput beatorum et exsistentium in gratia*, quibus influit quasi similtudinem suae vitae et sui motus et sui sensus in donis perficientibus intellectum et affectum; si autem *tertio* modo consideratur, tunc est *caput hominum tantum*» [4].

Quae quidem munera capitis respectu hominum maxime exer-

---

1 *In Epistolam IX Dionysii*, § 1, expositio textus, t. 14, p. 990b. Cf. *ibid.*, dub. unic., ad 5, p. 991b.
2 *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta, t. 31, p. 233b. Cf. etiam *I Sent.*, d. 22, a. 1, ad 6, t. 25, p. 569b; *In Epistolam IX Dionysii*, § 19, expositio textus, t. 14, pp. 1.008-1.009.
3 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 1c, t. 31, p. 588a; II P., tract. 12, q. 71c, t. 33, p. 29b; *I Sent.*, d. 2, a. 17c, t. 25, p. 73b; d. 3, a. 10c, p. 99b.
4 *III Sent.*, d. 13, a. 2c, t. 28, p. 238.

cet per Eucharistiae Sacramentum. «Sicut enim in unam personam accepit humanam naturam, non consummens eam in seipso sed in unitatem personae traxit, ut in ipso esse divinum participaret; sic convertit nos ad se cibus iste divinus, non consummendo sed ut esse suum divinum in sui sumptione participemus», quatenus «nobis influit hanc virtutem quae nos in ipsum convertit ut membra eius et corpus efficiamur... Non enim ratio assignari potest quare Ecclesia dicatur et sit corpus Christi nisi hoc modo quo dictum est, dando illi corpus suum, et convertit eam ad se ut corpus eius efficiatur, et singuli sint membra eius.

Constat enim quod Ecclesia *mystice vel metaphorice* corpus Christi dicitur. Omnis autem translatio mystica habet fieri *per appropriationem ad aliud quod vero eodem nomine dicitur et eadem ratione*. Haec autem non est nisi communio corporis et sanguinis Christi naturalis et veri, quod cum influit Ecclesiae, totam Ecclesiam ad se convertit, et a sui natura non avertitur, et sibi eam sic assimilando in spiritu vitae et calore veritatis vivifico et operatione virtutum tanquam quadam operatione membrorum, Ecclesiam facit esse corpus suum spirituale et mysticum. Et hoc est quod dicitur ad Ephesios IV, 11-12, quod scilicet diversas gratias dando in diversis officiis constituit, sicut in corpore in diversis officiis et operationibus constituuntur membra... Iste igitur nobilissimus modus pasturae est quo sua indeficiente virtute hoc sacramentum nos convertit in corpus Christi, ut simus os ex ossibus et caro ex carne et membra de membro eius, et ex omnibus nobis corpus Christi connectatur» [1].

Quam quidem manducationem et assimilationem et incorporationem ad Christum explicat egregie per analogiam proportionalitatis metaphoricae ad manducationem corporalem cibi materialis hisce verbis: «in corporali manducatione sunt *sex*, a quibus *transfertur* ad spiritualem manducationem, quorum *primum* est *attritio cibi*, quod natura ideo facit quod unumquodque a qualibet minima parte sugi possit id quod est conveniens in cibo; *secundum* est *deglutio*; *tertium* est *digestio*; *quartum* est *puri succio*; *quintum* est *ad membra delatio*; et *sextum* est *unio qua unitur membris et de corpore efficitur*.

Attritio autem est frequens reditio mandibularum et oris super idem, cui respondet in spirituali manducatione frequens reditus mentis et rationis super cibum spiritualem ut bene diiudicetur a quo, et in quo affectu et propter quid accipitur...

[1] *De Sacramento Eucharistiae*, dist. 3, tract. 1, cap. 5, n. 5, t. 38, pp. 256-257.

Deglutio autem est in sumptione cibi; ita quod cibus sit in manducante: et sic in spirituali manducatione cavendum est ne manducans extra cibum maneat per infidelitatem vel dissensum, nec quod cibus remaneat extra ipsum per gratiae privationem...

Digestio autem quae est separatio puri ab impuro, tota refertur ad comedentem, quia in cibo isto nihil est impurum; sed impurum aliquando comedente impedit nutrimentum, et tunc oportet quod humor malus diferatur et eiiciatur [iuxta illud] Jerem. V, 19: *si separaberis pretiosum a vili, quasi os meum eris.*

De *succione* autem, qua interius per venas nutrimentum sugitur, maxime est attendendum; quia illa perficitur desiderio incorporandi in Christo, quo desiderio ipsum in nos trahamus et nos in ipsum...

Delatio autem ad membra, spiritualiter perficitur quando cibus iste singulis virtutibus cordis immittitur: ut in ratione sit claritas lucis, in voluntate fervor dilectionis, in memoria conservatio meditationis absque oblivione, in concupiscibili desiderium boni, in irascibili dedignatio peccati, in sensibili imaginatio exempli, in tota anima dulcedo spiritualis cibi...

Unio autem perficitur in hoc quod Christo unimur et spiritu eius vivificamur, quia iste cibus non mutatur in nos sed nos in ipsum, ut meliores efficiamur...

Sed tunc quaeritur quare ad istam manducationem oportuit addere de spirituali *potu*. Ad quod dicendum quod cibus sine potu esse non potest. *Quinque* enim facit potus conveniens in corpore, sine quibus non perficitur cibi operatio: haec autem quinque sunt: primum, quia lavat sordida, ne cum cibo commisceantur; secundum, quia extinguit incensa; tertium, quia humectat arida ut cibo praeparentur; quartum est, quia lubricat aspera ut per ea cibus moveatur; quintum est, quod subtiliat grossa in cibo et membris ut facile penetrant et penetrentur.

Haec autem quinque sanguini Christi spiritualiter conveniunt. Hic enim lavat omnia sordida per hoc quod est sanguis expiationis...; extinguit incensa per hoc quod est sanguis redemptionis, redimens nos a peccati incendiis et concupiscentiae...; hic est qui humectat arida per hoc quod est sanguis pietatis, quia omni pietate maior fuit quod sic sanguinem suum non tantum

fudit pro nobis, sed etiam infundit nobis, sic enim omne cor ad pietatem deducitur et ariditatem amittit...; lubricat autem aspera et ad lenitatem adducit per hoc quod est sanguis Agni mansueti...; subtiliat autem grossa per hoc quod est sanguis sacramenti, sic enim inducit ad subtilitatem intelligentiae spiritualis et sic vocatur sanguis testamenti quo spiritualia confirmentur»[1].

Inuuit autem caput hoc spirituale omnibus membris vivis eique assimilatis gratiam, per quam habent esse vivum; et caritatem, per quam operantur secundum conformitatem ad Christum: et una cum caritate influit sensus spirituales, qui per analogiam ad sensus corporales corporis vivi intelligendi sunt, scilicet ut mundo corde *videamus* Deum, et *audiamus* quae loquitur in nobis Dominus Deus, et *odoremus* bonum odorem Christi, et *gustemus* dulcedinem eius, et *palpemus* Verbum vitae, experimento attingentes Deum et bonitatem eius[2].

Et in spirituali aedificio, quod proportionaliter se habet ad aedificium corporale, fides se habet ut fundamentum, spes ut paries qui erigitur, caritas ut complementum et consummatio[3]: «spiritualis aedificii fundamentum in imo est fides quae facit in nobis subsistere res sperandas, eo quod ipsa est prima accedentibus ad Deum; sed in summo concludens est caritas, quae est vinculum perfectionis; et paries erigens est spes se ad aeterna protendens»[4].

Dicitur fides *fundamentum*, aliter tamen quam humilitas et fortitudo et timor, quae etiam fundamentum appellantur; quia «fides est simpliciter prior et fundans, aliae autem non fundant nisi secundum quid. Et hoc patet quia humilitas est post fidem, sed concavum facit cor ut profundius fundetur quod iam per fidem fundatum est, et ideo quasi parat fossam in qua fundatio fiat; fortitudo autem fundat per modum fulcimenti contra imminentes tempestates tentationis et persecutionis, sed timor

---

1 *In Evangelium Joannis*, VII, 54, t. 24, pp. 273-274. Cf. etiam *In IV Sent.*, d. 9, a. 2, ad quaest. t. 29, p. 217; a. 5c, pp. 220-221; *In librum Dionysii de ecclesiastica hierarchia*, cap. 1, § 7, dub. unic., ad 15 et 16, t. 14, p. 494.

2 *III Sent.*, d. 13, a 4 per totum, t. 28, pp. 239-240; *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 15, § 5, dub. 1, et 2, t. 14, pp. 414-415, 417; *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 4, § 7, expositio textus et dub. unic, pp. 658-660; § 8, expositio textus, p. 662.

3 *III Sent.*, d. 26, a. 1, arg. 2 sed contra, t. 28, p. 490b.

4 *IV Sent.*, d. 21, a. 3c, t. 29, p. 864b.

fundat per exclusionem subvertentium aedificii structuram, per hoc quod declinat a peccato; fides autem sola per hoc quod subiicitur et substat substantialiter ut prima in aedificio»[1], «quia fundat in nobis res sperandas in gratia, et gloria et venia, quae aliter non erant fundatae in nobis assensu immobili nisi Deus lumine suo nobis vel patribus revelato tales res fundaret in nobis»[2].

Totum autem corpus veritatum fidei componitur ex articulis fidei, sicut totum corpus organicum componitur ex articulis: «sicut enim corpus humanum ex articulis componitur, ita quod in qualibet iunctura duo coniunguntur quorum utrumque est articulus, sicut apparet in digito in quo per duas iuncturas tres articuli coniunguntur; ita in catholica fide sunt membra articulatim composita ex quibus fides componitur catholica, et haec compositio Symbolum vocatur. Et sicut in corpore ubicumque est inflexus et iunctura duorum non est articulus unus sed plures, ita in Symbolo ubi res una est et ad unum pertinens unus est articulus, et ubi res in diversa flectitur et ex pluribus componitur non est unus articulus sed plures, sicut quod dicam Filium Unigenitum qui conceptus est de Maria Virgine; ibi enim alia res credenda est qua Christus Unigenitus Dei est generatione aeterna, et alia qua conceptus est secundum carnem: et ideo haec, duo sunt articuli»[3].

Spes etiam dicitur *anchora* navis spiritualis animae nostrae, secundum proportionalitatem ad effectus quos anchora corporalis exercet erga navem materialem; nam spes christiana est «spes certa, trahens nos ad littus aeternitatis et immobiliter tenens mentem nostram fixam in caelis, sicut anchora trahit navem ad littus eamque immobiliter tenet»[4].

Caritas quoque dicitur *radix* omnium virtutum et earum *mater* et *vinculum* perfectionis omnium. *Radix* quidem: tum quia in caritate «tota planta vitae et aliarum virtutum capit incrementum dulcedinis, nihil enim facit suave iugum difficultatis in omnibus aliis nisi affectus bonitatis divinae qui est caritas»[5];

---

1 *III Sent.*, d. 23, a. 2c, t. 28, pp. 440-441.

2 *De Sacrificio Missae*, tract. 2, cap. 8, n. 3, t. 38, p. 58a.

3 *Ibid.*, n. 4, p. 59a.

4 *De Sacramento Eucharistiae*, dist. 3, tract. 4, cap. 2, ibid., p. 324b; *III Sent.*, d. 26, a. 1c, t. 28, p. 491b.

5 *III Sent.*, d. 27, a. 4, § ad id quod ulterius quaeritur de definitione apostoli, ad 2, t. 28, p. 521b.

tum etiam quia omnes «nutrit et nutrimentum dilectionis administrat»[1]. *Mater* autem: sive «in quantum quasi impregnatur concipiendo omnes in visceribus, quia caritas qua diligimus Deum est causa omnium operum et virtutum quibus colimus eum, et sic quodammodo nascuntur omnes a caritate»[2], et quatenus «in visceribus caritatis virtutes formantur quoad esse quoddam», idest meritorium[3]; sive etiam quia «omnes alias virtutes regit et regulat, sicut mater filias regit et regulat»[4]. *Vinculum* vero perfectionis: tum quia est *iugum suave filiorum Dei*, quod unit et «ligat Deum et hominem»[5]; tum etiam quia in ea uniuntur et quasi ligantur omnes virtutes, quas sic unitas et colligatas rursus «coniungit cum ultimo fine, et sic dicitur finis et vinculum quia finiendo ligat cum perfecto summo»[6].

Qua etiam de causa, ceterae omnes virtutes, nisi in caritate radicentur et a caritate formentur et perficiantur, dicuntur mortuae, quia nequeunt producere actus meritorios et efficaciter ductivos ad vitam aeternam. Sicut enim vivum proprie dicitur in corporalibus id quod opera vitae perfecta exercet, metaphorice autem id quod «attingit perfectam operationem suam secundum suam speciem..., sicut dicimus aquam vivam quae est in impetu purificandi et infrigidandi, et adamantem vivum cum fortiter attrahit ferrum», ita etiam in ordine supernaturali «opera dicuntur vivificari vita dicta metaphorice, quia scilicet restituitur homini quod faciant in ipso [id] quod faciunt optima opera [idest opera caritatis vel informata caritate], et hoc est dignum facere vita aeterna: quia sicut lapis [=adamans] dicitur vivus quia facit optime propriam operationem, et mortuus qui non potest sic facere; sic opus vivum dicitur quando potest perficere hoc quod optimum opus facit, et hoc est opus gratiae et caritatis, quod potest valere vitam aeternam»[7]. Et sic omnes virtutes, prout sunt nutritae et formatae et unitae caritate, sunt totidem flumina aquae vivae salientis in vitam aeternam vi ordinationis caritatis: «in moralibus enim ordinat passiones et

---

[1] *In Evangelium Joannis*, XV, 12, t. 24, p. 563b.
[2] *III Sent.*, d. 23, a. 11c, t. 28, p. 425b.
[3] *Ibid.*, a. 10, ad 4, p. 425a.
[4] *In Evangelium Joannis*, XV, 12, t. 24, p. 564b.
[5] *In Evangelium Mathaei*, XI, 29, t. 20, p. 503b.
[6] *III Sent.*, d. 23, a. 11c, t. 28, p. 425b; d. 27, a. 4, § ad id quod ulterius quaeritur de definitione Apostoli, ad 1, p. 521b; *In Evangelium Joannis*, XV, 12, t. 24, pp. 563-564.
[7] *IV Sent.*, d. 14, a. 24c, t. 29, p. 445b.

opera; in heroicis ordinat naturam ad metas mentis; in intellectualibus ordinat rationem ad normam perfectae virtutis; in divinis ordinat contemplationem ad altitudinem et puritatem divinae delectationis et theoriam veritatis»[1].

Multitudinem item angelorum illustrat per analogiam metaphoricam ad multitudinem ministrorum in curia regis potentissimi, quia «sicut in humanis de magnificentia regali est quod innumerabiles habeat ministros ad curiae regalis frequentiam pertinentes et innumerabiles proceres gloriae regali assistentes, ita multo magis pertinet hoc ad magnificentiam Regis caelestis ut innumerabiles sint ministrantes et innumerabiles assistentes»[2]. Et sicut inter ministros regis dantur diversi ordines et hierarchiae pro eorum officiis diversis in assistendo et ministrando regi terreno, ita inter angelos dantur diversae hierarchiae et ordines pro diversis eorum officiis in assistendo et ministrando Regi caelesti; et sicut ministri regis terreni assistentes throno eius diversum situm ordinatum tenent circa regem, ita angeli assistentes throno Regis caelestis diversum ordinem tenent circa ipsum Deum, quia «sicut est situs in corporalibus ita est ordo in spiritualibus»[3], et «idem facit ordo in spiritualibus quod continuitas in corporalibus»[4].

Et omnes creaturae corporales, quae sunt dispositae numero, mensura et pondere, manifestant proportionaliter per modum vestigii potentiam, sapientiam et bonitatem divinam: «sicut enim per vestigium pedis, impressio pedis in aliena materia per configurationem expressam accipitur similitudo, et ipsius ambulantis non accipitur similitudo nisi secundum partem et imperfecte; ita in creaturae modo, specie et ordine, modus potentiae et admiratio sapientiae et bonitas Auctoris secundum partem et non secundum totum et confuse sive imperfecte demonstratur: ostenditur enim quia est, et non quid est»[5]: Hoc enim modo, «secundum similitudinem proportionis, infigurabile potest assimilari figurato, ut crater ad sapientiam, et vinum ad effectum sapientiae»[6]; quia horum «non attenditur similitudo, ut dicit

---

[1] *In Evangelium Joannis*, VII, 38, t. 24, p. 317a.
[2] *Summa theol.*, II P., tract. 2, q. 7c, t. 32, pp. 133-134.
[3] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 9, § 3, dub. 1, obi. 4, t. 14, p. 262a.
[4] *Op. cit.*, cap. 13, § 5, dub. unic. ad 1, p. 353b.
[5] *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 5, memb. 3, a. 4, particula 1c, t. 32, p. 47.
[6] *Ibid.*, ad 1, p. 48a. Cf. etiam *In Epistolam IX Dionysii*, § 14, expositio textus, t. 14, pp. 1006-1007.

Dionysius, nisi in similitudinibus dissimilibus, et hoc est in convenientiis quae dissimiles sunt, habentes tamen similitudinem analogiae sive proportionis [proportionum]: ut sicut est diversitas linearum in creatura propter compositionem essentiae, quae diversitas linearum metaphorice respondet modo, speciei et ordini, quae diversa sunt in creatura; ita sit diversitas *rationum* in Auctore in unitate essentiae propter simplicitatem Creatoris, quae non obviat diversum modum significandi tollendo a Creatore, secundum quod significatur potens, sapiens et bonus: et in hoc notatur convenientia, ut sicut sunt impressa in creatura diversa secundum *rem*, ita imprimentia significentur diversa esse secundum *rationem* et modum significandi» [1].

Immo et haec tria metaphorice transferuntur ad cetera creata, etiam spiritualia; licet *numerus* proprie loquendo sit complexus unitatum ex divisione continui resultantium, metaphorice tamen dicitur complexus principiorum in quae resolvitur et ex quibus constituitur omne ens creatum; et «licet proprie *pondus* sit in corporalibus inclinatio ad motum rectum, tamen per translationem etiam inclinatio qua unum motu intelligibili inclinatur ad alterum, dicitur pondus, sicut etiam dicitur Proverb. XVI, 2: spirituum ponderator est Deus»; pariter «*mensura proprie* dicta in quantitate est, per translationem tamen etiam transsumitur ad ea quae commensurationem intellectualem habent» [2].

Et ideo profunde S. Albertus scribit: «haec tria proportionaliter sunt in omnibus rebus tam corporalibus quam spiritualibus. Quod enim in corporalibus quantitas est vel *mensura molis*, hoc est in spiritualibus quantitas vel *mensura virtutis*: et *modus* principiorum constituentium totum in corporalibus respondet modo partium potestivarum constituentium totum potestativum in spiritualibus; et *pondus* quod in corporalibus inclinatio est ad locum, in spiritualibus vel respondet affectui vel inclinationi in debitum finem, in quo stat et quiescit omnis res, ita quod non inclinat ulterius ad tendendum in aliud; et *ordo* qui in corporalibus est positio partium in loco, in spiritualibus respondet ordini potentiarum in debido actu ad totum potestativum perficiendum» [3].

---

[1] *Summa theol.*, II P., loc. cit., ad 1, t. 32, p. 48a.
[2] *Summa theol.*, II P., tract. 3, q. 15, memb. 1, a. 1, particula 2c, et ad 2 et 3 primae assignationis, t. 32, pp. 86a, 87a.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 3, particula 2, ad 2 quaest. primae, t. 31, p. 250.

639. Postremo *analogiam proportionalitatis propriae subdividit* ex duplici capite: primo, ex parte rei vel quasi materiae in qua vel circa quam verificatur similitudo proportionum; secundo, ex parte modi vel quasi formae proportionalitatis secundum quam fit talis proportio proportionum. Cum enim duo necessario concurrant in omni proportionalitate, scilicet res quae proportionaliter conveniunt quasi materia, et ipsa proportionalitas sive modus proportionalitatis quasi forma, subdivisio eius necessario sumenda est ex parte quasi materiae et ex parte quasi formae ipsius.

Ex parte igitur *materiae* subdividitur in analogiam *entitativam sive ontologicam* et in analogiam *operativam sive dynamicam*, secundum quod similitudo proportionum est in ordine essendi seu entitativo aut in ordine operandi seu operativo.

Prima nominat similitudinem habitudinis duarum proportionum ad actum primum, qui est esse vel essentia: verbi gratia, ita se habet Deus ad deitatem sicut homo ad humanitatem, quia sicut humanitas est forma qua homo est homo ita deitas est quasi forma qua Deus est Deus, licet utrobique sit proportio absolute diversa, nam in homine differunt re et ratione homo et humanitas, dum in Deo solum differunt ratione Deus et deitas, et distinctione virtuali minori tantum sive secundum modum significandi, et ideo in homine non praedicatur abstractum de concreto —homo est humanitsa—, dum in Deo vere et recte praedicatur —Deus est deitas—: item, sicut substantia creata se habet ad suum esse ita substantia divina ad suum et tamen esse substantiae creatae est participatum ab alio et receptum in ipsa substantia creata, dum esse substantiae divinae non est participatum ab alio neque receptum in ipsa divina substantia; eo quod in creaturis differunt re esse et quod est, in Deo autem sunt re unum idemque.

Secunda vero nominat similitudinem habitudinis duarum proportionum ad actum secundum, qui est agere vel operari proprium utriusque membri proportionalis: exempli gratia, sicut se habet iustitia humana in reddendo unicuique quod suum est ita se habet iustitia divina in retribuendo unicuique quod suum est; licet Deus sit ipsa sua iustitia, homo autem iustus non est sua iustitia: «et sic dicitur Deus iustus iustitia qua retribuit, et quae ipse est suo modo; et homo dicitur iustus iustitia qua reddit unicuique quod suum est, et quae ipse non est suo modo» [1].

Ubi apparet differentia huius proportionalitatis dynamicae a proportionalitate metaphorica, quae etiam dynamica est; quia in proportionalitate dynamica propria est similitudo proportionis duarum agentium vel potentiarum vel habituum ad proprios actus vel operationes ex utraque parte, dum in proportionalitate dynamica metaphorica est solum similitudo proportionum unius agentis vel potentiae vel habitus ad proprium actum vel effectum ex una parte, ex alia vero alterius agentis ad effectum potius quam ad actum, et quidem ad effectum mere appropriatum per similitudinem translationis.

S. Albertus saepe usus est hac divisione, cum in ordine philosophico tum in ordine theologico. Liceat ex utroque nonnulla adhibere exempla.

640. Ita, *in ordine philosophico*, est analogia entitativa proportionalitatis propriae cum dicimus: «sicut se habet *substantia* ad alia entia ita se habent principia substantiae ad principia aliorum entium» [2]. Substantia autem se habet ad cetera praedicamenta accidentis ut ens simpliciter ad ens secundum quid. Consequenter principia intrinseca sive constitutiva substantiae se habent ad principia intrinseca et constitutiva accidentium sicut principia simpliciter ad principia secundum quid. Et vere,

[1] *Suma theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, § ad id quod ulterius quaeritur, t. 31, p. 596b; tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta contra secundam partem, p. 233b.
[2] *XI Metaph.*, tract. 1, cap. 15, t. 6, p. 607a.

principia intrinseca constitutiva substantiae corporeae sunt materia prima et forma substantialis, idest principia essentialiter substantialia; e contra principia intrinseca et constitutiva accidentium corporalium sunt materia secunda et forma accidentalis, hoc est, principia essentialiter accidentalia, proportionaliter tamen se habentia ad accidentia constituenda sicut principia substantiae se habent ad constituendam substantiam: nam materia prima et forma substantialis se habent in proportione potentiae et actus sui ordinis, scilicet substantialis; et similiter materia secunda et forma accidentalis se habent in proportione potentiae et actus sui ordinis, nempe accidentalis.

Quam ob rem scribit S. Doctor: «quia... novem accidentium genera tanquam ad causam et subiectum reducuntur ad substantiam, oportebit necessario quod alia genera cum [principiis] suis causentur et principientur a genere substantiae eo modo quo imperfectum fluit et principiatur a perfecto...; ex quo relinquitur quod principia aliorum generum nec sunt principia simpliciter, nec sunt prima simpliciter, nec sunt principia entis simpliciter: sed sunt principia substantiae quae omnia ista colligunt, quia ipsa sunt et principia simpliciter et sunt principia eius quod simpliciter est et non secundum quid; hoc enim modo substantia est quoddam unitum genus, a quo principiantur omnia alia genera» [1].

Pariter, sicut se habet *ens in communi* ad substantiam, quantitatem, qualitatem et situm, ita se habet *motus in communi* ad generationem, augmentum, alterationem et translationem; motus enim est via quaedam ad ens, et ideo sicut ens commune substantiae et accidentibus non est univocum sed analogum; ita motus communis motui substantiali et accidentali non est quid univocum sed analogum. Consequenter ita se habet unum genus motus ad aliud sicut se habet unum genus entis ad aliud: verbi gratia, sicut se habet substantia ad quantitatem ita se habet motus generationis ad motum augmenti; et sicut se habet quantitas ad qualitatem ita se habet motus augmenti ad motum alterationis; et sicut se habent haec omnia ad locum ita se habent hi omnes motus ad motum localem sive translationis [2].

Eodem iure, cum necessarium sequatur ad causam, tot sunt

[1] *I Physicorum*, tract. 3, cap. 4, t. 3, p. 55.
[2] *III Physicorum*, tract. 1, cap. 2-4, pp. 180-181, 183b, 189-190.

genera vel *modi necessitatis* quot sunt genera vel *modi causae*: consequenter sic se habet unus modus necessitatis ad alium, puta necessitas finis ad necessitatem coactionis, sicut unum genus causae ad aliud, puta genus causae finalis ad genus causae efficientis; et sicut se habent causae intrinsecae ad extrinsecas, ita se habet necessitas intrinseca ad necessitatem extrinsecam [1].

E contra, habetur *analogia dynamica* quando dicimus ita se habere intellectum ad intelligibile sicut se habet sensus ad sensibile [2]; vel ita se habere voluntatem ad bonum et malum sicut se habet intellectus ad verum et falsum [3]; aut «sicut intellectus speculativus apud se habet communes animi conceptiones quas non discit a magistro sed mediantibus illis accipit scientiam per doctrinam, ita etiam intellectus activus [=practicus] apud se habet universalia morum quae sunt communes animi conceptiones quas quisque probat auditas, per quas accipit scientiam et electionem moralium et prudentiam» [4]: est enim similitudo proportionum propriae potentiae ad propium obiectum attingendum proprio actu secundum modum proprium uniuscuiusque potentiae et obiecti.

641. *In ordine autem theologico* complura adhibet exempla utriusque modi analogiae. Pro quibus intelligendis recolendum est quod nomina communia dicta de Deo et creaturis analogia proportionalitatis propriae debent convenire proprie et formaliter utrique membro proportionalitatis; et ideo importare debent perfectionem simplicem in suo proprio et formali significato, quia Deo, qui perfectissimus est absque ulla imperfectione, nonnisi perfectiones purae convenire possunt formaliter. In quo apparet differentia inter nomina quae ex creaturis metaphorice transferuntur in Deum et nomina quae proprie extenduntur ad Deum ex creaturis: illa enim non conveniunt formalìter nisi creaturis corporalibus

[1] *V Metaph.*, tract. 1, cap. 6, t. 6, pp. 275-276; *Summa theol.*, I P., tract. 7, q. 30, memb. 3, a. 2, qla. 1, t. 31, p. 319b.
[2] *I Ethicorum*, tract. V, cap. 17, t. 7, p. 82a.
[3] *VI Ethicorum*, tract. 1, cap. 5, p. 402a.
[4] *In Evangelium Mathaei*, VII, 12, t. 20, p. 350a.

e quibus transferuntur, Deo autem non conveniunt nisi causaliter, scilicet per quandam habitudinem ad similes effectus; haec vero conveniunt formaliter creaturis et Creatori; quia praecise assumuntur ad Deum ex creaturis spiritualibus vel ex his quae ab omni materia et imperfectione abstrahunt, licet Deo conveniunt per prius et perfectius quam creaturis quantum ad ipsam rem vel rationem directe significatam per nomen, et ideo vocantur nomina *mystica*, quia *occultum* ipsius divinitatis attingunt et exprimunt [1].

Ut enim egregrie scribit S. Albertus, «duo sunt attendenda in significatione nominis, scilicet significatum et modus significandi. Et quantum ad *significatum*, in mysticis nominibus nomen magis proprie dicitur de Deo quam de creaturis: magis enim proprium est quod Deus est sapiens quam quod homo est sapiens, quia magis proprie dicta sapientia sapiens est Deus quam homo: similiter est cum dicitur, Deus est essentia vel substantia; et similiter est de omni nomine quod essentiam divinam significat, secundum doctrinam beati Dionysii. Si autem attendatur *modus significandi*, cum nullum nomen habeatur quo significetur quid sit Deus vel qualis vel quantus, eo quod dicit Philosophus [Proclus] in libro *de Causis* quod prima causa non nominatur nisi ab effectibus suis qui sunt ab ipsa et est innominabilis per seipsam, sic nomen translatum in divinam praedicationem, proprietatem suam retinere non potest; sed cum significet substantiam cum qualitate et qualitas sit forma a qua imponitur et dicitur nomen, sic cadit a forma quam designat nomen impositum ab effectu [idest, se-

[1] *I Sent.*, d. 2, a. 17c, t. 25, p. 73; d. 3, a. 11c, p. 99b; d. 46, a. 17 ad 5, t. 26, pp. 458-459; *Summa theol.*, I P., tract. 1, q. 5, memb. 4, obi. 8-9 et resp., t. 31, pp. 27-28, 29-30; tract. 3, q. 13, memb. 1c, pp. 55-56; tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, ad obiecta, p. 233b; tract. 14, q. 59, memb. 2c, et ad 2, pp. 589-590; *In Evangelium Matthaei*, XIII, 11-12, t. 20, p. 555; et passim.

cundum quod designatur per nomen quantum ad modum significandi], et negatur haec forma ab ipso, et ponitur supereminentia illius in infinitum: verbi gratia, Deus est substantia, non substantia secundum quod designatur per nomen, sed eminenter super omnem substantiam exsistens»[1]. «Imponentes enim haec nomina respiciebant ad ea quae apud nos sunt, sicut paternitas per prius est in Deo quam in inferioribus, modus tamen quo significatur magis congruit inferioribus: et secundum hoc, huiusmodi nomina non sunt vera de Deo, cum non sint in eo per modum quo significat natura, sed eminenter. Unde, ut totum dicatur, oportet dici, Deus est essentia propter id *cui* nomen imponitur, et non est essentia propter modum significandi, sed est super omnem essentiam propter eminentem modum ipsius»[2].

Et propter hoc, talia nomina, licet transferantur in Deum e creaturis secundum modum significandi, non sunt tamen nomina metaphorica sed propria, quia non transferuntur secundum ipsam rem vel rationem significatam. Qua de re iterum S. Albertus: «duplex est translatio, scilicet secundum rem et secundum nomen. Translatio *secundum rem* in divinis nominibus non est nisi *in symbolicis*, in quibus *transfertur significatio ad significationem*, ut pratum ridet, eo quod quaedam *dilatatio* [gemmarum] generatur in floritione pratorum [sicut labia hominis *dilatantur* quando rideo]; et sic dicitur Deus crapulatus vel ebrius; sicut dicitur Psalmo 77, 65: excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Translatio autem *nominis* est

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 58, memb. 1, qla. 1c et ad 2, t. 31, p. 583. Cf. etiam tract. 6, q. 24, memb. 2, ad 1 secundae assignationis, p. 199b.

[2] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 2, § 7, dub. 1c, t. 14, p. 43b. Cf. etiam *De causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 4, cap. 7, t. 10, pp. 578-580; *I Sent.*, d. 3, a. 10c, t. 25, p. 99b; d. 4, a. 4c, p. 161b; d. 22, a. 1c, p. 567a.

quando nomen non sufficienter repraesentat id ad quod signicandum assumitur, ut omnia nomina dicta de Deo», etiam quae videntur maxime propria[1]; quia «non tota [divinitas] ut est [in se] potest nominari»[2].

Nomina ergo mystica, quae in Deum assumuntur a creaturis secundum analogiam proportionalitatis propriae, idest que dicuntur utrobique «proprie proprietate rei» significatae, et non «per meram translationem similitudinis rei»[3], accipiuntur secundum similitudinem *imaginis* et non secundum meram similitudinem *vestigii* ut nomina symbolica vel metaphorica, quia imago importat convenientiam vel communicationem quandam in *forma* cum exemplari vel prototypo[4].

Quarum similtudinum differentiam perspicue exponit S. Doctor, dicens: «*in quatuor differunt* vestigium et imago. *Unum* est, quod vestigium est *confusa* similtudo *super partem partis tantum*, sed imago est *expressa* similitudo in exterioribus *super totum. Aliud* est, quod vestigium *non dicit convenientiam exteriorum secundum quod ab interioribus causantur*, sicut senectutis, pinguedinis, coloris, pulchritudinis et huiusmodi; sed imago talem *ponit convenientiam in exterioribus, per quae aliquid in interioribus comprehenditur. Tertia* differentia est, quia vestigium est *in omnibus*, sed imago tantum *in creatura digniore et secundum digniorem eius partem. Quarta* est, quod vestigium non ducit nisi *obscure* in attributa personarum; imago autem *aequaliter* in processionem personarum ab invicem et consubstantialitatem earum et etiam aequalitatem»[5].

Quantum vero ad essentialia Dei proprie ducunt pro-

---

[1] *I Sent.*, d. 22, a. 1 ad 6, t. 25, p. 569b.

[2] *Ibid.*, ad 5, p. 568a.

[3] *Ibid.*, corp. p. 567a.

[4] *I Sent.*, d. 3, a. 19, ad 2-5, p. 117b; *In librum Dionysii de Mystica theologia*, cap. 1, § 3, dub. unic., t. 13, p. 825b.

[5] *Ibid.*, ad 7-8, pp. 117-118.

portionaliter essentialia creaturae spiritualis, immo et essentialia cuiuslibet creaturae ut sic prout positive vel negative abstrahunt a materia et corporeitate, ut ens, unum, verum, bonum, pulchrum, essentia, substantia, persona, causa et huiusmodi [1].

Venientes igitur ad *exempla* analogiae *proportionalitatis entitativae* sive ontologicae, occurrit primo ipsum nomen *entis.* Deus dicitur proprie ens, creatura etiam dicitur proprie ens: ens autem dicitur ab esse, nam ens dicitur id *quod est*, et ideo proportionem habet ad esse quo est; sicut ergo creatura se habet ad suum esse quo est creatura ita Creator se habet ad esse suum quo Creator est. Porro creatura ex eo dicitur creatura quod habet esse creatum sive causatum, et consequenter essentiam creatam sive causatam, quae tale esse recipit ut subiectum vel potentia; unde inter essentiam creaturae et esse eius adest realis distinctio et realis compositio: at vero Creator ex eo dicitur Creator, quod habet esse et essentiam omnino increata et incausata, ideoque in eo non differunt realiter sua essentia et suum esse, neque esse eius est ullo modo receptum, sed sua essentia est ipsum suum esse per se subsitens et irreceptum. Et sic inter esse Creatoris et esse creaturae nulla est univocatio, neque pura aequivocatio, quia vere creatura *est* et Creator *est*; sed analogia tantum: «cum ergo primum principium *esse* dicitur et causata *esse* dicuntur, *non est ibi communitas nisi per analogiam*; quae communitas in uno est per se et proprie, in aliis autem per imitationem illius» [2]. Pariter inter essentiam Creatoris et essentiam creaturae est communitas analogiae tantum; quia Deus dicitur essentia qua ipse est suo modo increato et imparticipato, dum creatura dicitur essentia qua ipsa est suo modo participato et creato [3]. Consequenter adest proportionalitas propria inter proportionem essentiae creatae ad suum esse et proportionem essentiae increatae ad suum, quia sicut set habet essentia creata recipiens ad esse creatum receptum ita se habet essentia increata irrecipiens ad esse increatum irreceptum [4]. Nimirum Creatori convenit esse

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 6 per totum, t. 31, pp. 194-303.

2 *De Causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 1, cap. 17, t. 10, p. 462b.

3 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, t. 31, p. 596a.

4 *I Sent.*, d. 2, a. 13-14, t. 25, pp. 69-71; *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 58, memb. 2, t. 31, pp. 586-587.

essentialiter sive secundum quod ipse, quasi in primo modo dicendi per se; creaturae autem non convenit esse essentialiter et secundum quod ipsa sive per se primo, sed per aliud, idest per Deum qui est propria causa ipsius esse creaturae, ideoque convenit ei extra essentialiter seu accidentaliter: non quidem quod *esse* creaturae sit accidens, sed quia *accidentaliter* convenit ei; «hoc enim modo *accidit* [aliquid alicui] quod secundum quod isum non convenit [ei], et hoc modo esse *accidit* his quae sunt et creata sunt quia secundum id quod sunt non convenit eis, sed secundum hoc quod dependent ad alterum» [1]. Deus igitur est propriissime *Qui est*, quia esse convenit ei secundum quod ipse, utpote idem re cum sua essentia: nam «*proprie* est in quo est idem quod est et esse; in quo enim diversum est quod est et esse, per aliud est quam ipsum sit» [2].

Eodem modo Deus dicitur proprie *substantia* [3]; et creatura, puta homo, angelus, lapis, dicitur proprie substantia: non quidem univoce, quia nihil est univoce commune Deo et creaturis [4]; neque pure aequivoce, quia est aliqua vera et realis convenientia sive in ratione significata per nomen; sed analogice, iuxta illud S. Alberti: «in communitate huius termini *substantia*, continetur Deus communitate *analogiae*» [5].

Et quidem communitate analogiae proportionalitatis propriae quantum ad rem vel rationem significatam per nomen, non autem quantum ad modum significandi. Nam quoad rem formaliter significatam per nomen, substantia nominat primum ens in se exsistens et non in alio sicut in subiecto, causans tamen et sustentans alia entia. Hoc autem formaliter et eminenter convenit Deo: nam Deus est primum ens simpliciter, idest totaliter et absolute primum, et ante quod nullum est aliud; ipse etiam

---

1 *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 19, memb. 3, ad 1, t. 31, p. 130a.

2 *Ibid.*, memb. 1c, p. 126a.

3 Substantia «*proprie* convenit Deo et non per similitudinem» (*Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 56, ad 2, t. 31, p. 575b).

4 «Creator et creatura secundum nihil univocantur» (*I Sent.*, d. 8, a. 7, obi. 3, t. 25, p. 228b); «non est aliquid univocum creaturae et Creatori sicut unius rationis exsistens in utroque, sed convenire potest aliquid secundum prius et posterius» (*Ibid.*, ad 3, p. 229a). Cf. etiam d. 25, a. 2, obi. 2, p. 628b; d. 35, a. 1, arg. 2 sed contra, t. 26, p. 176b; d. 46, a. 12, sed contra, p. 445a; et passim in ceteris operibus.

5 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, ad 7, t. 31, p. 596b.

est causa absolute prima omnium entium; ipse quoque omnia alia entia sua virtute sustentat in suo esse, quia «est in se subsistens et omnia subsistere faciens»[1]. Sicut ergo substantia creata est primum ens respectu aliorum entium praedicamentalium sive accidentium, ita Deus est primum ens simpliciter sive respectu omnium omnino entium; et sicut substantia creata est principium et causa suorum accidentium ita Deus est principium et causa omnium prorsus entium praeter seipsum: et sicut substantia creata subsistit in seipsa et non in alio sicut in subiecto, cetera autem quae ipsi inhaerent, sustentat, ideoque ipsa non dependet a suis accidentibus, sua vero accidentia dependent ab ipsa; ita Deus in seipso et per seipsum subsistit, independenter a quolibet alio, cetera vero omnia dependent ab ipso ab eoque sustentantur in esse.

Haec tamen omnia conveniunt utrique substantiae suo quoquo modo, non eodem modo prorsus. Nam substantiae creatae convenit esse primum ens modo quodam limitato tantum et relativo, idest respectu accidentium tantum; substantiae vero increatae convenit esse primum ens modo prorsus absoluto et illimitato, nempe respectu omnium entium creatorum et creabilium: substantiae creatae convenit esse principium et causa relative tantum et limitate, hoc est, respectu suorum accidentium connaturalium tantum; substantiae autem increatae convenit esse principium et causa absolute et absque ulla limitatione, nempe respectu omnium omnino entium creatorum et creabilium: substantiae creatae convenit esse in se et non in alio sicut in subiecto inhaesionis, non tamen convenit ei esse a se, sed ab alio sicut a causa; substantiae vero increatae non solum convenit esse in se et non in alio sicut in subiecto, verum etiam esse a se et non ab alio sicut a causa: substantiae creatae convenit sustentare alia sicut subiectum cui inhaerent; substantiae autem increatae convenit sustentare cetera, non sicut subiectum inhaesionis, sed ut pura et prima causa: substantiae creatae convenit esse, quod non est ipsa sed actus eius ab ea realiter distinctus; substantiae vero increatae convenit esse quod est ipsamet nec ab ea realiter distinguitur, cum ipsa sit actus purus et simplicissimus omnem excludens compositionem. Quae omnia S. Albertus uno verbo tetigit dicens quod «Deus dicitur

---

[1] *De Causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 4, cap. 7, t. 10, p. 579b.

substantia qua in se subsistit, alio non indigens creaturae modo [hoc est, alio non indigens eo modo quo omnis creatura indiget alio, Creatore scilicet]; et creatura dicitur substantia qua in se subsistit, alio indigens creaturae modo», nempe indigens Creatore, eo modo quo omnis creatura eget Creatore ut sit et ut conservetur in esse a Creatore recepto[1]. Sicut enim substantia creata dicitur ens in se et non indigens alio, eo modo quo accidens eget alio cui insit; ita substantia increata dicitur ens in se et a se et non indigens alio, ullo modo indigentiae, idest neque modo indigentiae in alio sicut accidens, neque modo indigentiae ab alio sicut substantia creata: quia divina «substantia dicitur ens non per alterum, quod dividitur contra ens *ab alio* [hoc est, substantiam creatam] et ens *in alio*», idest contra accidens[2].

Et propter hoc, nomen substantia non transsumitur ad Deum secundum id a quo nomen imponitur neque secundum modum quo convenit substantiae creatae, cui etiam primo tale nomen est impositum. Nomen enim substantiae a *substando* dictum est, ex eo nempe quod substat accidentibus; vel ex eo quod, sicut prima substantia, quae maxime substantia est substat secundae[3]; et ideo importat modum proprium substantiae creatae, quae *sub* accidentibus *stat* et *sub* eis *iacet* ut eorum *subiectum*. Talis autem modus involvit imperfectionem quandam, quia importat modum quasi *materiae in qua*; et insuper, quatenus *creata* intelligitur, includitur modus dependentiae ab alio. Quando ergo tale nomen ad divina transsumitur, oportet ab eo removere omnem huiusmodi imperfectionem et in infinitum elevare rationem essendi in se quam directe et essentialiter significat, ut possit utcumque significari modus proprius substantiae increatae. Et ideo S. Albertus loquens de substantia divina, scribit: «substantia non a substando dicitur, sed ab eo quod est per se esse; et propter indigentiam esse, nullo indigere et ad nihil dependere. Sic enim Deus solus substantia est; omne enim creatum propter indigentiam esse, dependet ad Creatorem: et sic in seipso subsistit Deus, nullo indigens ut sit»[4].

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, ad 6-7, t. 31, p. 596a.
[2] *I Sent.*, d. 8, a. 32c, t. 25, p. 266b.
[3] *Ibid.*, *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 43, memb. 2, ad 3, t. 31, pp. 455b-456a.
[4] *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 56c, t. 31, p. 575a. Cf. etiam *ibid.*, q. 58, memb. 1c, et ad 3, pp. 583, 584; tract. 4, q. 20, memb. 3,

Similiter *persona* dicitur *proprie* de Deo et de angelis et de hominibus, quia persona nominat id quod est «*ultimum et perfectissimum* rationalis naturae; ergo personalitas *ultimam* dicit *perfectionis rationem*: quidquid autem *perfectionis* est, Deo attribui debet [proprie]; ergo ratio personalitatis Deo attribui debet, et maxime»[1]. Et quidem *analogice*: «persona dicta de divinis et de angelis et de hominibus, *non dicitur univoce*»[2], neque pure aequivoce[3], sed *medio modo*, scilicet *secundum prius et posterius*[4]: «personalitas per prius et posterius est in Deo et in angelis et in hominibus..., et ideo sufficit *convenientia proportionis*»[5]; ratio personalitatis convenit eis [=divinis], licet *non omnino eadem ratione* qua invenitur personalitas in natura humana et angelica»[6]. Dicitur ergo de his omnibus analogia proportionalitatis propriae.

Id quod evidenter apparet considerando notionem classicam personae a Boetio traditam, scilicet *rationalis naturae individua substantia*, «quae data est de communi intentione personae prout se communiter habet ad Deum et angelum et hominem»[7]. Ambo enim membra eius, ideoque et tota notio ex eis conflata, sunt analogice sumenda, prout videre est singula percurrendo.

Sic «*rationalis natura pro intellectuali* ponitur»[8], nempe analogice, iuxta illud S. Doctoris: «quando dividitur *natura intellectualis* per tria [scilicet per divinam, angelicam et humanam], *non est divisio generis in species*, quia natura divina non est in eodem genere cum angelica et humana, et angelica non est in eodem genere cum humana; *sed est divisio eius quod per prius et posterius attribuitur illis tribus*: natura enim divina, intellectualis est primo et per seipsam; et angelica natura et humana dicuntur intellectuales per analogiam sive proportionem

circa finem, p. 146a; *De causis et processu universitatis*, lib. II, tract. 4, cap. 7, t. 10, pp. 578-580.

[1] *I Sent.*, d. 23, a. 1, arg. 6 sed contra, t. 25, p. 581a.

[2] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 1, ad 1 partem quaestionis, t. 31, p. 468a.

[3] *I Sent.*, d. 25, a. 2 ad 2, t. 25, p. 629b; *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 46, ad 8, t. 31, p. 493a.

[4] *Summa theol.*, loc. cit., obi. 8, p. 490b; *I Sent.*, loc. cit., corp. p. 629a.

[5] *II Sent.*, d. 3, a. 5, ad 1, t. 27, p. 69b.

[6] *I Sent.*, d. 23, a. 1c, t. 25, p. 581a.

[7] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 2c, t. 31, p. 474a; *I sent.*, d. 25, a. 1, circa finem, t. 25, p. 628b.

[8] *Ibid.*, ad 1 contra definitionem primam, pp. 474-475.

ad ipsam»[1]. Et ideo iure scribit alio in loco: «*rationale* dicitur communiter [=analogice] et proprie [=univoce]. *Communiter*, prout *per prius et posterius* est in divina, angelica et humana natura, et tunc *rationalis* natura [idem sonat ac *intellectualis*, prout natura intellectualis est] *discretiva veri et falsi, et boni et mali*: *proprie* autem sumitur prout dicit Isaac quod ratio incipit in umbra intelligentiae», scilicet «ratio *inquirens et studens et discursitans*..., et ideo cadit in definitione hominis et est differentia divisiva animalis»[2]. In hac ergo descriptione sumitur *rationalis* natura analogice sive communiter, non proprie sive univoce, quia tunc solum conveniret personae humanae prout reduplicative humana est.

Similiter et aliud membrum, scilicet *substantia individua*. Ratio enim *substantiae* analogice dicitur de Deo et creaturis, ut patet ex dictis. Pariter ratio *individui*: nam de ratione primaria et formali individui est esse ultimo et perfecte *distinctum* a quolibet alio, quasi per se solum exsistens et omnino incommunicabile[3], et ideo formalissime «importat ipsum distinctum secundum quod est distinctum» ultima distinctione substantiali[4], quomodocumque talis ultima distinctio vel individuatio habeatur. Haec enim distinctio diversimode contingit pro diverso modo substantiae intellectualis. In Deo namque nulla est distinctio personalis absoluta, sed *solum relativa* ex oppositione relationum secundum originem unius personae ab alia vel ab aliis, quae simul stat cum absoluta identitate naturae et substantiae et esse; in creatis vero talis distinctio personalis est semper *absoluta*, quia in eis sunt totidem substantiae individuae a se invicem distinctae quot sunt personae, utpote in quibus semper adest compositio ex substantia et accidentibus, et iterum ex substantia et esse sive ex *quod est* et *quo est*. Haec tamen discretio non contingit eodem modo in angelis et in hominibus; quia in hominibus habetur ex determinatione materiae propriae et ex ordine ad proprium esse, in angelis autem ex ordine ad proprium esse tantum et non ex determinatione propriae materiae: utrobique tamen

[1] *Summa de creaturis*, I P., tract. 4, q. 28, a. 2 ad 2, t. 34, p. 496.

[2] *I Sent.*, d. 25, a. 1 ad 2, t. 25, p. 626b.

[3] *I Sent.*, d. 23, a. 6 ad 2, t. 25, p. 599b; d. 25, a. 1, ad qla. 4, p. 628a; d. 26, a. 4c, t. 26, p. 8b; *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 2, ad illud quod in communi obiicitur contra omnes, t. 31, p. 476b; q. 46 ad 5, p. 492b.

[4] *I Sent.*, d. 26, a. 4 ad 1, t. 26, p. 8b.

collectio accidentium individualium ostendit personalem et substantialem discretionem; humanam quidem collectio accidentium corporalium et spiritualium, angelicam vero collectio accidentium spiritualium tantum [1].

Haec igitur formula classica, licet *quoad modum* quo verba sonant et significant soli personae humanae, ut reduplicative humana est, conveniat; *quoad rem tamen et rationem sive quoad substantiam significatam* per ipsa convenit analogice omni generi personarum, cum formalissime dicat *subsistens distinctum intellectuale*, idest intellectualis naturae. Et ideo monet S. Doctor quod *res* significata per hanc formulam «magis proprie est in divinis quam in creaturis», licet secundum *usum* vel *modum* significationis nominum conveniat magis proprie personis humanis [2], quia iste modus indicat praecise ea quae sunt propria personae humanae ut humana est et ut contradistinguitur a persona angelica et a persona divina [3].

Quapropter, sicut persona in humanis est subsistens distinctum intellectuale secundum suum modum, idest secundum modum subsistentiae, distinctionis et intellectualitatis convenientem hominibus: ita persona in angelis est subsistens distinctum intellectuale secundum modum suum, hoc est, secundum modum subsistentiae, distinctionis et intellectualitatis convenientem angelis; et sic etiam persona in divinis est subsistens distinctum intellectuale secundum suum modum, nempe secundum modum subsistentiae, distinctionis et intellectualitatis convenientem Deo. Qui quidem modi proprii, licet diversi genere sint sicut et personalitates eis correspondentes, praesertim si agatur de modo et personalitate in Deo qui toto caelo differunt a modo et personalitate in angelis et hominibus, revera tamen proportionaliter conveniunt proportionalitate propria uniuscuiusque ad sua [4].

Quod si ulterius ascendamus ad ipsas tres divinas personas, quibus quaedam etiam personalitas communis convenit in suo

---

[1] *I Sent.*, d. 23, a. 1, arg. 5 sed contra et ad 1-2, t. 25, pp. 580-581; a. 2c, p. 585b; *II Sent.*, d. 3, a. 6 per totum, t. 27, pp. 69-70; *Summa de creaturis*, I P., tract. 4, q. 28, a. 1 per totum, t. 34, pp. 494-495; *Summa theol.*, I P., tract., 10, q. 44, memb. 2, ad 1 contra 3 definitionem, t. 31, pp. 475-476; q. 46, ad obiecta, pp. 492-493; II P., tract. 4, q. 15, memb. 1, ad 1-5, t. 32, p. 205.

[2] *I Sent.*, d. 25, a. 1c, t. 25, p. 626a; a. 2c, et ad 1, p. 629.

[3] *I Sent.*, d. 23, a. 2c, p. 585b.

[4] *I Sent.*, d. 23, a. 3, ad 4-6, p. 590; *II Sent.*, d. 3, a. 5, ad 1, t. 27, pp. 69-70.

modo divino, dicendum est hic quoque habere locum analogiam quandum proportionalitatis propriae, longe tamen diversam a modo analogiae praecedentis, quia potius accedit ad modum proportionalitatis quasi univocae. In divinis enim persona ut communis intelligitur personae Patris et personae Filii et personae Spiritus Sancti, «non dicit relationem in se determinatam, sed in quadam communitate proportionis» sive proportionalitatis [1]; «quia Pater est *quis* habitudine hypostasis ad suam proprietatem, et Filius est *quis* habitudine suae hypostasis ad suam proprietatem, et hae habitudines faciunt commune proportionis vel proportionalitatis» [2].

Quae quidem communitas non est omnino communitas univoci, licet imitetur quodammodo univoci communitatem. «Quamvis enim non ab una et eadem personalitate Pater sit persona, Filius sit persona, Spiritus Sanctus sit persona, sicut ab una et eadem deitate Pater est Deus, Filius est Deus: tamen a simili *respectu* hypostasis Patris ad proprietatem personalem et ad naturam communem, et hypostasis Filii ad proprietatem suam et naturam communem, et similiter hypostasis Spiritus Sancti, *causatur communis praedicatio personae de tribus*; quae praedicatur de tribus, non ut commune naturae, sed ut *commune habitudinis sive proportionis* ad unum, quod imitatur univocum in hoc quod in pluribus aequalem et coaequaevum ad unum et idem ponit respectum» [3].

Eodem iure Christus Jesus dicitur vere et proprie *Filius Dei*; homines etiam iusti vere et proprie dicuntur *filii Dei*, et non per meram metaphoram: non tamen univoce dicitur filiatio Dei de Christo et de iustis, sed analogice analogia proportionalitatis propriae. Sicut enim Christus Jesus est Filius Dei naturalis per unionem hypostaticam qua divina natura Verbi unitur substantialiter humanae naturae Christi, ita homo iustus est filius Dei adoptivus per unionem accidentalem gratiae sanctificantis qua anima iusti unitur Deo. Nam «forma Dei in homine facit hominem filium Dei...: sicut enim forma Dei in homine Christum fecit Filium Dei per naturam et unionem in esse, ita haec forma

---

[1] *I Sent.*, d. 22, a. 6c, p. 576a; d. 23, a. 5 per totum, pp. 595-597.

[2] *I Sent.*, d. 26, a. 5, ad 1, t. 26, p. 10b.

[3] *Summa theol.*, I P., tract. 10, q. 44, memb. 1, ad 3 contra 4 sententiam, t. 31, pp. 470-471. Cf. etiam *ibid.*, q. 43, memb. 2, a. 1, ad 4, p. 459b.

coniuncta in nobis per gratiam adoptionis facit nos Dei filios per adoptionem» [1].

Pariter, anima est proprie *vita* corporis, et Deus per gratiam suam est proprie *vita* animae; dicitur tamen vita de anima respectu corporis et de gratia respectu animae per analogiam proportionalitatis, quia «sicut anima est vita corporis ita Deus [per gratiam suam] est vita animae». Cuius quidem proportionalitatis licet «non in omnibus sit similitudo, sed in quibusdam» tantum —secus enim esset univocatio—, haec tamen partialis et imperfecta similitudo plene sufficit ad veram analogiam, quam S. Albertus exponit hisce verbis: «sicut anima indeficiens principium est vitae corporis quantum est de se, et si corpus non vivificatur indifferenter ab ipsa hoc non est ex parte animae sed potius propter corruptionem ipsius corporis; ita et Deus indeficiens principium est vitae animae de se, et si anima non semper vivificatur hoc accidit propter ipsius animae corruptionem et a fonte vitae aversionem. Item in hoc est *similitudo*, quod sicut nulla vita est in corpore nisi ea quae est continuus actus animae in corpore, cuius esse est fieri continue ab ipsa animae, ut videtur etiam dici in libro *de Motu cordis*: ita nulla vita gratiae est in anima nisi per continuam praesentiam Dei inhabitantis in nobis per gratiam.

Dissimilitudo tamen est in hoc quod Deus non unitur animae ad constitutionem alicuius tertii sicut anima corpori unitur; et in hoc quod Deus non est actus naturalis animae sicut anima corporis» [2].

Rursus, ita se habet *gratia* sanctificans *ad virtutes infusas* sicut se habet *anima ad eius naturales potentias*; et ideo sicut anima se habet ad eius potentias ut totum potentiale ad suas partes potestativas, ita gratia habitualis se habet ad virtutes infusas ut totum potentiale ad eius partes potestativas; et sicut totum potentiale differt re et essentia a suis partibus potentialibus ita anima differt re et essentia a suis potentiis, et similiter gratia sanctificans a virtutibus infusis. «Videtur mihi impossibile esse quod gratia et virtus sint idem per essentiam, sed per substantiam aliquo modo possunt esse idem, *sicut anima cum suis potentiis*; quia *natura* animae *subsistit* omnibus potentiis, et *potestas* ipsius *completur* in eis, cum tamen secundum

[1] *In Evangelium Joannis*, I, 12, t. 24, p. 47a.
[2] *IV Sent.*, d. 17, a. 7c, t. 29, p. 669a.

se habeat actum dandi vitam, secundum quem actum est perfectio prima corporis: quia, ut dicit Philosophus, viventibus est esse, sicut sentire est sentientibus et intelligere intelligentibus; et, ut breviter dicatur, sicut cuiuslibet formae substantialis primus actus in eo cuius est forma, est esse illius formati. *Ita* videtur mihi quod gratia *subsistit* virtutibus omnibus gratum facientibus, et actus suus est vita spiritualis animae; et virtutes accipiunt essentiam a proprietatibus additis, *sicut* proprietates naturales additae animae faciunt potentias: et illae proprietates *essentialiter* non sunt gratia, licet gratia *subsistat* eis; et illae proprietates quia diversae sunt, ideo sunt habitus diversi, respicientes actus et obiecta diversa», sicut potentiae animae plures et diversae sunt, cum tamen ipsa anima sit una [1].

Consequenter, «sicut est in anima sic est etiam in gratia, et sicut est in potentiis animae ita est in virtutibus et ceteris gratiis spiritualibus. Sed anima, ut dicit Philosophus in II de Anima, est actus totius et dans esse toti corpori; et partes animae, quae sunt potentiae, dant esse partibus corporis: unde ipse dicit quod si oculus esset animal, visus esset anima eius; et oculus caecus aequivoce dicitur oculus, sicut animal mortuum aequivoce dicitur animal; unde patet quod sicut est esse primum ab anima in natura animalis, ita est esse primum in partibus a partibus animae. *Et ita proportionaliter loquendo est in esse spirituali quod est a gratia*, quae dat esse spirituale animae; et partes eius dant partibus animae: et virtutes quidem dant esse spirtuale potentiis quoad opera, gratia autem sacramentalis dat quoad contrarii expulsionem» [2].

Ergo «sicut anima est actus dans esse secundum se, et secundum potentiam est principium operationum; ita gratia est habitus faciens esse bonum, et secundum virtutes perficit ad actum: et ideo bene concedo quod sicut actus formae qui est esse est continuus, vel potius unus indivisibilis manens; ita actus gratiae qui est esse bonum est unus continue manens» [3]. Unde «sicut habitus virtutis elevat potentiam ad hoc quod possit in actum virtutis perfectum, ita habitus gratiae et elevat animam operantem et opus eius ut efficiatur meritorium vitae aeternae» [4]; et ideo «habitus gratiae refertur ad essentiam» animae, habitus

[1] *II Sent.*, d. 26, a. 11c et ad 1, t. 27, p. 467; a. 13, p. 469.
[2] *IV Sent.*, d. 7, a. 5, qla. 1, ad 1 et 2, t. 29, p. 163.
[3] *II Sent.*, d. 26, a. 2, ad qlam. t. 27, p. 447b.
[4] *Summa theol.*, II P., tract. 16, q. 98, memb. 2c, t. 33, p. 227b.

autem virtutis infusae «respicit potentiam radicatam in essentia» [1].

Item *pulchritudo* dicitur analogice analogia proportionalitatis propriae de diversis generibus pulchritudinis. Nam «sicut ad pulchritudinem corporis requiritur quod sit proportio debita membrorum et quod color supersplendeat eis, quorum si alterum deesset, non esset pulchrum corpus; ita ad rationem universalis pulchritudinis exigitur proportio aliqualium ad invicem, vel partium, vel principiorum, vel quorumcumque, quibus supersplendeat claritas formae» [2]. Et ideo «sicut corporibus decor sive pulchritudo est, ut dicit Philosophus in *Topicis*, commensuratio partium elegans, sive, ut dicit Augustinus, commensuratio partium cum suavitate coloris, quae commensuratio attenditur in debita quantitate et debito situ et debita figura et debita proportione partis cum parte et partis ad totum; ita in essentialibus commensuratio est constituentium et ad se invicem et ad formam totius; et in spiritualibus commensuratio est virium, quae sunt partes potestativae, et ad se invicem et ad totum, et in hac commensuratione consistit pulchritudo spiritualis» [3]. Tandem, «sicut pulchritudo naturalis est ex victoria formae super materiam, propter quod servat ipsam in decenti figura et colore; ita pulchritudo divina dicitur ex eo quod formae ideali, quae est in mente eius, subditur materia ut disponatur secundum quod decet, et talem pulchritudinem accipere in fulgore divinae lucis, secundum ea quae pertinent ad ordines [angelorum], proprium est huius Ordinis», scilicet Cherubim [4].

Plura etiam dedit *exempla* analogiae *proportionalitatis propriae operativae seu dynamicae*. Sic nomen *principii* dicitur de Deo in quantum est *principium* omnium rerum extra ipsum per creationem; dicitur etiam de Deo Patre in quantum est *principium* Filii per generationem; dicitur quoque de Patre et Filio

---

[1] *Ibid.*, memb. 4, ad 1 et 2, p. 231.

[2] *In librum Dionysii de Divinis nominibus*, cap. 4, inter opuscula spuria S. Thomae, ed. P. Mandonnet, t. 5, pp. 425-426.

[3] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 2, particula 3, ad obiecta, t. 31, p. 242a. «Decor autem consistit in membro vel corpore disposito, eo quod decor videtur esse quaedam elegans commensuratio componentium secundum decentiam proportionatae qualitatis et congruentiam corporis» (*III Topicorum*, tract. 1, cap. 3, t. II, p. 336b).

[4] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 7, § 5, dub. 2, ad 5, t. 14, p. 173a.

in quantum sunt *principium* Spiritus Sancti per spirationem: et quidem analogice analogia proportionalitatis propriae, quia proprie conveniunt Deo omnes istae *significationes* principii, licet non sit alia et alia *res* cui tales significationes attribuuntur, cum unus idemque Deus sit qui est principium creaturarum et principium personarum sed istae distinctae significationes sumuntur secundum distinctionem terminorum sive principiatorum quae connotantur.

Et inde est quod proportionalitas significationum huiusmodi accipienda est ex proportionalitate processionum et terminorum connotatorum. Cum enim principium sit id a quo aliquid procedit quocumque modo, tot modis Deo convenit esse principium quot modis aliquid ab eo procedit. Sicut ergo alia est processio temporalis qua creaturae procedunt a Deo ad extra per creationem, et alia processio aeterna qua Filius procedit a Deo Patre ad intra per generationem et alia processio aeterna ad intra qua Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio per spirationem: ita et alio modo convenit Deo esse principium creaturarum, scilicet ad extra et ex tempore; et alio modo convenit Deo Patri esse principium Filii, et alio modo convenit Patri et Filio esse principium Spiritus Sancti, licet isto duplci modo conveniat Deo esse principium ad intra et ab aeterno. Semper tamen salvatur haec proportionalitas, scilicet quod sicut Deus est principium creaturarum suo modo, scilicet ad extra et ex tempore; ita Deus Pater est principium Filii suo modo, nempe ad intra et ab aeterno et per generationem; et similiter Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti suo modo, videlicet ad intra et ab aeterno et per spirationem [1].

Et cum principium habeat rationem potentiae activae perfectae, eadem proportionalitate dicitur nomen potentiae de divinis, scilicet potentia creandi, potentia generandi Filium et potentia spirandi Spiritum Sanctum [2].

Sic etiam *generatio* dicitur de divinis et de humanis secundum proportionalitatem propriam. «Generatio enim substantia-

---

[1] *I Sent.*, d. 29, a. 1, t. 26, p. 75; a. 3c, p. 77; a. 8c, pp. 84-85; d. 11, a. 1-2, t. 25, pp. 336-339; *Summa theol.*, I P., tract. 9, q. 41, memb. 1, a. 1-2, t. 31, pp. 427-429; tract. 7, q. 31, memb. 5, qla. unica, p. 337.

[2] *I Sent.*, d. 7, a. 4, t. 25, p. 210; d. 11, a. 5, pp. 343-344; d. 20, a. 2-3, pp. 546-547; *Summa theol.*, I P., tract. 19, q. 76, qla. 3. t. 31, p. 796b.

lem naturae communicabilis dicit diffusionem a generante in genitum», secundum suam formalem significationem[1]: talis autem diffusio substantialis naturae convenit proprie generationi humanae et generationi divinae, licet utrobique suo modo. Sicut ergo homo pater communicat filio suo naturam humanam per generationem, ita Deus Pater communicat Filio suo naturam suam divinam per generationem aeternam. Et quidem, quoad ipsam rem significatam, per prius multoque perfectius convenit Deo quam hominibus; quia Deus Pater communicat Filio eandem numero naturam divinam quam ipse habet, dum homo pater solum communicare potest filio suo eandem naturam specie, non numero: sed secundum rationem usitatam in nomine, idest quoad modum significandi, generatio, sicut et paternitas et filiatio, per prius dicuntur de humanis, quae et prius cognoscimus et prius nominamus[2]. «Unde Anselmus dicit quod pater et vita et huiusmodi, licet nobis secundum rem descendant a Deo, ad nos tamen familiarius sonat nomen patris patrem carnalem hominem quam Deum»[3].

Eodem modo *spiratio* dicitur de divinis et de humanis. Sicut enim homo spirans communicat spiritum suum emittendo ipsum, ita Pater et Filius communicant naturam suam Spiritui Sancto per emissionem vel spirationem quandam[4]. Et sicut se habet filiatio supernaturalis adoptiva iustorum ad filiationem naturalem Christi Jesu, ita se habet spiritus filii adoptivi ad Spiritum Filii naturalis: «sicut enim spiritus carnalis patris format filium in formam patri similem secundum naturam, et filii ad patrem inclinat affectum, et facit filium patrem invocare; ita Spiritus Patris caelestis in sacramento [baptismi] per gratiam format baptizatum in formam et assimilationem Patris caelestis, et mutat cordis affectum ad eum, et movet ad eum invocandum»[5].

Sed paesertim analogia proportionalitatis propriae inter Deum et creaturas ostenditur in *imagine similitudinis* quam homo habet ad Deum secundum animam[6]. Sic enim homo est ad imaginem Dei, in quantum aliquo modo imitatur ipsum, quin tamen ullo modo aequet prototypum, hoc in sensu «quod sicut ex Patre procedit Filius et ex Patre et Filio Spiritus Sanctus, et [omnes tres personae] sunt unius essentiae et unius substantiae; ita ex mente sive ex memoria procedit intelligentia sive notitia et ex memoria sive mente et intelligentia procedit amor sive voluntas naturalis: et sicut Pater totus est in Filio, et Filius in Patre; ita tota mens sive memoria est in intelligentia, et e converso intelligentia in memoria, et in utraque amor, et e converso memoria et intelligentia in amore naturali qui ab ipsis procedit; et sicut tres personae una sunt essentia et una substantia in divinitate, ita potentiae in anima rationali sunt una essentia, una substantia, una vita et una anima»[1].

Deus etiam dicitur *sapiens* et *iustus* secundum analogiam proportionalitatis propriae ad hominem sapientem et iustum: sicut enim homo sapiens se habet suo modo ad suum intelligibile penetrandum pro suo posse ,ita Deus se habet suo modo ad suum intelligibile plenissime comprehendendum et penetrandum; et sicut homo iustus se habet ad suum actum reddendo unicuique quod suum est, ita Deus iustissimus se habet ad suum plenissime reddendo unicuique quod suum est[2]. Et quantum ad scientiam practicam, «sicut artifex producit diversa in forma propter diversas rationes figurarum quas habet apud se; ita etiam cum apud Deum sint diversae species rerum, producuntur ab ipso ex ordine sapientiae diversa in forma». Uterque tamen suo quoquo modo: artifex enim creatus, cum non causet nisi transformando, «producit formam tantum»; Deus autem, ex eo quod causat res per creationem, producit «totam rem» quantum ad totam eius substantiam[3]. Sicut enim creare est proprius modus causandi primae causae, ita transformare est proprius modus causandi causae secundae; eo quod creare est virtutis

---

[1] *Summa theol.*, I P., tract. 7, q. 30, memb. 2c, et ad 1, t. 31, p. 310a; *I Sent.*, d. 4, expositio textus, t. 25, p. 153a.

[2] *I Sent.*, d. 4, a. 4c, t. 25, p. 161b; *Summa theol.*, I P., tract. 7, q. 30, memb. 2c et ad obi. 1-2, t. 31, p. 310.

[3] *I Sent.*, d. 2, a. 17c, t. 25, p. 73b; d. 4, a. 2c, p. 157b.

[4] *I Sent.*, d. 11, a. 5c, t. 25, p. 344a.

[5] *In Evangelium Joannis*, III, 9, t. 24, p. 122b.

[6] Nam solum Verbum in divinis est imago perfecta et aequiparantiae ad Deum Patrem: creatura vero intellectualis et homo secundum animam suam prout est spiritus non possunt esse nisi imago imperfecta et similitudinis per quandam imitationem (*II Sent.*, d. 16, a. 1c, t. 27, p. 287).

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 12, q. 75, qla. 1c, t. 33, p. 29b. Cf. etiam *ibid.*, circa finem quaestionis, p. 32b; tract. 2, q. 6, memb. 2, obi. 11, t. 32, p. 126b.

[2] *Summa theol.*, I P., tract. 6, q. 26, memb. 1, a. 1, qla. 2, ad obiecta, t. 31, p. 233b; tract. 14, q. 59, memb. 4, ad 5-7, p. 596; II P., tract. 4, q. 13, memb. 3c, t. 32, p. 163; *I Sent.*, d. 35, a. 1, t. 26, pp. 176-177.

[3] *In librum Dionysii de caelesti hierarchia*, cap. 1, § 2, dub. 3c, t. 14, p. 16b; *Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 3, a. 1c et ad 1, t. 32, pp. 25-26.

infinitae, «*nihil* enim et *aliquid* distant *in infinitum*»[1], et «sicut se habet opus finitum ad virtutem finitam ita opus infinitum ad virtutem infinitam»[2]. Non quidem quod opus ipsum creatum sit infinitum; sed quia distantia inter non-esse simpliciter, quod est nihilum, et ens simpliciter, quod est tota substantia entis creati, est infinita, et ideo ex ente creato possumus infinitam Dei potentiam cognoscere, quatenus «sicut increatum se habet ad effectum vel ad opus proprietate increati secundum facere, sic creatum ad idem opus se habet secundum proprietatem creati et secundum fieri: et hoc modo creatum, medium est quoad nos ad increatum cognoscendum»[3].

Pervenimus tamen ad notionem ipsius modi *creationis* per analogiam proportionalitatis propriae ad modum eductionis vel simplicis effectionis; nam sicut facere sive efficere est producere aliquid ex non-ente *hoc* vel *tali*, ita creare est producere aliquid ex non-ente simpliciter et absolute. Nec enim intellectus noster potest proprie et directe definire actionem Dei, idest creationem, sicut nequit definire ipsum Deus, sed solum notificat eam per analogiam sive comparationem ad actionem creaturarum: quae tamen notificatio non est undequaque perfecta et adaequata, sed deficiens, «quemadmodum [et omnia] similia deficiunt; unde cum intellectus [noster] non possit in actionem primi nisi per similitudinem inventam in actionibus aliorum, definit actionem primi per comparationem ad actiones alias»[4].

Idem dic de *deiformitate* prout de Deo et de angelis verificatur et a Deo ad angelos ordinate descendit. Nam «*deiforme* dicit creatum formatum ad similitudinem formae Dei proportionaliter: dicit enim habitum scientiae formatum ad similitudinem scientiae divinae, eo quod lumine divino perfunditur; et dicit actionem quae supernaturaliter et superessentialiter est in Deo: et est in angelo proportionaliter ad similtudinem Dei participative, hoc modo quod sicut Deus lumen quod in ipso est et essentiale sibi est agit in alium transfundendo, ita participans lumen illud agat participatum sibi lumen in alium sibi inferiorem, illuminando et communicando sibi lumen perceptum,

---

[1] *I Sent.*, d. 3, a. 7c, t. 25, p. 97b.
[2] *Summa de creaturis*, I P., tract. 1, q. 1, a. 4, arg. sed contra, t. 34, p. 313b.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 3, q. 15, memb. 1, qla. 2, ad 1, t. 31, p. 81a.
[4] *Summa de creaturis*, I P., tract. 1, q. 1, a. 2, qla. 2, t. 34, p. 311.

et sic reducat eum in lumen divinum, ut sic perficiat ipsum»[1]. Talis enim similitudo inter creatorem et creaturam est proportionalitatis, «quia sicut Deus per theophanias transfundit mundissimum et clarissimum lumen in subiectam creaturam; ita participans illud lumen angelus, transfundit in alium» sibi subiectum secundum modum suum[2].

Quod et proportionaliter valet de *conformitate voluntatis* humanae et voluntatis divinae. Etenim «si considerantur voluntas divina et voluntas hominis secundum *essentiam*, non potest esse conformitas, quia sic distant in infinitum; si autem considerantur secundum *proportionem ad aliquid*, quod sit vel causa efficiens volendi, vel forma volendi, vel materia ut volitum circa quod sint voluntas Dei et hominis, vel finis voluntatum, tunc non distant in infinitum, quia *proportionantur ad unum*, et in illo possunt conformari et conformantur»[3]. «Homo enim potest velle quod Deus vult; et sicut Deus vult, hoc est, ex caritate; et ad hoc quod Deus vult, quia ad gloriam Dei, ad quam Deus vult omne quod vult; et potest velle quod Deus vult eum velle: et sic potest conformare voluntatem suam voluntati divinae»[4].

Est autem notandum quod omnia quaecumque analogice dicuntur analogia proportionalitatis propriae tam entitativae quam operativae, eadem ipsa simul induere sub alio respectu modum analogiae proportionis intrinsecae et realis ad unum primum; sicut et proportionaliter dicta analogia proportionalitatis metahoricae induunt quoque sub alio respectu quendam modum analogiae proportionis extrinsecae et denominativae ad unum primum: et hac de causa, una cum similitudine proportionum plurium ad plura, dicuntur etiam sub alio respectu secundum prius et posterius unius vel plurium ad unum, ut videre est in omnibus et singulis exemplis hucusque relatis[5]. Verbi gratia, *substantia* dicitur de Deo et creaturis analogia ontologica proportionalitatis propriae, in quantum sicut Deus dicitur substantia qua in se subsistit alio non indigens eo modo quo creatura indiget, ita creatura dicitur substantia qua in se subsistit alio

---

[1] *Summa theol.*, II P., tract. 10, q. 37, memb. 1, ad 9, t. 32, p. 410b.
[2] *Ibid.*, ad 10, p. 411a. Cf. etiam *II Sent.*, d. 7, q. 4, ad 5, t. 27, p. 147b.
[3] *Summa theol.*, I P., tract. 20, q. 80, memb. 3c, t. 32, p. 896b.
[4] *Ibid.*, ad 1-2, p. 796b. Cf. etiam *ibid.*, qla. 1, p. 897a; *III Sent.*, d. 17, a. 1, t. 28, pp. 299-300.
[5] Cf. *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 2, t. 31, pp. 589-590; memb. 4, qla. 2, et 3, pp. 596-597.

indigens eo modo quo omnis res creata indiget [1]; simul tamen substantia creata dicitur talis per posterius, in ordine scilicet ad substantiam divinam cui primo, ideoque per prius, convenit ratio significata per nomen, quia de eis substantia «non praedicatur ut genus, sed praedicatur ut commune secundum analogiam, quod secundum perfectionem sui esse et rationis est in uno, et in aliis secundum comparationem ad illud» [2]. Similiter «dicitur Deus iustus iustitia qua retribuit et quae ipse est suo modo; et homo dicitur iustus iustitia qua reddit unicuique quod suum est et quae ipse non est suo modo» [3], nempe analogia dynamica proportionalitatis propriae; et tamen simul iustitia hominis dicitur talis per posterius, in ordine nempe ad iustitiam divinam quam utcumque participat, quamque suo modo imitatur, iuxta illud eiusdem S. Doctoris: «alia est comparatio *analogi*, hoc est, unius quod est in pluribus secundum analogiam sive proportionem ad aliquod unum, sicut dicimus esse Deum iustiorem angelo vel homine; quia secundum proportionem iustitiae ad actum, quae est reddere unicuique quod suum est, Deus *essentialiter* iustus est, et rectitudinem et perfectionem actus iustitiae semper contingit, et ab eo deflecti non potest: angelus autem et homo *participative* iusti sunt, et a rectitudine actus et perfectione deflecti possunt» [4]. Unde et concludit: «et sic ista per prius et posterius dicuntur de Deo et creatura» [5].

S. Albertus utrumque analogiae modum saepe consideravit hisce in rebus et nominibus, licet maxime acentum ponat in modo analogiae proportionis ad unum, prout exigebat via eminentiae et causalitatis quam praeseferunt tales analogiae, una cum via remotionis quantum ad modum significandi nobis magis familiarem quam involvunt in analogatis secundariis.

642. *Ex parte vero* modi vel quasi *formae* analogiae proportionalitatis propriae *subdividit* eam in proportionalitatem *directam seu ordinatam* et in proportionalitatem *inversam seu permutatam* sive communtatam. Quae qui-

1 *Ibid.*, memb. 4, qla. 2c et ad 7, pp. 596-597.
2 *Summa theol.*, I P., tract. 4, q. 20, memb. 3, corollarium, p. 146a.
3 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, p. 596b.
4 *Summa theol.*, II P., tract. 4, q. 13, memb. 3c, t. 32, p. 163.
5 *Summa theol.*, I P., tract. 14, q. 59, memb. 4, qla. 2, p. 596b. Cf. etiam tract. 6, q. 26, membr. 1, a. 1, ad obiecta contra quaestionem, p. 233b.

dem dicuntur ad similitudinem proportionis sive proportionalitatis ordinatae et permutatae in mathematicis, ubi primo haec nomina dicta sunt. In his enim «proportio *ordinata* est quae sine permutatione partium, ordinata similitudine unius ad alterum attenditur, sicut si dicam: sicut tria ad quinque ita sex ad decem; *permutata* autem proportio est quae est in ordine proportionis partium permutatione, sicut si dicam: sicut similis proportio est primi ad secundum et tertii ad quartum, ita similis proportio est primi ad tertium et secundi ad quartum et totius constituti ex primo et secundo ad totum constitutum ex tertio et quarto» [1]: «verbi gratia, sicut se habent sex ad duodecim ita octo ad sexdecim; ergo permutatim, sicut sex ad octo ita duodecim ad sexdecim» [2].

Extendendo igitur huiusmodi denominationes ad proportionalitates proprias philosophicas et theologicas tum entitativas cum operativas, habentur *exempla* proportionalitatis *directae* in his quae hucusque relata sunt: verbi gratia, ita se habet causa per essentiam (=Deus) ad effectum per essentiam (=creationem passive sumptam), sicut causa per participationem (=creatura) ad effectum per participationem (=productionem per informationem vel transformationem passive sumptam); nam Deo, utpote primae causae simpliciter et totaliter, respondet seu proportionatur effectus simpiciter et totaliter, nempe ex nihilo per creationem, qua totus effectus totaliter producitur: creaturae autem, utpote causae secundae ideoque causatae et participatae, respondet sive proportionatur effectus secundus et participatus, idest ex subiecto praexistendi, per meram informationem vel transformationem.

Exemplum vero proportionalitatis *permutatae* adhibet S. Albetus inter proportionem causarum finalium et efficientium et inter proportionem causarum finalium inter se et efficientium ac finalium inter se. Considerandum est enim quod «duobus exsistentibus causis duorum, illud melius est cuius effectivum bonum est melioris finis; cuius enim efficientis est finis melior, et ipsum est melius et magis eligendum. Adhuc autem alia

1 *V Ethicorum*, tract. 2, cap. 5, t. 6, p. 346b.
2 *I Posteriorum*, tract. 2, cap. 13, t. II, p. 52.

maxima: quando duobus effectivis ad duos fines quos efficiunt ex proportione ad suos fines sumpta, quasi immutata proportione plus superat finis finem quam iste alius finem superat proprium effectivum. Ut verbi gratia, beatitudo quae est finis plus superat sanitatem quae est finis quam sanitas superet proprium effectivum quod est sanitatis effectivum»: et «tunc sequitur, quia effectivum beatitudinis melius est sanitate quae est finis quidam»; nam tantum superat beatitudo sanitatem quantum effectivum beatitudinis superat effectivum sanitatis: effectivum autem beatitudinis superat ipsam sanitatem; «quare multo plus superabit effectivum beatitudinis [effectivum sanitatis, idest] sanativum quam sanitas superet sanativum. Palam ergo quod magis eligendum est effectivum beatitudinis quam sanitas, eo quod plus illud superabat beatitudo quam sanitas suum effectivum.

Argumentum autem a commutata proportione sic formandum est inter quatuor terminos: sicut se habet sanitas ad sanativum sic beatitudo se habet ad beatificativum: ergo commutata proportione primi ad tertium et secundi ad quartum, sicut se habet sanitas ad beatificativum sic se habet sanativum ad beatitudinem; sed beatificativum superat sanitatem quia beatificativum est secundum animam et ad meliorem finem quam sanitas: ergo multo plus superat beatitudo sanativum quam sanitas superat sanativum; ergo multo plus beatitudo sanativum quam sanitas sanativum. Palam ergo quoniam effectivum beatitudinis magis est eligendum quam sanitas: quod autem magis eligendum est magis eligendo, multo magis eligendum est minus eligendo; plus autem eligendum in hac consideratione vocatur quod magis eligendus est finis eo quod est ad finem; et magis eligendum quod est ad meliorem finem, ut quod ad finem totius vitae et simpliciter quam quod ad finem quendam: et quod magis eligendum effectivum effectivo, sicut se habet beatitudo ad sanitatem et sanitatis effectivum; igitur effectivum beatitudinis magis eligendum quam efectivum sanitatis».

Nimirum, «sicut se habet beatitudo ad beatificans ita se habet sanitas ad sanativum: sed ita se habet sanitas ad sanativum sicut se habet beatitudo ad beatificans quod superat illud in bonitate et ratione electionis: ergo, a permutata proportione, sicut se habet beatitudo ad sanitatem ita se habet beatificans ad sanativum; sed ita se habet beatitudo ad sanitatem, quod plus superat eam in bono et eligibili quam sanitas superat sana-

tivum; ergo ita se habet beatificans ad sanativum, quod plus superat ipsum quam sanitas superat sanativum»[1].

Notat autem S. Doctor quod proportionalitas permutata valet quidem semper in ordine mathematico, non in ordine philosophico et theologico nisi inter proportiones homogeneas imitantes proportiones univocorum, vel nisi termini proportionales sumantur eadem habitudine in proportionalitate commutata qua sumebantur in proportione ordinata. Sibi enim obiicienti: «sicut se habent adiectiva notionalia ad notiones sic essentialia ad essentiam; ergo secundum transmutatam proportionem, sicut notiones ad essentiam sic essentialia ad notiones: sed notiones praedicantur de essentia et e converso; ergo essentialia de notionalibus», respondet: «proportio transmutata non tenet in omnibus, sed in proportionalibus [=quantitatibus sive mathematicis] tantum; et illa sunt diversa: et ideo quando mutatur proportio, tunc non valet in isto processu, quia notio se habet ad essentiam ut idem illi, sed notionale non sic se habet ad essentiale, quia differt ab eo in modo attribuendi.

Et est instantia: sicut se habet animal ad aliquod animal sic se habet homo ad aliquem hominem; ergo permutatim, sicut se habet animal ad hominem ita se habet aliquis homo ad aliquod animal. Hoc autem falsum est, quia animal et homo se habent sicut superius et inferius; sed aliquis homo non ut superius se habet ad aliquod animal, sed potius e converso; quia sequitur: aliquis homo est, ergo aliquod animal est; et non valet e converso. Proportio ergo huiusmodi non tenet in his quae simpliciter diversa sunt, ita quod unum non sit pars alterius»[2].

Eodem iure non valet talis argumentatio: «sicut se habet essentia ad ens ita se habet veritas ad verum; ergo permutatim, sicut se habet verum ad ens ita essentia ad veritatem, et e converso: sed omne ens est verum, quia dicit Augustinus quod verum est id quod est; ergo omnis essentia est veritas; ergo essentia et veritas sunt idem» Nam hoc in casu «proportio [directa] vera est; sed quando permutatur, *non fit permutatione ratione eiusdem habitudinis quae fuit prius*. Et hoc sic patere potest: cum enim dicitur, sicut se habet essentia ad ens ita se

---

[1] *III Topicorum*, tract. 1, cap. 3, t. II, pp. 337-338. Cf. etiam tract. 2, cap. 2, pp. 371-372.

[2] *I Sent.*, d. 33, a. 4, arg. 2 sed contra et resp., t. 26, pp. 145-146.

habet veritas ad verum, fit comparatio utriusque abstracti ad suum concretum sicut formae ad id cuius est forma, et in hoc est habitudo similis; cum autem permutatur et dicitur, ergo sicut se habet verum ad ens ita essentia ad veritatem, et e converso, tunc fit comparatio ratione identitatis suppositi, et haec bene est inter verum et bonum sed non est inter essentiam et veritatem..., et ideo non valet illa permutatio»[1].

Et a fortiori solvit argumenta contra exsistentiam purgatorii, utpote in quibus nec proportio directa neque permutata locum habent. Sic enim arguebat ex proportione directa: «duo sunt genera malorum, scilicet mortale et veniale; item, duo genera bonorum, scilicet bonum gratuitum et opera de genere bonorum [=bonum mere naturale sive honestum]; item, duo genera praemiorum, aeternum et temporale; et iterum duo genera paenarum, scilicet temporalis et aeterna. Inde sic procedo: sicut se habet bonum ad praemium ita se habet malum ad paenam; sed bonum de genere bonorum non meretur aliquod praemium; ergo nec malum sibi respondens aliquam paenam; ergo pro nullo est purgatorium».

Respondet autem negando proportionalitatem inter bonum in genere sive mere naturale et malum peccati venialis, quia non sic se habet bonum mere honestum in linea bonorum sicut se habet peccatum veniale in linea malorum; nam «bonum in genere est imperfectum secundum esse boni, sed malum veniale est species in esse mali: et ideo non sequitur si illud non habet praemium, quod istud non habeat paenam; nec est una proportio in omnibus quae dicit, quod sicut se habet tale bonum ad praemium ita se habet tale malum ad paenam»[2].

Sed instat ex proportionalitate commutata: «sicut se habent mortale et veniale ad paenam aeternam et temporalem simul ita se habent caritas et bonum in genere ad praemium utriusque simul; ergo sicut se habent mortale et opus de genere bonorum ad paenam aeternam et praemium temporale ita se habent caritas et veniale ad praemium aeternum et paenam temporalem: sed video quod mortali cum bono in genere non debe-

[1] *I Sent.*, d. 46, a. 13, arg. 2 sed contra, et resp., t. 26, p. 447, 449b. Cf. etiam *II Sent.*, d. 28, a. 1, obi. 1 et resp., t. 27, pp. 484a, 485b; *IV Sent.*, d. 23, a. 2, obi. 5 et resp., t. 30, pp. 4a, 5a.

[2] *IV Sent.*, d. 21, a. 4, obi. 3 et resp. t. 29, pp. 865 et 867.

tur ex condigno nisi paena aeterna et nullum temporale praemium; ergo veniali cum caritate ex condigno non debetur nisi praemium aeterunm et nulla transitoria paena».

Ad quod respondet: «utraque proportio falsa est, vel universalis non est. Non enim est verum quod sicut se habent mortale et veniale simult ad paenam aeternam et temporalem, ita se habeat caritas et id quod est de genere bonorum ad praemium aeternum et temporale simul: veniali enim coniuncto cum mortali debetur aeterna paena; et tamen nihil est dictum quod operi de genere bonorum coniuncto cum caritate debetur aeternum praemium.

Si autem illa proportio aliquo modo concedatur, secunda nihil valet, scilicet quod sicut se habet mortale cum opere de genere bonorum ad paenam et praemium temporale ita se habeat caritas cum veniali ad paenam et praemium aeternum. Et ratio huius assignata est supra: quia veniale coniunctum caritati adhuc remanet in esse mali, et peccati habens rationem; sed opus de genere bonorum cum mortali non remanet in esse boni, et habens rationem remunerabilis; et si remuneretur, hoc est ex misericordia et non ex condigno. Ideo non sequitur, si illi nulla est coordinata remuneratio ante paenae condemnationem, quod illi nulla ordinetur paena purgatoria ante aeternam praemiationem»[1].

At vero si «mortale accipiatur ut mortale et veniale ut veniale», idest per se separatim, et non ut per accidens veniale coniuctum est mortali in eodem subiecto, valet talis analogia proportionalitatis propriae: «sicut se habent retributiones ita se habent merita bona et mala; sed duae paenae sunt retribuentes malis, scilicet aeterna et transitoria; et duo sunt mala quibus retribuuntur, scilicet veniale et mortale: cum igitur paena aeterna debetur mortali, paena transitoria debetur veniali»[2].

In re ergo philosophica et theologica latius patet proportionalitas directa quam permutata: illa enim perfecte salvatur inter res vel rationes diversorum generum ad invicem quoquo modo proportionatas; haec autem non salvatur perfecte nisi inter res vel rationes proportionatas eiusdem generis, vel aliquo modo accidentes et imitantes proportiones homogeneas, pro gra-

[1] *Ibid.*, obi. 4 et resp., pp. 865b, 867b.

[2] *Ibid.*, a. 8, obi. 3 et resp., p. 873. Cf. etiam *II Sent.*, d. 42, a. 4, t. 27, pp. 458-459.

du et modo talis imitationis vel reductionis. Et ideo magna cautela utendum est proportionalitate permutata extra materiam mathematicam.

643. Talis est notio et divisio analogiae collecta et hausta ex attenta et methodica lectione omnium operum hucusque editorum S. Alberti Magni: non quidem quod ipse coordinaverit omnia eius membra, sed principalia tantum; omnia tamen agnovit eisque pro opportunitate usus est, licet respectu quorundam membrorum non adhibuerit explicitam terminologiam, sicut neque alii philosophi et theologi latini ante ipsum. Ex his tamen quae huc illuc sparsim tradidit, nullo fere negotio extracta est divisio quam ei tribuimus, ita ut mihi videar germanam eius menten, quoad rem ipsam, exhibuisse. Hoc ergo in sensu, divisio analogiae apud S. Albertum sequenti tabella contrahi potest:

...nitationis vel reductionis. Et ideo magna ...proportionalitate permutata extra materiam

...notio et divisio analogiae collecta et ...t methodica lectione omnium operum ... S. Alberti Magni: non quidem quod ...omnia eius membra, sed principalia ...en agnovit eisque pro opportunitate ...ctu quorundam membrorum non ad- ...terminologiam, sicut neque alii phi- ...atini ante ipsum. Ex his tamen quae ...radidit, nullo fere negotio extracta ...tribuimus, ita ut mihi videar germa- ...uoad rem ipsam, exhibuisse. Hoc er- ...analogiae apud S. Albertum sequenti ...st:

AEQUIVOCA

- I) *a casu et fortuna*: vere, pure, proprie, simpliciter, omnino, penitus aequivoca.
- II) *non a casu et fortuna*: non pure, omnino, penitus aequivoca, sed aequivoca per analogiam = *analoga*.
  - A) *secundum esse tantum et non secundum intentionem*: analogia realis seu rerum tantum vel *improprie dicta*.
  - B) *secundum ipsam intentionem*: analogia intentionalis seu *proprie dicta*.
    - a) *proportionis* ad unum *numero*: analogia *simplicis proportionis*.
      - α) ex parte rationis *primi analogantis*.
        - 1) secundum causam *finalem*.
        - 2) secundum causam *efficientem*.
        - 3) secundum causam *exemplarem*.
        - 4) secundum causam *quasi materialem in qua* vel subiectum inhaesionis et praedicationis.
      - β) *ex parte secundorum analogatorum*.
        - 1) *unius tantum* ad unum.
        - 2) *duorum vel plurium* ad unum.
      - γ) ex parte communicationis vel participationis *ipsius intentionis analogicae*.
        - 1) *intrinseca seu realis: secundum intentionem et secundum esse simul.*
        - 2) *extrinseca vel mere denominativa tantum: secundum intentionem tantum et non secundum esse.*
    - b) *proportionis* ad unum *ratione tantum et non numero:* analogia proportionis compositae vel *proportionalitatis*.
      - α) *propriae*.
        - 1) ex parte *rei* vel *quasi materiae circa quam*.
          - a') entitativae vel *ontologicae*.
          - b') operativae vel *dynamicae*.
        - 2) ex parte *modi* vel *quasi formae* proportionis comparatae.
          - a') directae vel *ordinatae*.
          - b') inversae vel *permutatae*.
      - β) *metaphoricae vel impropriae*.

644. Ex hac dilata serie expositionum apud latinos, luculenter apparet duos esse auctores quibus hac de re sunt potiores partes attribuendae, Boetium scilicet et S. Albertum Magnum. Quae enim docuit auctor opellae, *Principia Dialecticae*, itemque auctor opusculi, *Categoriae decem*, se habent ad Boetium sicut Guilelmus Alvernus, Robertus Lincolniensis, Alexander Halensis et S. Bonaventura se habent ad S. Albertum. Boetius siquidem doctrinam Aristotelis a Porphyrio expositam latinis reddidit intelligibilem; S. Albertus autem collegit insuper ac digessit quaecumque Pseudo-Dionysius, S. Joannes Damascenus, Eustratius —quem citat frequenter—, philosophi arabes ac theologi primae medietatis saeculi XIII addiderunt aut expoliverunt, ea tamen non parum locupletans ex his quae ipse proprio marte adinvenit: quo fit, ut Albertus hac in re primas habeat partes inter omnes latinos expositores ante S. Thomam. Licet enim quaedam eius opera, ut *Summa theologiae*, posteriora sint scriptis S. Thomae, non tamen videtur ex Aquinate influxum subiisse.

Quod si inter se conferamus tres series expositionum, graecorum nempe, arabum et latinorum, nulli dubium graecos commentatores arripuisse palmam. Demptis enim quibusdam subtilitatibus secundariis ad rem non multum pertinentibus, verbi gratia circa analoga a memoria et a spe, quae arabes et latini neglexerunt, revera apud graecos continentur quaecumque ceteri dixerunt, et quidem meliori aut certe magis explicita coordinatione, utpote ex professo intendentes completam divisionem aequivocorum tradere. Sic explicita distinctio inter analogiam propriam et metaphoricam invenitur apud Clementem Alexandrinum, apud Porphyrium, Pseudo-Dionysium et Sophoniam, ac praesertim apud Simplicium. Similiter divisio analogiae in entitativam et operativam sive ontologicam et dynamicam reperitur apud Clementem Alexandrinum, Ammonium, Olimpiodorum et Philoponum. Divisio autem analogiae in mere extrinsecam seu deno-

minativam et realem sive intrinsecam invenitur apud Olympiodorum ac praesertim apud S. Joannem Damascenum. Divisio pariter analogiae in analogiam proportionis ad unum vel ab uno et in analogiam proportionalitatis, omnibus communis est; et quidem plerique appellant primum membrum analogiam secundum participationem. Tandem subdivisio analogiae proportionis secundum diversas causas extrinsecas, omnibus etiam communis est, licet magis explicite et complete eam tradiderit S. Joannes Damascenus.

Si autem velimus indicare nomina praecipua eorum qui primas habuerunt partes in hac explicatione doctrinae aristotelicae, dicere possumus Simplicium, Philoponum et Eustratium esse maiores inter graecos; Averroem, inter arabos; S. Albertum Magnum, inter latinos.

Et quidem meritum S. Alberti exinde augetur, quod ipse, licet apprime cognoverit philosophos arabos, minus tamen novisse videtur commentatores graecos, si excipiantur S. Joannes Damascenus et Eustratius; nam Porphyrium novisse videtur mediante Boetio, alios autem mediante Averroe et aliquo modo mediante Eustratio: at in his non apparent neque continentur omnes divitiae commentatorum graecorum. Cum ergo apud S. Albertum inveniantur quaecumque bona tradiderunt graeci, et insuper quaedam meliora, licet dispersa et fragmentaria plerumque, concludendum videtur S. Doctorem explicationes graecorum proprio marte quadammodo reinvenisse et in maiorem perfectionem adduxisse.

CAPUT III

DE DIVISIONE ANALOGIAE APUD S. THOMAM

645. Ex hucusque dictis facile intelliguntur ea quae S. Thomas tradidit de divisione Analogiae: nam quid ipse docuerit de natura eius, sufficienter expositum est supra [1].

Equidem, sicut S. Doctor non nova protulit de natura Analogiae, sed ea, quae iam docuerat Aristoteles eiusque commentatores exposuerant, novo et profundiori modo digessit ac limpidius expressit; ita etiam de eius divisione, nova non cudit, sed divisiones, quas Stagirita eiusque praecipui expositores innuerant vel aperte tradiderant, profundius penetravit, severius digessit ac brevius nitidiusque proposuit: maxime vero excelluit in usu fere continuo analogiae et modorum eius, firmo simul atque flexibili, ut postulabat propria indoles notionis huius. Nec enim S. Thomas data opera conscripsit specialem tractatum de Analogia; sed, ut plerique commentatorum Aristotelis [2] notiones vel divisiones aliquas

---

[1] Cf. *supra*, sectione prima, volumine primo et secundo.

[2] Prout enim ex capitulo praecedenti patet, nonnulli tantum commentatores graeci, ut Porphyrius, Simplicius et Philoponus, conati sunt

tradidit occassione alicuius textus exponendi; vel, sicut ceteri theologi, notiones recoluit aut nonnullas divisiones proposuit occassione alicuius veritatis theologicae elucidandae vel defendendae. Quo fit, ut modo unam, modo aliam divisionem recolat pro data opportunitate, quantum necesse erat ad textum vel problema elucidandum.

Ex his tamen quae huc illuc sparsit collectis et comparatis, haud difficile erit omnes divisiones eius in ordinem redigere easque coordinare, ita ut plenam et germanam divisionem thomisticam eruamus, sicut et pro Aristotele, pro plerisque eius commentatoribus et pro theologis hucusque fecimus: nec enim divisiones, quas ipse dedit, sunt disparatae multoque minus oppositae, siquidem hac de re nullam subiit sententiae mutationem, sed plene cohaerentes ac perfecte coordinabiles.

Art. 1.- Crisis cuiusdam divisionis attributae S. Thomae absque solido fundamento.

646. Hanc provinciam, quoad comparationem divisionum quas S. Thomas *expresse* tradidit, et quidem ordine chronologico sat probabili dispositarum, sibi assumpsit Cl. Penido ac feliciter absolvit in egregio suo Opere *Le rôle de l'analogie en Théologie dogmatique*[1], ostendens ex ipsis textibus S. Doctoris perfectam earum coordinationem.

Eius demonstrationi plene consentimus, nisi quod spectat interpretationem textus *I Sent.*, d. 19, q. 5, a. 2 ad 1: putamus enim analogiam secundum intentionem et secundum esse contradistinctam ab analogia secun-

ex professo completam et adaequatam tradere divisionem aequivocorum, et consequenter analogorum quae sub aequivocis continentur.

[1] M. Penido, *L'rôle de l'analogie en Théologie Dogmatique*, I P., chap. 1, pp. 29-36. Paris 1931.

dum intentionem tantum et non secundum esse, non significare formaliter et immediate, seu litteraliter ut aiunt, illo in loco analogiam proportionalitatis ut contradistinctam ab analogia attributionis vel simplicis proportionis, sed potius alium modum ipsiusmet analogiae attributionis ad unum. Meo siquidem iudicio, quando S. Thomas in illo textu celeberrimo distinguit triplicem modum analogiae, scilicet secundum intentionem tantum et non secundum esse, secundum esse tantum et non secundum intentionem, et secundum intentionem et secundum esse simul, non indicat litteraliter tria genera analogiae, nempe genus analogiae attributionis unius vel plurium ad unum, genus analogiae physicae sive inaequalitatis et genus analogiae proportionalitatis plurium ad plura, sed potius duo genera, nimirum genus analogiae physicae et genus analogiae attributionis plurium ad unum cum eius subdivisione in duos modos, videlicet attributionis secundum solam intentionem sive denominationem extrinsecam, et attributionis non secundum solam intentionem vel denominationem extrinsecam sed simul et insuper secundum esse vel denominationem intrinsecam et formalem.

647. Quod quidem apparet, *primo*, ex toto contextu quaestionis. Loquitur enim S. Doctor *de veritate*, circa quam tria inquirit: «1.°, *quid* sit veritas; 2.°, utrum *omnia sint vera una veritate, quae est Veritas increata sive prima*; 3.°, de *conditionibus* veritatis, scilicet aeternitate et incommutabilitate eius»[1].

Porro in articulo primo, ubi investigat naturam sive quidditatem veritatis *in universali* —quid est veritas ut sic—, *docet veritatem esse quid analogum analogia attributionis sive proportionis ad unum.* Quod ostendit duplici veluti passu, scilicet in ordine particuari et humano nobis magis et prius noto, ac dein in ordine universali et divino nobis consequenter et posterius noto.

[1] S. Thomas, *I Sent.*, d. 19, prolog.

Quantum ergo ad primum momentum sive ordinis humani, ostendit veritatem dici de re et de enuntiatione per analogiam attributionis ad verum iudicium intellectus, quo scilicet iudicat de re prout est. Veritas, inquit, «habet *fundamentum in re, sed ratio eius completur per actionem intellectus, quando scilicet apprehenditur eo modo quo est*; unde dicit Philosophus, VI Metaphysicorum, quod *verum et falsum sunt in anima*, sed bonum et malum in rebus. Cum autem *in re* sit *quidditas* eius et suum *esse*, *veritas fundatur in esse rei magis quam in quidditate*, sicut et nomen entis *ab esse imponitur*: *et in ipsa operatione intellectus* [=iudicio] *accipientis esse rei sicut est per quandam similationem ad ipsum, completur relatio adaequationis* [rei et intellectus] *in qua consistit ratio veritatis.*

Unde dico quod *ipsum esse rei* est *causa veritatis, secundum quod* [veritas] *est in cognitione intellectus.* Sed tamen *ratio veritatis per prius invenitur in intellectu quam in re*: *sicut* etiam calidum et frigidum et aliae causae sanitatis, sunt *causa sanitatis* quae est *in animali*; et *tamen animal per prius dicitur sanum, et signa sanitatis et causa sanitatis dicuntur sana secundum analogiam ad sanum quod de animali dicitur.*

Unde dico quod *verum per prius dicitur de veritate intellectus*: et *de enuntiatione dicitur in quantum est signum illius veritatis*; *de re* autem dicitur in quantum est *causa*», idest secundum analogiam attributionis seu proportionis ad verum quod est formaliter in intellectu iudicante de re prout est. «Unde *res* dicitur *vera* quae *nata est de se facere veram apprehensionem* quantum ad ea quae apparent exterius in ipsa; et similiter dicitur *falsa res* quae *nata est facere*, quantum ad id quod apparet exterius de ipsa, *falsam apprehensionem*, sicut aurichalcum dicitur aurum falsum: et inde est etiam quod homo dicitur *falsus*, qui dictis vel factis ostendit

de se *aliud quam sit*; et per oppositionem intelligitur *veritas*, quae est virtus, in dictis et factis»[1].

Quantum vero ad secundum momentum sive ordinis universalis et divini, ostendit tum veritatem rei tum veritatem intellectus humani veritates dici per analogiam attributionis ad veritatem primam et increatam, quae Deus est: veritatem quidem rei seu in essendo, per analogiam attributionis ad esse divinum, quod est prima Veritas in essendo et prima Causa omnis realitatis; veritatem autem cognitionis sive in cognoscendo et iudicando, per analogiam attributionis ad intellectum divinum cognoscentem, cui convenit Prima Veritas in cognoscendo et est prima Causa omnis cognitionis. «*Utraque autem veritas*, inquit, scilicet *intellectus* et *rei*, *reducitur, sicut in primum Principium, in ipsum Deum*; quia suum *esse* est *Causa* omnis *esse*, et suum *intelligere* est *Causa* omnis *cognitionis*.

Et ideo ipse est Prima Veritas, sicut et Primum Ens: unumquodque enim ita se habet ad veritatem sicut ad esse, ut patet ex dictis; *et inde est quod Prima Causa essendi est Prima Causa veritatis et maxime Vera, scilicet Deus*»[2].

Hoc autem dato, quaerit in articulo secundo modum seu rationem propriam huiusce analogiae omnium veritatum ad unam Veritatem primam sive increatam. Et respondet tam omnes veritates rerum quam omnes veritates intellectus ita dici per analogiam attributionis ad Veritatem primam in essendo et ad Veritatem primam in cognoscendo sicut ad earum causam primam efficientem et exemplarem, ut tamen simul unaquaeque veritas in essendo propriam habeat entitatem qua formaliter et intrinsece *est*; et similiter unaquaeque veritas in cognoscendo propriam habeat adaequationem ad rem, qua adaequatione formaliter et proprie *est veritas formalis*: quo

---

1 *Ibid.*, a. 1c. Cf. ad 7.
2 *Ibid.*

fit, ut talis analogia non sit intelligenda secundum purum et merum respectum ad Veritatem primam extrinsecam utpote ad Causam primam extrinsecam efficientem et exemplarem, exclusa omni formali et intrinseca realitate et veritate, sed simul secundum intrinsecam et formalem entitatem et veritatem quibus ceterae veritates in essendo et cognoscendo propriam et formalem *habent* veritatem, licet cum necessaria dependentia a Veritate prima.

En eius verba perspicua: «sicut dictum est [art. praecedenti], ratio veritatis in duobus consistit: in esse rei, et in *apprehensione* virtutis cognoscitivae *proportionata* [=adaequata, commensurata] *ad esse rei. Utrumque* autem *horum, quamvis*, ut dictum est [ibidem], *reducatur in Deum sicut in Causam efficientem et exemplarem: nihilominus tamen quaelibet res participat suum esse creatum quo formaliter est; et unusquisque intellectus participat lumen per quod recte de re iudicat, quod quidem est exemplatum a lumine increato: habet etiam intellectus suam operationem in se, ex qua completur ratio veritatis*.

Unde dico quod, *sicut est unum Esse divinum quo omnia sunt sicut a primo principio effectivo exemplari, nihilominus tamen in rebus diversis est diversum esse quo formaliter res est; ita etiam est una Veritas, scilicet divina, qua omnia vera sunt sicut principio effectivo exemplari, nihilominus sunt plures veritates in rebus creatis quibus dicuntur verae formaliter*» [1].

Nimirum sicut omnes res creatae ita dicuntur et sunt entia per analogiam attributionis sive proportionis ad Deum ut ad Causam primam efficientem et exemplarem omnis realitatis, ut simul unaquaeque proprium habeat esse quo formaliter et intrinsece res est, dependenter tamen et participative ab illa una Prima causa efficienti et exemplari: sic etiam omnes veritates creatae in cognoscendo ita dicuntur et sunt veritates per analogiam

1 *Ibid.*, a. 2c.

attributionis ad Deum ut ad Causam primam efficientem et exemplarem omnis cognitionis, ut simul unaquaeque propriam habeat adaequationem qua formaliter et intrinsece est veritas, dependenter tamen et participative ab illa una Prima causa efficienti et exemplari.

Sive ergo ex parte rei, sive ex parte intellectus, et consequenter ex parte ipsius veritatis quae est adaequatio rei et intellectus, omnis veritas creata dicitur analogice analogia attributionis ad Primam veritatem increatam ut ad Primam causam efficientem et exemplarem totius fundamenti et totius rationis eius: non tamen per meram habitudinem attributionis ad Ipsam neque per puram denominationem extrinsecam ab Ipsa, sed per *realem* participationem ab Ea *realemque* dependentiam, vi cuius, una cum respectu ad Ipsam et denominationem ab Ipsa, *realitatem* et *denominationem propriam* habeat pro modo et mensura propriae realisque participationis ex Ea.

Et secundum hoc facile solvit argumentum principale quod sibi obiicit: «sicut enim dictum est [articulo praecedenti], *verum dicitur analogice de illis in quibus est veritas, sicut sanitas de omnibus sanis; sed una est sanitas numero a qua denominatur animal sanum sicut subiectum eius*, et *medicina sana sicut causa eius*, et *urina* sana *sicut signum eius*; ergo videtur quod una sit Veritas [numero, scilicet Veritas increata] qua omnia dicuntur [seu denominantur] vera», et non plures veritates [1].

Respondet S. Thomas admittendo analogiam proportionis sive attributionis omnium veritatum creaturarum ad unam Veritatem primam, quae est Veritas increata, sicut ad earum Causam primam efficientem et exemplarem prout docuerat in articulo praecedenti, sed negando modum huiusce analogiae esse eundem ac modus analogiae attributionis omnium sanorum ad sanitatem animalis.

1 *Ibid.*, obi. 1. Cf. obi. 3 pro una Veritate numero.

Est enim triplex modus analogiae. Unus «*secundum intentionem tantum et non secundum esse*: et hoc est *quando una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno; sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam diversimode secundum prius et posterius, non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali*». Et hoc quidem modo dicitur veritas analogice de re et de enuntiatione relate ad veritatem intellectus humani iudicantis de re prout est, ut patet ex verbis eius citatis e praecedenti articulo: hoc enim ordine humano et creato, «*verum per prius dicitur de veritate intellectus*, et *de enuntiatione* dicitur in quantum est *signum illius veritatis*, de *re* autem dicitur in quantum est *causa*» vel fundamentum *illiusmet veritatis*.

At hic non loquitur de analogia rei verae et enuntiationis verae ad veritatem intellectus humani vel creati, sed de analogia omnium veritatum creatarum tam rerum et enuntiationum quam intellectuum ad Veritatem primam et increatam intellectus divini: *utrum omnia sint vera una veritate quae est veritas increata.*

Alius modus analogiae est «*secundum esse* [tantum] *et non secundum intentionem*: et hoc contingit quando plura *parificantur in intentione* alicuius communis, sed illud commune *non habet esse unius rationis in omnibus*; sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis. Unde *logicus*, qui considerat *intentiones tantum*, dicit hoc nomen *corpus* de omnibus corporibus *univoce* praedicari; sed *esse* huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus: unde quantum ad *metaphysicum et naturalem*, qui considerant res secundum suum *esse*, *nec* hoc nomen *corpus nec* aliquid aliud dicitur *univoce* de corruptibilibus et incorruptibilibus», sed analogice.

At hic modus analogiae non est ad rem; quia ea quae sic analogice dicuntur, revera conveniunt in uno genere logico, ideoque univoca sunt: Veritas autem increata et

veritates creatae non conveniunt in uno genere logico, neque veritas univoce praedicatur de ipsis. Veritas enim increata non est in genere, cum nihil possit esse neque concipi prius Prima Veritate; neque quidquam potest univoce praedicari de creato et increato, cum in nullo parificari valeant.

Sed est tertius modus analogiae, nempe «*secundum intentionem et secundum esse*: et hoc est quando *neque parificantur in intentione communi* [sicut ea quae primo modo analogiae dicuntur], *neque in esse* [sicut ea quae dicuntur secundo modo analogiae]; sicut ens dicitur de substantia et accidente. Et de talibus oportet quod *natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis* [idest secundum prius= maioris perfectionis, et *posterius=minoris* perfectionis].

Et similiter dico quod *veritas et bonitas et omnia huiusmodi dicuntur analogice de Deo et creaturis* [hoc est, de Veritate increata et de veritatibus creatis]: unde oportet quod secundum suum *esse* omnia haec *in Deo sint et in creaturis*, secundum rationem *maioris* perfectionis [=per *prius*] et *minoris* [=per *posterius*].

Ex quo sequitur, cum non possint esse secundum unum esse utrobique, quod sint diversae veritates»[1] proprie et realiter et intrinsece dictae Veritas increata et veritas creata, cum habitudine tamen proportionis veritatis creatae seu participatae ad Veritatem increatam sive imparticipatam sicut ad primum analogans.

Hic ergo tertius modus analogiae est omnino ad rem, qui et doctrinam corporis articuli reassumit, eam explicans per terminos formales analogiae, non primus neque secundus modus.

Et inde concluditur manifeste eum pertinere ad analogiam attributionis sive proportionis ad unum: de hac enim analogia erat quaestio in toto articulo, ubi erat

[1] *Ibid.*, ad 1.

sermo de analogia omnium veritatum creatarum ad Veritatem primam et increatam, quasi de analogia plurium ad unum; hanc etiam analogiam docuerat in articulo praecedenti et magis explicite in corpore articuli praesentis, ubi una cum propria et formali et intrinseca participatione Veritatis increatae a veritatibus creatis, acentum ponit in earum habitudine dependentiae et imitationis ad Veritatem illam secundum rationem causalitatis efficientis et exemplaris, quae evidenter pertinet ad analogiam proportionis ad unum vel ab uno; eandem quoque repetit in responsionibus ad 3 et 4, insistens maxime in analogia secundum causalitatem exemplarem, ut legenti patet.

Et quia etiam primus modus pertinet ad analogiam attributionis ad unum ut patet ex verbis citatis tum e primo articulo, tum ex obiectione prima eiusque responsione articuli secundi, concludendum est S. Thomam duplicem hic admittere modum analogiae attributionis sive proportionis ad unum: alium secundum intentionem tantum et non secundum esse, idest secundum meram denominationem extrinsecam unius vel plurium ab uno primo quod tantum formaliter est; alium secundum intentionem et secundum esse, nempe non secundum meram denominationem extrinsecam ab uno primo, sed secundum intrinsecam et realem, licet necessario dependentem et nominabilem ab illo primo.

648. *Secundo*, apparet idem ex toto contextu doctrinali Scripti sui super Primo libro Sententiarum. Ante quaestionem namque praesentem docet universaliter Creatorem et creaturam convenire analogice analogia attributionis sive proportionis: non quidem ad unum tertium prius eis, ut potentia et actus ad ens; sed unius ad aliud, nempe «*ex eo quod unum esse et rationem ab altero recipit. Et talis*, inquit, *est analogia creaturae ad Creatorem: creatura enim non habet esse nisi secundum quod a primo ente descendit; nec nominatur ens nisi in quantum Ens primum imitatur. Et similiter est de Sapientia* et *de omnibus aliis* quae de creatura dicuntur»[1], scilicet de *veritate*, bonitate et omnibus huiusmodi, quemadmodum concludebat in dist. 19, q. 5, a. 2 ad 1: quod enim dicitur de creatura et Creatore sub primaria et fundamentali ratione *entis*, necesse est ut dicatur etiam sub ceteris rationibus consequentibus vel supponentibus *ens*.

Post distinctionem quoque undevigessimam docet expresse de notione finitima veritati, scilicet de *scientia*, quod haec «analogice dicitur de Deo et creatura [=de scientia increata et creata]», iterum repetens: «et *similiter omnia huiusmodi*». Et quidem analogia attributionis sive proportionis: non quidem utriusque ad unam tertiam scientiam quae eis per prius et posterius conveniat, quia talis modus attributionis «non potest esse inter Deum et creaturam», cum nihil prius et simplicius Deo esse aut concipi possit; sed analogia attributionis unius ad aliud, nempe scientiae creatae ad scientiam increatam. Hic enim modus analogiae attributionis «est *secundum quod unum imitatur aliud quantum potest, nec perfecte ipsum assequitur*: *et haec analogia est creaturae ad Creatorem*»[2]. Constat autem evidenter scientiam non convenire creaturae intellectuali per meram denominationem extrinsecam, sed secundum veram et formalem realitatem: et ideo talis analogia scientiae creatae ad scientiam increatam non est secundum intentionem tantum et non secundum esse, sed secundum esse et intentionem simul. Cum igitur scientia nominet essentialiter cognitionem certam *veritatis*[3], manifestum est veritatem dici de veritate creata scientiae creatae per analogiam attributionis secundum intentionem et secundum esse ad Veritatem increatam scientiae incratae ut ad Primam causam exemplarem quam imitatur quantum potest, licet non perfecte et adaequate ipsam assequatur.

---

[1] *I Sent. prolog.*, a. 2 ad 2.
[2] *I Sent.*, d. 35, a. 4c. Idemque repetit *ibid.*, ad 6.
[3] *Ibid.*, aa. 1 et 3.

649. Idem constat, *tertio*, ex aliis locis parallelis. Docet enim in Quaestionibus *de Veritate* quod «veritas *proprie* [=formaliter] invenitur *in intellectu humano vel divino*, sicut *sanitas* [invenitur proprie et formaliter] *in animali*: in rebus *autem aliis per relationem* [idest per purum respectum], ad intellectum, *sicut* et sanitas dicitur de quibusdam aliis [per purum respectum ad sanitatem animalis], in quantum sunt effectiva vel conservativa sanitatis animalis [1]. Ergo est in intellectu *divino quidem* veritas *proprie* [=formaliter] *et primo* [idest principaliter seu per prius, quasi in supremo analogante]; in intellectu vero *humano proprie quidem* [=formaliter] *et secundario* [sive per posterius, quasi in secundario analogato]; *in rebus* autem *improprie et secundario* [nempe mere denominative et quasi in secundariis analogatis ad utramque veritatem formalem intellectus humani et divini], *quia nonnisi in respectu ad alterutram duarum veritatum*.

Veritas ergo intellectus *divini* est *una* tantum, a qua in intellectu humano derivantur *plures* veritates [secundum pluralitatem diversorum hominum iudicantium vel secundum pluralitatem iudiciorum unius eiusdemque intellectus unius hominis], sicut ab una facie hominis resultant plures similitudines in speculo...; veritates autem quae sunt *in rebus*, sunt *plures*, sicut et rerum entitates... Si ergo accipiatur veritas *proprie* dicta secundum quam omnia *principaliter* [quasi a supremo analogante] vera sunt, *sic omnia sunt vera una veritate, idest veritate intellectus divini* [cui convenit veritas formaliter ut supremo analoganti]...; si autem accipiatur veritas *proprie*

[1] Tunc enim «*ipse respectus est ratio denominationis* [analogicae]: sicut urina dicitur sana *per respectum* ad sanitatem animalis; *ratio* enim sani secundum quod de urina praedicatur, est esse signum sanitatis animalis. Et in talibus, quod denominatur *per respectum ad alterum, non denominatur ab aliqua forma sibi inhaerente, sed ab aliquo extrisseco ad quod refertur*» (*De Verit.* q. 21, a. 4, ad 2). Est ergo analogia attributionis ad unum secundum purum respectum sive puram denominationem extrinsecam, idest secundum intentionem tantum et non secundum esse.

dicta secundum quam res *secundario* verae dicuntur, *sic sunt plurium verorum plures veritates in animabus diversis* [quibus convenit veritas formaliter ut secundario analogatis]; si autem accipiatur veritas *improprie* dicta secundum quam omnia dicuntur vera, *sic sunt plurium verorum plures veritates, sed unius rei una est tantum veritas* [utpote quibus convenit veritas mere denominative ut secundariis analogatis]: *denominatur* autem *res vera a veritate quae est in intellectu divino vel in intellectu humano; sicut denominatur cibus sanus a sanitate quae est in animali, et non sicut a forma inhaerente*» [1].

Talis autem analogia veritatis creatae ad Veritatem increatam est analogia attributionis sive proportionis, quia veritas creata comparatur ad increatam ut exemplata ad Causam exemplarem primam [2], quam diversimode imitatur quin eam perfecte adaequet [3]: diversimode tamen, quia veritas ontologica rerum dicitur secundum puram denominationem vel purum respectum sive secundum intentionem tantum, proprie loquendo; veritas autem formalis intellectus humani et creati dicitur secundum intentionem et secundum esse, idest denominative et formaliter, quasi denominatione non solum extrinseca sed et intrinseca. Nam «potest aliquid *denominari verum dupliciter*: uno modo a veritate *inhaerente* [seu formali]; alio modo *ab extrinseca* veritate, *et sic* denominantur omnes *res* verae a Veritate Prima. Et quia veritas quae est [proprie et formaliter] in *intellectu* [humano et creato] *mensuratur a rebus ipsis*, sequitur quod non solum veritas rei, sed etiam veritas intellectus [humani, utpote secundario analogata et participata], vel enuntiationis quae intellectum significat, *a Veritate prima denominetur*», quin excludatur denominatio intrinseca et formalis a seipsa; quamvis talis denominatio sit in virtute prio-

[1] *De Verit.*, q. 2, a. 4c.
[2] *Ibid.*, arg. 2 et 5 sed contra.
[3] *Ibid.*, arg. 6 sed contra, una cum eius resp., et ad 8 arg. sed contra.

ris a qua dependet et a qua participat esse formale et intrinsecum veritatis [1].

650. Tandem comprobatur idipsum, *quarto*, ex communi doctrina theologorum sui temporis, ut Alexandri Halensis [2], Roberti Lincolniensis [3], S. Bonaventurae [4] et S. Alberti Magni [5], iuxta quos veritas creata dicitur per analogiam proportionis ad Veritatem increatam ut ad Causam primam exemplarem omnis veritatis participatae, et per ordinem ad quam omnes veritates derivatae nominantur tales. Hanc igitur communem sententiam secutus est etiam S. Thomas, ut vel ex eo constat quod eandem quaestionem iisdem terminis proponit, ac sui coaetanei, easdemque difficultates classicas sibi opponit et discutit.

Praesertim vero S. Thomas secutus fuit hac in re doctrinam magistri sui Alberti, qui expresse distinxit duplicem modum analogiae proportionis ad unum: alium per meram denominationem extrinsecam ab uno primo, ut sanum dicitur de medicina, de cibo et de urina per purum respectum ad sanitatem animalis in quo solo invenitur sanitas formaliter et intrinsece sive secundum esse sanitatis et a quo cetera illa denominantur extrinsece sana; alium per veram et formalem et intrinsecam participationem ab uno primo et non per puram denominationem extrinsecam, ut veritas creata a Veritate increata et necessarium creatum sive per participationem a Necessario increato sive per essentiam, ita ut veritas et necessitas creata una cum nomine participat reali-

---

[1] *Ibid.*, a. 5c. Cf. etiam q. 21, a. 4c, et ad 2, 3 et 5; *Summa theol.*, I, 6, 4c; 16, 6c.

[2] Alexander Halensis, *Summa theol.*, I P., libri primi, inquisit. 1, tract. 3, q. 2, memb. 1, cap. 1 ad 2, ed. cit., t. I, p. 139b; cap. 3-4, pp. 141-146; memb. 2, cap. 1-2, pp. 147-149; cap. 4-5, pp. 151-153.

[3] Robertus Lincolniensis, *De Veritate*, per totum, specialiter in fine, ed. cit., pp. 142-43.

[4] S. Albertus Magnus, *I Sent.*, d. 8, I P., a. 1, q. 1, ed. cit., t. I, pp. 150-152; d. 39, a. 1, q. 1, p. 684; 686; d. 45, a. 1, q. 2, ad 3, p. 802; d. 46, a. unic., q. 4, pp. 827-829.

[5] *I Sent.*, d. 46, aa. 11-12, t. 26, pp. 442-446; aa. 16-17, pp. 455-460; *Summa theol.*, I P., tract. 6, memb. 1-3, t. 31, pp. 204-216, 221-222.

tatem veritatis et necessitatis a Veritate et Necessitate increata.

Cum enim S. Albertus dixisset veritatem dici per prius et posterius de Prima veritate et de aliis; et quod in omnibus talibus, in secundis manet respectus proportionis ad Primum; et consequenter quod omnes veritates creatae respiciunt Primam veritatem ut Causam primam exemplarem ad quam proportionantur, quatenus eam imitantur quantum possunt [1]: *-sibi obiicit eandem difficultatem quam sibi faciebat S. Thomas in I Sent.*, d. 19, q. 5, a. 2, obi. 1, nempe «si dico sic: animal est sanum, et urina est sana, non praedico aliud sanum de urina et animali ,licet alio modo se habeant haec duo ad sanitatem; cum ergo veritas per prius et posterius dicatur de divina et creata, ea quae in creaturis sunt vera non dicunt aliam veritatem quam increatam sed aliter dicunt eam: et [consequenter] adhuc redit quod omnia sunt vera una sola veritate» numero [2], sicut «idem numero est sanum quod est in animali et urina» et in aliis quae sana dicuntur: «quia ratio indicantis in urina et ratio conservantis in cibo et ratio facientis in medicina non sunt quidem ratio una [cum non dicant eundem respectum vel proportionem ad sanitatem animalis], sed comparantur [diversimode] ad unum numero [scilicet ad sanitatem animalis], et ideo in illo uniuntur et denominantur ab illo, eo quod illud est finis» [3].

Cui hoc modo respondet Albertus: «*non dicuntur res* [idest veritates creatae] *verae in illa habitudine solum, sed potius quia habent verum aliquod* [intrinsece et formaliter, secundum] *quod, quantum possunt, imitantur* [Veritatem primam]: et, si hoc verum non esset [intrinsece et formaliter verum], non haberent rationem *proportionis.*

---

[1] *I Sent.*, d. 46, a. 11 ad 1 et 4 definitionem, t. 26, p. 443b, 444b; a. 12c, p. 445b; a. 17c et ad 1, pp. 457-458.

[2] *I Sent.*, d. 46, a. 17, obi. 1 et instantia, p. 456b.

[3] *Ibid.*, a. 12c, p. 445b.

Hoc modo non est in urina, quia in urina non habetur sanum [formaliter et intrinsece] quod illi sanitati proportionetur quae est in animali, sed habet *indicans* aliquod illius, ut digestionem humorum et huiusmodi»[1]: nam sanum «est in animali *ut forma* aequalitatis humorum [ideoque *formaliter* et intrinsece]; in urina autem *ut indicativa, non quidem esse* [sanitatis] *in* [ipsa] *urina, sed esse* [sanitatis] *in animali cuius est urina*»[2].

Et hoc ideo est, quia non uno modo dicitur fieri analogia [proportionis sive attributionis] *ad unum, sed multis modis*». Nam praeter modum proportionis ad unum secundum purum respectum vel denominationem extrinsecam, ut in cibo et medicina et urina respectu sanitatis animalis, adest alius modus proportionis ad unum per formalem et intrinsecam participationem illius primi una cum respectu proportionis ad illud: verbi gratia, «dicitur necessarium per se, et necessarium per posterius; et tamen, licet necessarium per posterius *respiciat proportionaliter* necessarium dictum per prius, *est aliquo modo necesarium aliquod formaliter in ipso, quo proportionatur necessario dicto per se*»[3]: similiter bona creata «dicuntur bona [formaliter et intrinsece, idest] *forma boni creati, quae tamen ulterius proportionatur bono increato* [quod participat et imitatur quantum potest]; *sicut etiam diximus de vero et veritate*»[4], idest de veris creatis et participatis respectu ipsius Veritatis per essentiam[5].

Ecce evidens coincidentia quaestionis, obiectionis et responsionis apud magistrum et apud discipulum: Albertus meminit expresse duos modos analogiae proportionis ad unum, quibus Thomas propria nomina dedit, scilicet secundum intentionem vel respectum tantum et non secundum esse, *primo modo*, cuius exemplum typicum

[1] *Ibid.*, a. 17, ad instantiam obiectionis primae, p. 458a.
[2] *Ibid.*, a. 12c, p. 445b.
[3] *Ibid.*, a. 17, ad instantiam obiectionis primae, p. 458a.
[4] *Ibid.*, ad 3, p. 458b.
[5] *Ibid.*, ad 2, una cum corp. art., pp. 457-458.

erat analogia sanitatis; secundum esse et secundum intentionem simul, *secundo modo*, cuius exemplum typicum erat analogia entis de ente creato ad Ens increatum, et consequenter analogia veritatis et bonitatis de veritate et bonitate creata ad Veritatem et Bonitatem increatam. Tertius enim modus analogiae scilicet secundum esse tantum et non secundum intentionem, quem addidit S. Thomas, non est adhibitus directe et per se, sed maioris explicationis causa, ut nempe non intelligeretur solum modum analogiae secundum intentionem tantum exhaurire totam naturam analogiae, ut obiectio supponere videbatur, sed dari etiam posse veram analogiam secundum esse: et ideo nullum esse inconveniens quominus dari possit analogia, et secundum intentionem, et secundum esse simul, quin exeat a natura analogiae proportionis ad unum: sicque plene iustificavit duplicem modum huiusce analogiae, quem mutuo acceperat e magistro suo Alberto.

651. Verum quidem est analoga analogia proportionalitatis propriae talia dici, et secundum intentionem, quia in ea non parificantur; et secundum esse, quia forma secundum quam analogantur est intrinsece et formaliter in singulis analogatis: et hac fortasse de causa, Caietanus[1], Joannes a S. Thoma[2] multique alii, quos sequitur Penido[3], exsistimarunt S. Thomam in loco citato *I Sent.*, intellixise analogiam secundum intentionem et secundum esse ut contradistinctam ab analogia secundum intentionem tantum et non secundum esse, veluti analogiam proportionalitatis propriae ut contradistinctam ab analogia proportionis sive attributionis ut sic.

At haec, pace tantorum virorum dixerim, minime fundata sunt in textu illo S. Thomae, quin potius ab eo omnino exorbitant, ut ex hucusque dictis patet. Apud

[1] Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 3, n. 30, ed. cit., p. 30.
[2] Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, Logica, II P., q. 13, a. 3, ed. cit., t. I, P. 484b.
[3] M. Penido, *Op. cit.*, p. 36.

Thomam ergo latius patet analogia proportionis ad unum quam analogia secundum intentionem tantum et non secundum esse, quia sub ea continetur etiam analogia secundum intentionem et secundum esse simul; ex adverso, analogia proportionalitatis propriae minus patet quam analogia secundum intentionem et secundum esse simul, quia haec potest esse sub analogia proportionis ad unum, a qua tamen analogia proportionalitatis contradistinguitur: et ideo, stantes germanae et authenticae doctrinae S. Thomae, non licet identificare vel confundere, quasi synonyma, analogiam attributionis vel proportionis ad unum et analogiam secundum intentionem tantum et non secundum erse; neque rursus analogiam proportionalitatis propriae cum analogia secundum intentionem et secundum esse simul. Talis identificatio vel confusio est Caietani aliorumque frequenter post ipsum, minime vero ipsius S. Thomae.

652. His ergo fusius dictis longiusque discussis, ut momentum quaestionis postulabat, munus nostrum erit coordinare omnes divisiones analogiae quas S. Thomas tradidit vel innuit sive formaliter et explicite vel in actu signato, sive aequivalenter et in actu exercito, revera tamen actu distincto vel confuso: non quidem unice neque primordialiter attendentes ordinem chronologicum textuum —hoc enim, praeter quam quod frequenter repetitiones induceret, minus erit utile, cum ipse nullam subierit evolutionem doctrinalem hac in re—; sed praedictam chronologiam ob oculos habentes eaque utentes ut opus fuerit, sequemur potius ipsum rerum ordinem, idest processum doctrinalem et obiectivum quem ipse Angelicus prae mente videtur habuisse.

Hac tamen in divisione proponenda ea tantum dicemus hic quae necessaria sunt ad ipsam intelligendam ut mera divisio est, quin immoremur in accurata explicatione conditionum singulorum membrorum in particulari neque in adducendis exemplis singula membra illustrantibus: de his enim ex professo loquemur in quaes-

tione sequenti. Supponimus etiam notiones thomisticas aequivocorum, univocorum et analogorum, quas supra fuse exposuimus.

Art. 2.- Ipsa divisio authentice thomistica.

653. *Aaequivoca* igitur S. Thomas, post Aristotelem aliosque peripateticos, *dividit* in aequivoca *multum distantia*, utpote quorum rationes significatae per idem nomen sunt omnino diversae et disparatae, nullum habentes ordinem inter se neque ad unum tertium, ut canis terrestris et canis marinus et canis caelestis aequivocantur nomine canis; et in aequivoca *non multum distantia, sed aliquo modo propinqua*, quatenus rationes significatae per idem nomen ita diversae vel distantes sunt inter se ut tamen aliquem ordinem vel convenientiam simul habeant, ut sanus cibus et sanus color et sana medicina et sanum animal sic aequivocantur nomine sani quod simul tamen cibus et color et medicina conveniant in communi quodam respectu sive habitudine ad sanitatem animalis [1].

Et quidem prima, ratione tantae *distantiae* sive diversitatis significationum, vi cuius eorum aequivocatio quasi per se obvia et nota est, dicuntur *aequivoca manifesta vel aperta* [2]; ratione autem *impositionis* nominis absque ullo respectu et dependentia unius ad aliam, vocantur *aequivoca a casu vel fortuna*, quasi nullam veram et unam causam habentia communis denominationis [3]; ratione vero *sui*, idest ipsius aequivocationis aequivocantis et aequivocatae, appellantur *pure, simpliciter, omnino, prorsus aequivoca*, utpote quibus plene et perfecte ac totaliter convenit ratio aequivocationis [4]. In his enim

---

[1] S. Thomas, *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8; *In V Ethicorum*, lect. 1, n. 894.

[2] *In V Ethicorum*, lect. 1, n. 894.

[3] *In I Ethic.*, lect. 7, nn. 95-96; *In I Metaph.*, lect. 14, nn. 223-224; De Pot., 7, 7c.

[4] *In I Metaph.*, lect. 14, nn. 223-224; *De Verit.*, 2, 11 passim; *De Pot.*, 7, 7c; *I Contra Gent.*, cap. 33 passim; I, 13, 5c.

unum idemque nomen plura ut plura actu et explicite significat, idest ex aequo sive aeque principaliter[1].

Secunda vero, ratione aliqualis *propinquitatis* vel convenientiae diversarum significationum vi cuius eorum aequivocatio quodammodo occultatur et tegitur, dicuntur *aequivoca latentia vel occulta*[2]; ratione autem *impositionis* nominis secundum respectum vel dependentiam unius ad aliam, appellantur *aequivoca a consilio*, quasi veram causam et rationem habentia denominationis communis; ratione vero *sui*, idest ipsius aequivocationis imperfectae et partialis tantum, vi cuius in aliquo uno quod respiciunt aliqualiter conveniunt, vocantur *aequivoca secundum analogiam*[3]. In his namque unum idemque nomen ita significat plura actu, ut tamen ea non explicite et ut plura significet quasi ex aequo, sed implicite et ut aliquo modo ad unum reducta, quatenus unum significat principaliter et per prius, aliud vero vel alia secundario et per posterius, secundum ordinem vel respectum ad illud primum vel secundum similem respectum plurium ad plura ad quae similiter se habent[4].

S. Doctor explicite meminit huius divisionis, quando ait duos esse modos aequivocationis unius nominis communis: unum *principalem*, quando scilicet nomen unum aeque principaliter plura ut plura significat; alium *secundarium*, quando nempe nomen unum plura significat ut aliquo modo ad unum reducta, ita quidem ut unum per prius et aliud per posterius significet secundum respectum aliquem ad illud primum: et ad hunc modum, inquit, «reducitur multiplicitas nominum *analogorum*, quae dicuntur secundum prius et posterius, sicut sanum dicitur aliquando de animali, urina et diaeta», non tamen aeque principaliter, «quia sanum primo sumitur pro eo quod principaliter significat, scilicet *habere sanitatem* [ut animal], secundo vero pro eo quod posterius significat, scilicet pro *signante* [vel conservante] sanitatem»[5].

---

1 *De fallaciis*, cap. 4. Opuscula, ed. Mandonnet, t. 4, p. 513.
2 *In VII Physicorum*, lect. 8, n. 8; *In V Ethicorum*, lect. 1, n. 894.
3 *In I Ethic.*, lect. 7, n. 96.
4 *De fallaciis*, cap. 4, ed. cit., p. 513; *I Ethic.*, lect. 7, nn. 95-96.
5 *De fallaciis*, ibid., paulo post.

Et clarius alio in loco: «*in aequivocis* quae *per fortunam* sunt et casum, ut *canis*, non attenditur similtudo aliqua [unius ad aliud]; sed *in aequivocis* quae dicuntur *per respectum ad unum principium*, attenditur *aliqua similitudo analogiae vel proportionis*: et talis est multiplicitas huius nominis *principium*; unde etiam Philosophus, V Metaph., cap. 1, docet reducere omnia huiusmodi ad unum primum principium»[1].

Qua in re expresse provocat ad Aristotelem: «animal, inquit, dictum de animali vero et de picto, non dicitur pure aequivoce; sed Philosophus [Categoriae, cap. 1] *largo modo* accipit *aequivoca*, secundum quod *includunt in se analoga*: quia et ens, quod *analogice* dicitur, aliquando dicitur *aequivoce* praedicari de diversis praedicamentis»[2].

654. Aequivoca autem secundum analogiam sive *analoga* subdividit in analoga large et improprie dicta et in analoga proprie et stricte dicta.

Large et improprie dicta vocat, post S. Albertum Magnum[3], analoga «*secundum esse tantum et non secundum intentionem*; et hoc contingit quando plura parificantur [=univocantur] in *intentione* alicuius communis, sed illud commune non habet *esse* unius rationis in omnibus. Sicut omnia corpora parificantur in *intentione* corporeitatis [quae est esse substantia subiecta trinae dimensioni]; unde *logicus*, qui considerat *intentiones tantum* [puta intentionem secundam generis], dicit hoc nomen, *corpus*, de omnibus corporibus univoce praedicari: sed *esse* huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus; unde quantum ad *metaphysicum* et *naturalem* [=physicum], qui considerant res secundum suum *esse, nec hoc nomen corpus, nec aliquid aliud, dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus*, ut patet X Metaph. ex Philosopho et Commentatore», scilicet Averroe[4]

---

1 *I Sent.*, d. 31, 2, 1 ad 2.
2 I. 13. 10 ad 4.
3 Cf. *supra*, n. 623.
4 *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1. Cf. etiam *I Sent.*, d. 35, 4 ad 5; *II Sent.*, d. 12, 1 ad 1; *De natura generis*, cap. 14, ed. Mandonnet, t. 5, pp. 248-

Et idem valet de nomine *substantia*, prout dicitur de angelo, qui est substantia incorporea et incorruptibilis, et prout dicitur de corpore physico animato vel inanimato, quod est substantia corporea et corruptibilis [1]; et de nomine *motus*, prout dicitur de motu locali et de motu generationis et de motu alterationis [2]; et de nominibus *quantitas et unitas et figura*, prout dicuntur de solidis, aqueis et aeriformibus [3]; et de nomine *enuntiatio*, secundum quod dicitur de affirmativa et de negativa [4]. In his enim omnibus habetur identitas sive parificatio in intentione sui generis, sed diversitas et inaequalitas secundum esse sive modum essendi eorum quae sub tali communi

---

249; *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8; *In X Metaph.*, lect. 12, n. 2142; I, 66, 2 ad 1; *De Pot*. 7, 7 ad 1 sed contra.

Quod quidem profunde explicat in suo opusculo *De natura generis* —quod revera authenticum videtur esse—, per totum caput 15 (pp. 250-252), praesertim hisce verbis: «in hoc igitur praecisa ratio corporis [physici] consistit, quod ex materia et forma fiat unum; quod infallibiliter contingit quando forma educitur de potentia materiae. Quandoque etiam hoc fit, etsi forma non educatur de potentia materiae, ut patet de anima humana quae, etsi non sit educta de potentia materiae, cum a materia non traducatur, quia tamen ex ipsa et materia fit unum, efficitur corpus.

Hoc igitur corpus, sive forma educatur de potentia materiae sine motu, ut caelum; sive cum motu, ut in generabilibus et corruptibilibus; sive non educatur de potentia materiae, ut patet in homine —est res physica prima supra quam intellectus format intentionem generis, et illud est proprium subiectum Philosophiae Naturalis. *Logice* tamen: quia si fiat resolutio omnium istorum, non erit devenire ad aliquod commune caelo et inferioribus, ut supra (pp. 251-252) dictum est, cum nec in materia conveniant. Et ideo *corruptibilia omnia* conveniunt *in uno subiecto physico unitate reali*; sed *caelum convenit cum corruptibilibus in uno subiecto physico*, non unitate reali aliqua sed *logica tantum*. Huic gitur naturae intellectus attribuit rationem *generis*» (p. 252).

[1] *II Sent.*, d. 3, 1, 1 ad 2; 5 ad 2; *De natura generis*, cap. 6, ed. cit., t. 5, pp. 230-231; *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c (ed. Mandonnet, t. III, pp. 136-137); *De spiritualibus creaturis*, 2, ad 16; *De anima*, 14 ad 2 et 5; I, 88, 2 ad 4.

[2] *II Sent.*, d. 2, 1, 1 ad 3: «motus univocatur ad minus in intentione generis»; *III Sent.*, d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, n. 139; *In VII Physic.*, lect. 7-9; I-II, 29, 2 ad 1.

[3] *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3; *In III Metaph.*, lect. 8, nn. 437-439; *In VII Physic.*, lect. 7, n. 9; *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6; I, 77, 4 ad 2; I-II, 29, 2 ad 1.

[4] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6.

intentione continentur: sicut universaliter «omnes species generum inveniuntur differre secundum perfectius et minus perfectum», idest secundum melius et secundum peius, «et per consequens secundum prius et posterius secundum naturam» vel secundum esse [1]. Et ideo talis modus analogiae invenitur inter species in quas dividitur quodcumque genus.

Genus namque non est omnino una natura, sed species atoma. «Et huius ratio est, quia *species sumitur a forma ultima, quae simpliciter una est in rerum natura; genus autem non sumitur a forma aliqua quae sit una in rerum natura ,sed secundum rationem tantum*: non est enim aliqua forma ex qua homo sit animal praeter illam ex qua homo est homo. Omnes igitur homines, qui sunt unius speciei, conveniunt in forma quae constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem: sed non est in homine, equo aut asino aliqua anima communis quae constituat animal praeter illam animam quae constituit hominem vel equum aut asinum —quod si esset, tunc genus esset unum et comparabile sicut et species—; sed *in sola consideratione accipitur forma generis*, per abstractionem intellectus a differentiis.

Sic igitur *species est unum quid a forma una in rerum natura existente*: *genus autem non est unum; quia secundum diversas formas in rerum natura existentes, diversae species generis praedicationem suscipiunt*. Et sic genus est *unum logice*, sed *non physice*» [2]. Et inde apparet sensus exactus formulae, *secundum esse tantum et non secundum intentionem*. Haec enim formula, prout iacet ,aequivocationi obnoxia est.

Sciendum est ergo quod *esse*, contradistinctum ab intentione, potest bifarie sumi: uno modo, pro esse existentiae; alio modo, pro esse essentiae [3]. Similiter *in-*

---

[1] *In III Metaph.*, lect. 8, nn. 438-439.

[2] *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.

[3] *I Sent.*, d. 19, 5, 1c et ad 7; d. 25, 4c.

tentio, contradistincta ab esse, dupliciter sumi potest: uno modo, pro intentione prima; alio modo, pro intentione secunda [1] Consequenter sensus formulae potest esse quadruplex: primo, secundum esse exsistentiae et non secundum intentionem secundam; secundo, secundum esse exsistentiae et non secundum intentionem primam; tertio secundum esse essentiae et non secundum intentionem secundam; quarto, secundum esse essentiae et non secundum intentionem primam.

Porro evidens est duos priores sensus esse excludendos, quia *esse* non sumitur in hac formula pro mero esse exsistentiae contradistincto ab esse essentiae; esse namque exsistentiae est proprium singularium vel suppositorum ut singularia sunt, dum univocitas et analogia respiciunt essentialiter universalia, iuxta illud S. Doctoris: «univocatio et aequivocatio [sub qua et analogia continetur] non respicit suppositum, sed essentiam vel naturam quam significat definitio» [2]; esse autem exsistentiae est extra definitionem sicut et extra essentiam vel naturam, cui accidit et contingenter advenit [3]. Et ideo *esse* in hac formula intelligendum est pro esse *essentiae*, prout tamen est in rerum natura extra animam, idest pro *re* realiter exsistenti seu cum conditione vel modo aut statu exsistenti, quae uno verbo dicitur *res naturae* [4].

Pariter excludendus est tertitus sensus, quia *intentio* in hac formula non sumitur pro mera intentione secunda, quae est ipsa intentio universalitatis non habens esse obiective nisi in intellectu, sed pro intentione prima immediate fundata in re prout tamen est in sola anima cum conditione vel statu abstractionis et universalitatis [5];

---

1 *I Sent.*, d. 2, 3c et ad 4 et 5; d. 19, 5, 1c; d. 30, 3c; *De natura generis*, cap. 12, ed. Mandonnet, t. I, pp. 242-244. *De Pot.*, 7, 9c.
2 *Quodlib. III*, a. 4, ad 1.
3 *Quodlib. II*, a. 3c et ad 2.
4 *I Sent.*, d. 2, 3c; d. 25, 4c; *II Sent.*, d. 37, 1, 1c.
5 *I Sent.*, d. 2, 3c et ad 4 et 5; d. 19, 5, 1c; d. 30, 3c; *De natura generis*, cap. 5-13, ed. cit., pp. 228-247; *De ente et essentia*, cap. 4, ed. cit., pp. 29-37.

nimirum «*intentio* sumitur *pro ratione quam significat definitio*» [1].

Et ideo admittendus est, ut unice verus, quartus sensus, scilicet secundum esse essentiae reale seu in statu realitatis extra animam et non secundum intentionem primam intellectam sive in statu abstractionis et universalitatis in anima. Unde sicut *esse*, in hac formula, nominat in recto essentiam et in obliquo sive connotative statum realitatis et exsistentiae ut conditionem sine qua non, ita *intentio* nominat in recto intentionem primam sive rationem vel definitionem et connotative sive in obliquo statum abstractionis totalis et universalitatis ideoque statum intentionis secundae ut conditionem sine qua non.

Quam quidem interpretationem authentice dedit ipse S. Thomas quando dixit quod «*genus* et differentia possunt accipi dupliciter: uno modo, secundum considerationem *realem*, prout considerantur a Metaphysico et [philosopho] Naturali, et sic oportet quod genus et differentia super *diversis naturis* fundentur; et hoc modo nihil prohibet dicere quod in substantiis spiritualibus non sint genus et differentia, sed sint formae tantum et species simplices: alio modo, secundum considerationem *logicam*, et sic genus et differentia non oportet quod fundentur super *diversas naturas*, sed supra *unam naturam* in qua consideratur aliquid *proprium* et aliquid *commune*; et sic nihil prohibet genus et differentias ponere in substantiis spiritualibus» [2].

Et alibi: «partes quidem *essentiae* sunt naturaliter quidem [=realiter] forma et materia; *logice* autem genus *et differentia*» [3].

Unde et merito concludit ad rem nostram: «*Logicus* enim considerat absolute *intentiones*, secundum quas nihil prohibet convenire [genere logico] materialia immaterialibus et incorruptibilia corruptibilibus; sed *Naturalis et Philosophus Primus* considerant *essentias secundum quod habent esse in rebus* [et non secundum quod habent esse in intellectu tantum ut logicus]: et

---

1 *De Verit.*, 21, 3 ad 4.
2 *Quaest. disp. de Anima*, 7 ad 17. Cf. *ibid.* ad 18; *II Sent.*, d. 3, 1, 5c et ad 1 et 3.
3 III, 90, 2c.

ideo, ubi inveniunt *diversum modum potentiae et actus*, et per hoc, *diversum modum essendi*, dicunt esse diversa genere» reali, idest physico vel metaphysico [1].

Sicque plane intelliguntur aliae formulae aequivalentes, quas adhibet, quaeque apertius hunc exprimunt sensum, scilicet secundum *rem* et non secundum *intentionem* [2], secundum *suppositum* et non secundum *intentionem* [3], secundum *modum essendi* et non secundum *intentionem intelligibilem* tantum [4], secundum *modum essendi* et non secundum *communem aliquam intentionem* [5], secundum *rem* et secundum *rationem* [6], secundum *esse* et non secundum *praedicationem* [7].

Denique veritas huiusce exegeseos confirmatur ex eo quod S. Albertus Magnus, apud quem eadem occurrit formula, hunc eundem sensum ei attribuit, ut patet ex dictis [8].

Huiusmodi ergo analoga non sunt perfecte et totaliter analogiae rationem habentia, sed imperfecte tantum et secundum quid, cum de facto sint logice univoca: «et propter hanc generis [sive univocitatis logicae] convenientiam, *videntur omnino non aequivoca* [=analoga] *esse*» [9] licet aliquo modo sint, physice et metaphysice loquendo, quia secundum ipsam realitatem important veram distantiam et diversitatem iuxta perfectiorem et imperfectiorem modum essendi, «sicut angelus homine intellectualior est» [10]. Et hac de causa, non dicuntur a S. Thoma et S. Alberto analoga simpliciter et sine addito, sed cum particula diminuente: *fere analoga* [11].

---

1 *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c; ed. cit., t. 3, p. 137. Cf. etiam *De natura generis*, cap. 4-5, ed. cit., pp. 226-230.

2 *I Sent.*, d. 23, 3c; *De Pot.*, 7, 2, obi. 2-4 et resp. Cf. etiam *In V Metaph.*, lect. 1, n. 749: «prius distinguit [Aristoteles] *intentiones* nominum quae in huius scientiae consideratione cadunt; secundo, incipit determinare *de rebus* quae sub consideratione huius scientiae cadunt».

3 *I Sent.*, d. 8, 1, 3c et ad 3.

4 *De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 16.

5 *De Pot.*, 7, 7, ad arg. 1 sed contra.

6 I-II, 29, 2 ad 1.

7 *I Sent.*, d. 35, 4 ad 5; I, 77, 4 ad 1.

8 Cf. *supra*, n. 623.

9 *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.

10 *I Sent.*, d. 35, 4 ad 3.

11 «Naturae autem sensibiles intellectae non sufficienter exprimunt... essentias separatas [=angelos], cum non sint unius generis *naturaliter* [=physice et metaphysice] loquendo: et quidditas et omnia huiusmodi

Sed quia haec diversitas et inaequalitas *realis «non tollit univocationem generis»* [1], quod simpliciter et sine addito est vere et proprie univocum, ideo talia analoga sunt potius dicenda simpliciter et absolute univoca. Unde et a S. Doctore computantur inter simpliciter univoca, et ab analogis proprie dictis contradistinguit, quando scribit: «ea quae dividunt aliquod commune *univocum*, simul [=aequalia] sunt quantum ad *intentionem generis*, quamvis unum possit esse causa alterius [eoque prius et inaequale] quantum ad *esse*, sicut motus localis est causa aliorum motuum contra quos dividitur; sed ea quae dividunt aliquod commune *analogum*, se habent secundum prius et posterius, etiam quantum ad intentionem communis quod dividitur, sicut patet de substantia et accidente» [2]. Cum quo tamen stat quod philosophus Naturalis et Metaphysicus et Theologus, qui res ipsas directe rimantur, non debent hanc *rerum* analogiam negligere, quin potius eam plurimi aestimare debent, ne in excessum abeant puri putique logicismi.

655. Analoga vero *proprie et stricta dicta* nominat ea quae in ipsa communi intentione nominis diversificantur, propter diversas proportiones ad unum primum vel propter similes proportiones diversorum ad diversa: exempli gratia, gladius, lorica, currus, dicuntur *militaria* per analogiam ad hominem militem, ad quem sicut ad principaliter operantem opera militaria diversimode pro-

---

nomina *fere aequivoce* [=fere analogice] dicuntur de sensibilibus et de illis Substantiis» (*In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c, ed. cit., p. 136).

Eodem modo S. Albertus Magnus: «si aliquis obiiciat quod geometer comparat quantitates *diversarum specierum* quando dicit lineam rectam *brevissimam* linearum esse quae ducit inter duo puncta, et circulum esse *aequalem* figurae pologoniae vel *maiorem* —dicendum quod ipse utitur *large aequalitate, et brevitate fere aequivoce*, sicut patet per praedicta», ubi locutus fuerat de hac analogia (*VIII Physic.*, tract. 2, cap. 3, t. III, p. 512b).

1 S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6.

2 *III Sent.*, d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, nn. 139-140. Cf. etiam *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6; I-II, 29, 2 ad 1.

portionantur, nempe gladius ut instrumentum eius, lorica ut tegumentum, currus vel equus ut vehiculum[1]: item, qui praeest scholis, qui praeest domui, qui praeest operi constructionis palatii vel navis, dicuntur *magistri* ob similem proportionem uniuscuiusque ad sua, nam sicut magister scholarum ordinat et dirigit studentes ad scientiam comparandam ita magister domus dirigit et ordinat servos sibi subditos ad bene recipiendos hospites et magister aedificationis ordinat et dirigit operarios sibi subiectos ad bene construendam domum[2].

656. Et hanc analogiam *subdividit* in analogiam *proportionis sive attributionis* diversorum *ad unum* et in analogiam *proportionalitatis* diversorum *ad diversa*. «Convenientia enim secundum proportionem potest esse *duplex*: et secundum hoc, *duplex* attenditur *analogiae communitas*. Est enim convenientia inter ipsa *quorum est ad invicem proportio*...; convenientia etiam quandoque attenditur duorum ad invicem *inter quae non sit proportio, sed magis similitudo duorum ad invicem proportionum*... *Prima* ergo convenientia est *proportionis*; *secunda* autem *proportionalitatis*.

Unde et secundum modum *primae convenientiae* invenimus aliquid analogice dictum *de duobus quorum unum ad alterum habitudinem habet*, sicut ens de substantia et accidente ex habitudine quam substantia et accidens habent, et sanum dicitur de urina et animali ex eo quod urina habet aliquam habitudinem[3] ad sanitatem animalis. Quandoque vero dicitur analogice *secundo* modo convenientiae, sicut nomen visus dicitur de visu corporali et intellectu, eo quod sicut visus est in oculo ita intellectus est in mente»[4].

---

[1] *In I Ethic.*, lect. 7, n. 95.
[2] *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.
[3] Editiones habent, *similitudinem*; sed ex toto contextu apparet quod legi debet, *habitudinem*.
[4] *De Verit.*, 2, 11c et ad 2 et 4, una cum 2, 3 ad 4. Cf. supra notiones proportionis et proportionalitatis earumque distinctionem.

Et alio in loco, postquam descripsit analogiam proprie et stricte dictam, quando scilicet «unum nomen dicitur de multis *secundum rationes diversas*, non totaliter sed *in aliquo uno convenientes*», statim divisionem eius subiungit, dicens hoc fieri posse dupliciter: primo, «secundum *proportiones diversas multorum «ad idem»*, quatenus diversimode «referuntur *ad unum* principium..., *ad unum* finem..., *ad idem* subiectum»; secundo, «secundum *unam proportionem* [diversorum] *ad diversa*, sicut sanum et «eandem habent proportionem visus quoad corpus et intellectus quoad animam»[1]. En ipsissima divisio analogiae in analogiam *proportionis diversorum ad unum* et in analogiam *proportionalitatis diversorum ad diversa*, de qua locutus fuerat in textu modo citato *De Veritate*, licet hic propria nomina non indicaverit.

Tandem affirmat quod *unum* analogia ideoque analogiam ipsam —nam unum et ens convertuntur— «potest accipi *duobus* modis: *vel* ex eo quod aliqua duo habent *diversas habitudines ad unum*, sicut sanativum de urina dictum habitudinem significat *signi* sanitatis, de medicina vero significat habitudinem *causae respectu eiusdem*; *vel* in eo quod est *eadem proportio duorum ad diversa*, sicut tranquillitas ad mare et serenitas ad aerem: tranquillitas enim est *quies* maris, et serenitas [est *quies*] aeris»[2].

Sive ergo expressis verbis, ut in *De Veritate*; sive terminis aequivalentibus, ut in commentariis super *Ethicam* et *Metaphysicam* Aristotelis, *reapse* tamen S. Thomas hanc tradidit analogiae divisionem.

Nominavimus autem primum membrum divisionis analogiam proportionis sive attributionis, quia utroque modo appellatur plerumque a S. Doctore.

Proportionis quidem vel *secundum proportionem*, non solum in locis modo citatis, verum etiam in multis aliis, exempli gratia

---

[1] *In I Ethicorum*, lect. 7, n. 95.
[2] *In V Metaph.*, lect. 9, n. 879.

«quia multa habent *proportionem ad unum*..., vel quia unum habet *proportionem ad alterum*»; et ideo «nomen quod sic multipliciter dicitur, significat *diversas proportiones ad unum*»[1]: «dicuntur igitur secundum analogiam, idest *secundum proportionem ad unum*»[2]; «dicuntur analoga, quia *proportionantur ad unum*»[3].

Attributionis autem, cum scribit: «*analogice* dicitur praedicari quod praedicatur de pluribus quorum rationes et definitiones sunt diversae, sed *attribuuntur uni alicui eidem*..., *per attributionem ad unum*»[4]. Ecce formula, analogice praedicari de pluribus per attributionem ad unum, idest analogia attributionis unius vel plurium ad unum. Et quia haec secundaria analogata rationem et nomen participant ab illo uno et primo, ideo vicissim potest dici quod ab eo attribuitur nomen illud ceteris sub eo analogatis, iuxta S. Doctorem: «cum aliquid invenitur a pluribus *diversimode* participatum, oportet quod *ab eo* in quo *perfectissime* invenitur, *attribuatur* omnibus illis in quibus *imperfectius* invenitur; nam ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquori *ad* aliquid *unum*: si enim unicuique eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur»[5]. Sicut ergo dicitur analogia proportionis ad unum et ab uno, ita quoque dicitur analogia attributionis ad unum et ab uno.

Aequivalentiam vero utriusque formulae, scilicet analogiae proportionis et analogiae attributionis, exprimunt apertissime haec S. Thomae verba: «aliquando enim ea quae conveniunt secundum analogiam et *proportionem* et comparationem, *attribuuntur* uni fini...; aliquando uni agenti..., aliquando autem *per attributionem* ad unum subiectum...»[6]. Et iterum: «haec autem nomina quae dicuntur de Deo et de aliis rebus, *attribuuntur* Deo secundum aliquem *ordinem* [=proportionem] quem habet ad istas res, in quibus intellectus significata eorum considerat... Dicuntur igitur secundum analogiam, idest *secundum proportionem ad unum*: ex eo enim quod alias res *comparamus ad Deum sicut ad suam primam originem*, huiusmodi nomina, quae significant perfectiones aliarum rerum, *Deo attribuimus*. Ex quo patet quod, licet *quantum ad nominis impositionem* huiusmodi nomina *per prius de creaturis dicantur*, eo *quod ex creaturis intellectus nomina imponens ascendit in Deum* [et consequenter *ex eis attribuuntur ad Deum*]; tamen *secundum rem significatam per nomen, per prius dicuntur de Deo, a quo perfectiones descendunt in alias res*», ideoque *ex eo attribuuntur* illis praedicta nomina[1].

---

[1] I, 13, 5c.
[2] *Comp. theol.*, I P., cap. 27. Opuscula, ed. Mandonnet, t. II, p. 16.
[3] *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2197.
[4] *De principiis naturae*, ed. Mandonnet, t. I, p. 17. Quam formulam S. Thomas mutuo videtur accepisse ex Averroe, apud quem eodem circiter modo occurrit, ut videre est ex textibus supra citatis.
[5] *De Pot.*, 3, 5c.
[6] *De principiis naturae*, ed. cit., p. 17.

Saepe etiam has formulas aliis aequivalentibus reddit, verbi gratia *per ordinem ad unum*[2], secundum *ordinem unius ad alterum*[3] *vel plurium ad unum*[4], secundum *ordinem et proportionem ad unum*[5], secundum analogiam vel *proportionem ab uno*[6], secundum *comparationem ad unum*[7], per *relationem ad unum*[8], secunudm *comparationem ad unum*[7], secundum diversas *habitudines ad unum*[8], per *relationem ad unum*[9], per *respectum ad alterum*[10], per *respectum ad unum*[11], per *respectum ad unum primum*[12], per *respectum unius ad alterum vel duorum ad tertium*[13], secundum *ordinem vel respectum ad aliquid unum*[14], per *respectum ad unam naturam secundum habitudines diversas*[15], per *reductionem ad aliquod unum*[16], ac praesertim *secundum prius et posterius* vel *per prius et posterius*[17].

---

[1] *Comp. theol.*, I P., cap. 27, ed. cit., p. 16.
[2] *De Verit.*, 1, 3c; I, 16, 6c; I-II, 20, 3c.
[3] I-II, 20, 3 ad 3.
[4] III, 60, 2c et ad 1.
[5] I, 13, 5c.
[6] I-II, 20, 3 ad 3.
[7] I, 16, 6 ad 2; *De Verit.*, 1, 4c; *In IV Metaph.*, lect. 1, nn. 537-538.
[8] *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 535; II, 60, 2c et ad 3.
[9] *De Verit.*, 1, 4c; *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 543; lect. 3, n. 568; *IX Metaph.*, lect. 1, n. 1768; *XI Metaph.*, lect. 3, n. 2197.
[10] *De Verit.*, 21, 2 ad 2.
[11] *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 536; *In VII Metaph.*, lect. 4, n. 1337.
[12] *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 539; *In I de Caelo et Mundo*, lect., 20, n. 2, circa finem.
[13] *De Pot.*, 7, 7c.
[14] *I Contra Gent.*, cap. 34.
[15] *In IV Metaph.*, lect. 1, n. 544.
[16] *In IV Metaph.*, lect. 3, n. 568; lect. 4, n. 584; *In XI Metaph.*, lect. 3, nn. 2194-2197.
[17] Cf. *supra*.

657. *Subdividit* autem *analogiam attributionis* sive proportionis ad unum ex *quadruplici capite*, scilicet ex parte causae vel rationis secundum quam illud primum natum est sibi analogare cetera secundaria, ex parte numeri secundariorum analogatorum ad illud unum, ex parte modi communicationis sive participationis formae vel intentionis analogicae secundorum analogatorum a primo, et ex parte ipsius modi proportionis inter primum analogans et secundaria analogata. Haec enim quatuor considerari possunt in his quae sic analogice dicuntur; quia in talibus necessario concurrunt, et primum analogans, et secundaria analogata, et communitas sive communicatio aliqua rationis analogicae, et aliqua proportio inter illud primum et posteriora ipsi analogata. Nisi enim esset primum et secundum non haberetur analogia secundum prius et posterius; nisi daretur aliqua proportio unius ad alterum, non esset analogia proportionis; nisi tandem haberetur aliqua communicatio vel convenientia primi et secundi in intentione vel ratione qua praecise analogantur, non esset vera et proprie dicta analogia.

658. *Ex parte* igitur *causae* vel rationis secundum quam illud primum natum est sibi analogare cetera analogata secundaria et posteriora, *subdividit* S. Thomas analogiam proportionis *in quatuor modos*, iuxta quatuor genera causarum, nempe *finalis, efficienis, quasi materialis* vel subiecti et formalis extrinsecae seu *exemplaris*.

Et quidem, iuxta morem consuetum Aristotelis eiusque commentatorum graecorum, arabum et latinorum, enumerat simul tres priores modos tam in operibus propriis quam in Commentariis super Opera Stagiritae.

In *Operibus propriis*, ut quando scribit in Opusculo *De Principiis naturae*: «analogice [analogia attributionis sive proportionis] dicitur praedicari *quod praedicatur de pluribus quorum rationes et definitiones sunt diversae, sed attribuuntur uni alicui eidem*; sicut sanum dicitur de corpore animalis et de urina et potione, sed non ex toto idem significat in omnibus tribus: dicitur

enim de urina *ut de signo* sanitatis, de corpore *ut de subiecto*, de potione *ut de causa*; sed tamen omnes istae rationes attribuuntur *uni fini*, scilicet *sanitati* [animalis].

Aliquando enim ea quae conveniunt secundum analogiam et proportionem et comparationem *attribuuntur uni fini*, sicut patuit in praedicto exemplo sanitatis.

Aliquando uni agenti: sicut medicus dicitur *de eo qui operatur sine arte*, ut vetula; et etiam *de instrumentis*: sed *per attributionem* ad genus est medicina [nempe ad medicum expertum et peritum arte medicinali].

Aliquando autem *per attributionem ad unum subiectum* [quod est *causa quasi materialis in qua*]: ut ens dicitur de substantia, quantitate, qualitate et aliis praedicamentis; non enim ex toto est eadem ratio qua substantia est ens, et qualitas, et omnia alia, sed omnia [haec entia accidentalia] dicuntur ens ex eo quod *attribuuntur substantiae*, quae est *aliorum subiectum*: et ideo ens dicitur per prius de substantia, et per posterius de aliis»[1].

In *Commentariis* super Aristotelis opera. Sic in commentariis super Ethicam Nicomacheam docet analogiam proportionis contingere quando «unum nomen dicitur de multis secundum rationes diversas, sed in aliquo uno [ad quod respiciunt] convenientes.

Quandoque quidem in hoc quod *referuntur ad unum principium* [=causam efficientem principalem]: sicut res aliqua dicitur militaris, vel quia est instrumentum militis sicut gladius, vel quia est tegumentum eius sicut lorica, vel quia est vehiculum eius sicut equus.

Quandoque vero in hoc quod *referuntur ad unum finem*: sicut medicina dicitur sana eo quod est factiva sanitatis, diaeta vero eo quod est conservativa sanitatis, urina vero eo quod est sanitatis significativa.

Quandoque secundum *proportiones diversas ad idem subiectum* [=causam quasi materialem in qua]: sicut qualitas dicitur esse ens quia est dispositio per se entis, idest substantiae, quantitas vero eo quod est mensura eiusdem, et sic de aliis» praedicamentis accidentis[2].

---

[1] *De principiis naturae*, ed. cit., t. I, pp. 17-18.
[2] *In I Ethicorum*, lect. 7, n. 95.

Similiter in commentariis super Metaphysicam tradit nomen aliquod analogice praedicari de multis analogia proportionis quando dicitur de eis «secundum rationes quae partim sunt diversae et partim non diversae: diversae quidem secundum quod diversas habitudines important, unae autem secundum quod ad unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur..., idest proportionaliter, prout unumquodque secundum suam habitudinem ad illud unum referuntur», quod est «unum numero et non solum unum ratione».

«Et hoc patet in exemplis infra positis. Ponit enim [Aristoteles], *primo*, unum exemplum, *quando multa comparantur ad unum sicut ad finem*, sicut patet in hoc nomine sanativum vel salubre. Sanativum enim non dicitur univoce de diaeta, medicina, urina et animali. Nam ratio sani secundum quod dicitur de diaeta consistit in conservando sanitatem; secundum vero quod dicitur de medicina, in faciendo sanitatem; prout vero dicitur de urina, est signum sanitatis; secundum vero quod dicitur de animali, ratio eius est quoniam est receptivum vel susceptivum sanitatis. Sic igitur omne sanativum vel sanum dicitur ad sanitatem unam et eandem: eadem enim est sanitas quam animal suscipit, urina significat, medicina facit et diaeta conservat.

Secundo, ponit exemplum, *quando multa comparantur ad unum sicut ad principium efficiens*. Aliquid enim dicitur medicativum ut qui habet artem medicinae, sicut medicus peritus: aliquid vero quia est bene aptus ad habendum artem medicinae, sicut homines qui sunt dispositi ut de facili artem medicinae acquirant, ex quo contingit quod ingenio proprio quaedam medicinalia operantur; aliquid vero dicitur medicativum vel medicinale quia eo opus est ad medicinam, sicut instrumenta quibus medici utuntur medicinalia dici possunt, et etiam medicinae quibus medici utuntur ad sanandum. Et similiter accipi possunt alia quae multipliciter dicuntur, sicut et ista.

Et sicut est de praedictis, ita etiam et ens multipliciter dicitur; sed tamen *omne ens dicitur per respectum ad unum primum*: sed hoc primum non est finis vel efficiens sicut in praemissis exemplis, sed *subiectum* [quod est *causa quasi materialis in qua*]. Alia enim dicuntur entia vel esse quia per se habent esse, sicut substantiae, quae principaliter et prius entia dicuntur; alia vero quia sunt passiones sive proprietates substantiae, sicut per se accidentia uniuscuiusque substantiae; quaedam au-

tem dicuntur entia quia sunt via ad substantiam, sicut generationes et motus; alia autem entia dicuntur quia sunt corruptiones substantiae: corruptio enim est via ad non esse, sicut generatio via ad substantiam; et quia corruptio terminatur ad privationem sicut generatio ad formam, convenienter ipsae etiam privationes formarum substantialium esse dicuntur: et iterum qualitates vel accidentia quaedam dicuntur entia quia sunt activa vel generativa substantiae, vel eorum quae secundum aliquam habitudinem praedictarum ad substantiam dicuntur, vel secundum quamcumque aliam; item negationes eorum quae ad substantiam habitudinem habent, vel etiam ipsius substantiae, esse dicuntur: unde dicimus quod non-ens est non-ens; quod non diceretur nisi negationi aliquo modo *esse* competeret.

Sciendum tamen quod praedicti modi essendi ad quatuor possunt reduci. Nam unum eorum, quod est debilissimum, est tantum in ratione, scilicet negatio et privatio, quam dicimus in ratione esse; quia ratio de eis negotiatur quasi de quibusdam entibus, dum de eis affirmat vel negat aliquid... **Aliud autem** huic proximum in debilitate est, secundum quod generatio et corruptio et motus, entia dicuntur: habent enim aliquid admixtum de privatione et negatione; nam motus est actus imperfectus, ut dicitur in III Physicorum. Tertium autem dicitur quod nihil habet de non-ente admixtum, habet tamen esse debile; quia non per se, sed in alio [est], sicut sunt qualitates, quantitates et substantiae proprietates. Quartum autem genus est quod est perfectissimum, quod scilicet habet esse in natura absque admixtione privationis et habet esse firmum et solidum quasi per se exsistens, sicut sunt substantiae. Et ad hoc sicut *ad primum et principale omnia alia referuntur*: nam qualitates et quantitates dicuntur esse in quantum insunt substantiae; motus et generationes, in quantum tendunt ad substantiam, vel ad aliquid praedictorum [scilicet ad quantitatem vel ad qualitatem]; privationes autem et negationes, in quantum removent aliquid trium praedictorum», nempe substantiae vel quantitatis vel qualitatis [1].

Eademque brevius repetit postea hisce verbis: «manifestum est enim quod quae sic dicuntur, media sunt inter univoca et [pure] aequivoca. In univocis enim nomen unum praedicatur

---

[1] *In IV Metaph.*, lect. 1, nn. 535-543.

23

de diversis secundum rationem totaliter eandem, sicut animal de equo et de bove dictum significat substantiam animatam sensibilem; in aequivocis vero idem nomen praedicatur de diversis secundum rationem totaliter diversam, sicut patet de hoc nomine canis prout dicitur de stella et quadam specie animalis; *in his vero quae praedicto modo* (=analogice] *dicuntur*, idem nomen de diversis praedicatur secundum rationem *partim eandem, partim diversam*: *diversam* quidem, *quantum ad diversos modos relationis*; *eandem* vero, *quantum ad id ad quod fit relatio*: esse enim significativum [sanitatis] et esse effectivum [eius], diversum est; *sed sanitas una est. Et propter hoc, huiusmodi dicuntur analoga, quia proportionantur ad unum*»[1].

«Quod manifestat *per duo exempla*, scilicet *medicativum* [=secundum proportionem *ad unum efficiens principale*] et *salubre* [=secundum proportionem *ad unum finem*]. Utrumque enim eorum dicuntur secundum diversos modos, tamen per reductionem ad unum.

Medicativum aliquid dicitur multipliciter, secundum quod *hoc* refertur *sic* ad medicamentum; et *id, aliter*. Et similiter salubre dicitur multipliciter, secundum quod *hoc* refertur *sic* ad sanitatem; et *id, aliter. Utrobique tamen idem est ad quod fit reductio, licet diversis modis.*

Sicut *sermo* dicitur *medicans*, eo quod est *a scientia medicativa*; *cultellus* autem dicitur *medicativus*, eo quod est *utilis eidem scientiae* sicut *instrumentum*.

Et similiter *hoc* dicitur *salubre*, quia est *significativum* sanitatis, sicut urina; *hoc* autem, quia est *factivum* sanitatis, sicut potio medicinalis.

Et similiter est in aliis, quae hoc eodem modo dicuntur»[2].

«Et similiter est de multiplicitate *entis* [quod dicitur diversimode de diversis praedicamentis, *secundum proportionem tamen ad unum primum et principale sicut ad subiectum vel ad causam quasi materialem in qua*, nempe ad substantiam]. Nam *ens simpliciter, dicitur id quod in se habet esse, scilicet substantia*: *alia vero dicuntur entia, quia sunt huius quod per se est*, vel passio, vel habitus, vel aliquid huiusmodi. Non enim *qualitas* dicitur ens quia ipsa habeat esse, sed per eam *substantia* dicitur

---

[1] *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2197.
[2] *Ibid.*, nn. 1295-2196.

esse *disposita: et similiter est de aliis accidentibus*; et propter hoc, dicit [Aristoteles] quod *sunt entis* [simpliciter et per se vel in se, scilicet substantiae]. Et sic patet quod multiplicitas entis habet aliquid commune *ad quod fit reductio*» sicut ad unum primum et principale per modum subiecti inhaesionis et sustentationis, nempe ad substantiam[1].

Hisce tribus modis analogiae proportionis ad unum addit frequenter quartum modum, scilicet *proportionis exemplatorum ad unum exemplar vel prototypum*, ut pictura vel statua animalis aut hominis dicitur animal aut homo per analogiam proportionis ad animal aut hominem vivum et verum veluti exemplatum ad exemplar[2]; et veritas dicitur de diversis veritatibus creatis per analogiam proportionis ad unam primam veritatem, scilicet veritatem Increatam, quam illae diversimode imitantur pro suo quoquo modo[3]; et scientia creata dicitur talis per analogiam proportionis ad scientiam Increatam, quam suo modo imitatur[4].

Ut enim profunde scribit ipse, «in his quae *ad imitationem alterius* producuntur, *quandoque* id quod alterum imitatur, *perfecte* imitatur ipsum, et tunc intellectus operantis praeconcipiens formam operati habet ut ideam ipsam formam rei imitatae prout est illius rei imitatae; *quandoque* vero quod est ad imitationem alterius, *non perfecte imitatur ipsum*, et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatae absolute ut ideam vel exemplar rei operandae, sed *cum proportione determinata secundum quam exemplatum a principali exemplari deficeret vel imitaretur.*

Dico ergo quod Deus per intellectum omnia operans, *omnia ad similitudinem essentiae suae producit*: unde essentia sua est idea [=exemplar] rerum, non ut essentia, sed ut est intellecta. *Res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam.*

---

[1] *Ibid.*, n. 2197. Cf. *ibid.*, n. 2194; *In VII Metaph.*, lect. 4, nn. 1331-1338.
[2] *De Verit.*, 2, 11 ad 8; *In VII Physicorum*, lect. 8, n. 8; I, 13, 10 ad 4.
[3] *I Sent.*, d. 19, 5, 1-2; *De Verit.*, 1, 4; 21, 4 ad 5; 27, 1 ad 7; I, 16, 6.
[4] *I Sent.*, d. 35, 4c et ad 7; *De Verit.*, 2, 11 ad 8; I, 13, 5c et arg. 1 sed contra.

Unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed *cum proportione creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea vel imitatur eam.*

Diversae autem *res diversimode ipsam imitantur*; *et unaquaeque secundum proprium modum suum*, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera. *Et ideo ipsa divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscuiusque rei.* Unde, cum sint *diversae* rerum proportiones, necesse est esse *plures* ideas: *et est quidem una omnium ex parte essentiae, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam*»[1].

Et post pauca: «dicendum, inquit, quod *una Prima forma, ad quam omnia reducuntur, est ipsa divina essentia secundum se considerata; ex cuius consideratione divinus intellectus adinvenit, ut ita dicam, diversos modos imitationis ipsius, in quibus pluralitas idearum consistit*»[2].

659. *Ex parte* autem *numeri analogatorum* secundariorum *subdividit* analogiam proportionis in analogiam *unius tantum ad unum* et in analogiam *duorum vel plurium ad unum*, prout analogatum secundarium est unum tantum vel sunt plura. Semper enim analogatum secundarium dicit essentialiter ordinem et proportionem ad unum primum analogans sui ordinis vel generis in quo *tota ratio* analogi reperitur: neque sufficit ab hoc ut aliquid sit primum analogans quaecumque prioritas vel excellentia, sed prioritas formalis et absoluta. *Formalis* quidem, in habendo intrinsece et realiter formam vel rationem analogi; *absoluta* autem, in habendo eam essentialiter in suo genere vel simpliciter, et non participative ex alio priori. Et ideo, quando sunt plura analogata secundaria, licet unum sit prius alio, haec prioritas mere relativa respectu eius quod absolute et simpliciter posterius sive ultimum est, non fundat analogiam huius, quia non dicitur tale per proportionem ad illud, ser prioritas absoluta eius quod est omnino primum in

---

1 *De Verit.*, 3, 2c.
2 *Ibid.*, ad 6. Cf. etiam ad 5.

suo ordine vel simpliciter, ad quod essentialiter respectum dicit utpote a quo rationem analogi participat. Ratio namque prioritatis et posterioritatis in secundariis analogatis, si plura sint, non sumitur ex ordine unius ad alterum, puta ultimi et imperfectissimi ad intermedia et perfectiora, sed ex ordine omnium ad primum et unum absolute et maxime tale.

S. Thomas ipse frequenter dedit hanc subdivisionem, eiusque fundamentum semel tradidit.

Subdivisionem quidem, uti apparet ex textibus sequentibus.

I Sent., prolg., a. 2 ad 2.

«Creator et creatura reducuntur in unum, non communitate univocationis sed *analogiae.* Talis autem communitas potest esse *dupliciter*: aut ex eo quod *aliqua* [=plura] *participant aliquid unum secundum prius et posterius*, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens; *aut* ex eo quod *unum esse et rationem ab altero recipit, et talis est analogia creaturae ad Creatorem.* Creatura enim non habet esse nisi secundum quod a Primo ente descendit; nec nominatur ens nisi in quantum ens Primum imitatur: et similiter est de Sapientia et de omnibus aliis quae de creatura dicuntur».

II Sent., d. 16, 1 ad 3. Cf. obi. 3.

«Convenientia analogiae potest esse *dupliciter*: *aut duo-*

I Sent., d 35, a. 4c.

«Scientia *analogice* dicitur de Deo et creatura, et similiter omnia huiusmodi. Sed *duplex est analogia: quaedam, secundum convenientiam in aliquo uno, quod eis* [=pluribus] *per prius et posterius convenit*, et haec analogia non potest esse inter Deum et creaturam, sicut nec univocatio; alia analogia est, *secundum quod unum imitatur aliud quantum potest, nec perfecte ipsum assequitur, et haec analogia est creaturae ad Deum*».

De Verit., q. 2, a. 11, obi. 6.

«In omnibus analogis [analogia proportionis vel attributionis] ita est quod: *vel unum ponitur in definitione alterius*, sicut ponitur substantia in definitione accidentis, et actus in definitione potentia; *vel aliquid ponitur in definitione utriusque*, sicut sanitas

rum participantium aliquod unum [prius et simplicius eis, ut substantia et accidens participant ens], et talis convenientia non potest esse Creatoris et creaturae, ut obiectum est [quia Deo nihil est prius et simplicius]; *aut* secundum quod *unum per se est simpliciter et alterum participat de similitudine eius quantum potest*, ut si poneremus calorem esse sine materia, ignem convenire cum eo ex hoc quod aliquid caloris participaret: et talis convenientia esse potest creaturae ad Deum, quia Deus dicitur ens hoc modo quod est ipsum suum esse; creatura vero non est ipsum suum esse, sed dicitur ens quasi esse participans».

I Contra Gentiles, cap. 34.

«Ea quae de Deo et rebus aliis dicuntur, praedicantur neque univoce neque aequivoce, sed *analogice, hoc est, secundum ordinem vel respectum ad aliquid unum.* Quod quidem *dupliciter* contingit: *uno modo, secundum quod multa habent respectum ad aliquid unum;* sicut, secundum respectum ad unam sanitatem, animal dicitur sanum ut eius subiectum, medicina ut eius effectivum, cibus ut conservativum, urina animalis ponitur in definitione sani quod dicitur de urina et cibo, quorum *alterum* est conservativum, *alterum* significativum sanitatis».

Ibid., ad 6.

«Ratio illa procedit de communitate analogiae quae accipitur secundum determinatam habitudinem *unius ad alterum* [=analogia proportionis proprie et stricte dictae, ut patet ex corpo. art.]: tunc enim oportet quod *unum in definitione alterius ponatur*, sicut substantia in definitione accidentis; *vel aliquid unum in definitione duorum, ex eo quod utraque dicuntur per habitudinem ad unum*, sicut substantia in definitione quantitatis et qualitatis». Cf etiam *ibid.*, ad 4.

Quaest. disp. De Potentia, a. 7c.

«De Deo et creatura nihil praedicatur univoce; non tamen ea quae communiter praedicantur, pure aequivoce praedicantur, sed *analogice*. Huius autem praedicationis *duplex* est modus: *unus, quo aliquid praedicatur de duobus per respectum ad aliquod tertium*, sicut ens de qualitate et quantitate per respectum ad substantiam; *alius* modus est, *quo aliquid praedicatur de duobus per respectum unius ad alterum*, sicut ens de substantia et quantitate.

In *primo* autem *modo* praedicationis *oportet esse aliquid prius duobus, ad quod ambo respectum habent*, sicut substantia ad quantitatem et qualitatem; in *secundo autem non, sed necesse est unum esse prius altero.*

Et ideo, cum Deo nihil sit prius, sed ipse sit prior creatura, competit in divina praedicatione secundus modus analogiae, et non primus».

Summa Theol., I, q. 12, a 5.

«Huiusmodi nomina dicuntur de Deo et creaturis secundum *analogiam*, idest *proportionem.* Quod quidem *dupliciter* contingit in nominibus: *vel quia multa habent proportionem ad unum*; sicut sanum dicitur de medicina et urina in quantum *utrumque* habet ordinem et proportionem *ad sanitatem animalis*, cuius hoc quidem signum est, illud vero causa: *alio modo, secundum quod duorum attenditur ordo vel respectus, non ad aliquid alterum, sed ad unum ipsorum*; sicut ens de substantia et accidente dicitur secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, *non quod* substantia et accidens *ad aliquod tertium referantur*.

Huiusmodi igitur nomina de Deo et rebus aliis non dicuntur analogice secundum primum modum —oporteret enim aliquid Deo ponere prius—, sed modo secundo».

Summa Theol., I, q. 12, a 5.

«Huiusmodi nomina dicuntur de Deo et creaturis secundum *analogiam*, idest *proportionem.* Quod quidem *dupliciter* contingit in nominibus: *vel quia multa habent proportionem ad unum*; sicut sanum dicitur de medicina et urina in quantum *utrumque* habet ordinem et proportionem *ad sanitatem animalis*, cuius hoc quidem signum est, illud vero causa: *-vel ex eo quod unum habet proportionem ad alterum*, sicut sanum dicitur de medicina et animali in quantum medicina est causa sanitatis quae est in animali.

Et hoc modo aliqua dicuntur de Deo et creaturis analogice».

Fundamentum autem eius tradidit hisce verbis: «in ente autem sic accepto [scilicet pro ente reali] *duplex analogia reperitur*. Dicitur enim ens de Deo et de creatura, sed per prius de Deo et per posterius de creatura: licet verius sit Deum esse super omne ens quam esse ens, sicut dicit Dionysius et Damascenus. Propter hanc tamen analogiam *non sequitur ens esse prius utroque, Deo scilicet et creatura*; *sicut prius est ens substantia et accidente, de quibus analogice dicitur*.

Ad cuius evidentiam est sciendum quod, *quando tota ratio analogi reperitur in altero de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo reperitur, tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subiectum*.

Cum vero tota ratio praedicati in neutro subiectorum est, necesse erit praedicatum prius esse et communius utroque subiecto: sicut tota ratio entis non salvatur [absolute] *in substantia quae est genus primum, cum ens divinum non includat*»[1].

660. *Ex parte* vero *modi communicationis sive participationis* quo ratio primi analogantis participatur analogice a secundariis analogatis, *subdividit* analogiam proportionis *in* analogiam *mere extrinsecam* sive pure denominativam *vel secundum intentionem tantum*, et non secundum esse, et *in* analogiam non mere extrinsecam neque pure denominativam, sed *intrinsecam* et realem sive *secundum intentionem et secundum esse*: prout ipsa ratio formalis primi analogantis non participatur formaliter et intrinsece a posterioribus analogatis sed mere denominative vel connotative tantum; aut participatur etiam formaliter et intrinsece, licet imperfecte et diminute, idest non secundum eundem modum et perfectionem qua est in primo analogante.

Ut enim patet ex dictis, de ratione analogiae proportionis sive attributionis est quod ratio analoga conveniat primo analoganti per prius et nonnisi per posterius analogatis secundariis, ita quidem ut his conveniat participative et dependenter ab illo uno. Haec autem participatio dupliciter fieri potest: uno modo, realiter, intrinsece,

[1] *De natura generis*, cap. 1, ed. Mandonnet, t. 5, pp. 221-222.

formaliter, ita ut non solum primum analogans sit formaliter et proprie tale, verum etiam omnia et singula analogata secundaria; sicut ratio causae efficientis non solum convenit proprie et formaliter causae principali, sed etiam causae instrumentali tam coniunctae quam separatae, quibus tamen convenit diminute et imperfecte et cum essentiali dependentia a causa principali: —alio modo, non formaliter neque intrinsece neque realiter, sed mere denominative vel connotative, ita sane ut ratio analoga nonnisi primo analoganti proprie et formaliter conveniat, ceteris vero analogatis secundariis conveniat purus solusque respectus et connotatio ad illud primum, vi cuius ab illa ratione analoga puram putamque denominationem extrinsecam suscipiant; sicut ratio *sani*, quod est differentia *vitae*, non convenit formaliter et intrinsece nisi soli *animali*, idest formaliter et intrinsece viventi, cibo autem vel colori vel medicinae nonnisi per puram connotationem aut respectum ad illam sanitatem animalis, nimirum per modum *causantis* eam ut medicinae, vel *conservantis* ipsam ut cibo, vel eam *significantis* ut colori.

Qua de re S. Thomas scribit: «in illis quae dicuntur per prius et posterius de multis, non semper oportet quod id quod per prius recipit praedicationem communis sit causa aliorum [efficiens], sed *illud in quo primo ratio illius communis completa invenitur*; sicut sanum per prius dicitur de *animali, in quo primo perfecta ratio* sanitatis invenitur, quamvis *medicina* dicatur sana *ut effectiva* sanitatis»[1]: et ideo medicina denominatur sana, non a sanitate formaliter inhaerente medicinae, sed a sanitate formaliter inhaerenti animali quam medicina respicit et connotat ut finem eius in intentione vel ut effectum obtinendum in executione: sicut et «cibus denominatur sanus a sanitate quae est [formaliter] in animali, et non [a sanitate quae sit formaliter in ipso cibo]

[1] *De Verit.*, 1, 2c.

sicut a forma inhaerenti»[1]. Nam «quod dicitur de aliquo *formaliter*, verius convenit ei quam quod dicitur de aliquo *causaliter*: sicut verius dicitur sanum animal quam medicina»[2].

Hanc subdivisionem analogiae proportionis ad unum vel ab uno expresse tradidit ipse S. Doctor, nominans primum membrum analogiam secundum intentionem tantum et non secundum esse, aliud vero membrum analogiam secundum intentionem et secundum esse[3]; pariter membrum primum appellat analogiam secundum purum respectum vel denominationem pure extrinsecam a primo analogante et non secundum formam inhaerentem sive intrinsecam posterioribus analogatis, alterum vero membrum vocat analogiam secundum respectum ad primum et denominationem ab illo simulque secundum formam intrinsecam inhaerentem omnibus et singulis analogatis secundariis et secundum denominationem intrinsecam ab ipsa.

En eius verba perspicua:

Divisio analogiae proportionis ad unum secundum intentionem tantum et non secundum esse; et secundum intentionem et secundum ese.

«Aliquid dicitur secundum analogiam [dupliciter]: vel *secundum intentionem tantum et non secundum esse*; et hoc est quando una intentio refertur ad plura secundum prius et posterius quae tamen non habet esse nisi in uno sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam diversimode secundum prius et posterius, non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali...: vel *secundum intentionem et secundum esse*; et hoc est quando neque parificatur in intentione communi neque in esse; sicut ens dicitur de substantia et accidente; et *de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur*, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis.

Et similiter dico quod veritas et bonitas et omnia huiusmodi dicuntur analogice de Deo et creaturis: unde *oportet quod secundum suum esse omnia haec in Deo sint et in creaturis*, secundum rationem maioris perfectionis vel minoris; ex quo sequitur, cum non possint esse secun-

Divisio analogiae proportionis ad unum in analogiam secundum purum respectum ad unum puramque denominationem extrinsecam ab illo, exclusa omni forma inhaerente; et secundum respectum ad unum ac denominationem ab illo, non exclusa sed inclusa propria forma inhaerente, a qua etiam denominatur, licet cum necessaria dependentia ab illo uno:

«Bonum non univoce dicitur de bonis» creatis inter[4], multoque minus de bonis creatis et de Bono increato. Cum enim «prima Bonitas sit effectiva omnium bonorum, oportet quod similitudinem suam imprimat in rebus effectis: et sic *unumquodque dicetur bonum sicut forma inhaerente per similitudinem Summi boni sibi inditam, et ulterius per Bonitatem primam sicut per exemplar et effectivum omnis bonitatis creatae*... Sic ergo dicimus, secundum communem opinionem, quod omnia sunt *bona bonitate creata formaliter sicut forma inhaerente* [vel separata]»[1].

Sibi autem obiicienti, «quandocumque aliquid denominatur aliquale ex solo respectu ad alterum, non denominatur tale per aliquid sibi formaliter inhaerens, sed per illud quod est extra ipsum, ad quod refertur; sicut urina dicitur sana ex hoc quod significat sanitatem animalis, non autem nominatur

---

1 *De Verit.*, 1, 4c.
2 *De Malo*, 1, 5, obi. 8, quam concedit ex hac parte.
3 Cf. *supra*, nn. 136-151, 646-649.
4 «Et huius ratio est, quia ea in quibus invenitur prius et posterius non videntur esse unius ordinis, et per consequens nec aequaliter

unam ideam participare. Sed in bonis invenitur prius et posterius:
quod manifestum est ex hoc quod bonum invenitur in eo quod quid
est, idest substantia, et similiter in qualitate, et etiam in aliis gene-
ribus. Manifestum est autem quod illud quod est ens per seipsum,
scilicet substantia, est naturaliter prius his quae non habent esse nisi
in comparatione ad substantiam, sicut est quantitas quae est mensura
substantiae, et qualitas quae est dispositio substantiae, et ad aliquid
quod est habitudo substantiae; et similiter est in aliis generibus, quae
omnia assimilantur propagini entis, idest substantiae, quae est princi-
paliter ens, a qua propaginantur et derivantur omnia alia genera;
quae etiam in tantum dicuntur entia in quantum accidunt substan-
tiae» (*In I Ethic.*, lect. 6, n. 80).

1 *De Verit.*, 21, 4c.

dum unum esse utrobique, quod sint diversae veritates» et bonitates[1].

sana ab aliqua sanitate sibi inhaerenti, sed a sanitate animalis quam significat: sed creatura dicitur esse bona per respectum ad primam Bonitatem, quia secundum hoc unumquodque dicitur bonum quod a primo Bono defluit, ut dicit Boetius in libro de Hebdomadibus; ergo creatura non denominatur bona aliqua formali bonitate in ipsa exsistente, sed ipsa Bonitate divina», respondet: «*dupliciter* denominatur aliquid per respectum ad alterum. *Uno modo, quando ipse respectus est ratio denominationis,* sicut urina dicitur sana per respectum ad sanitatem animalis: ratio enim sani, secundum quod de urina praedicatur est esse signum sanitatis animalis; *et in talibus, quod denominatur per respectum ad alterum, non denominatur ab aliqua forma sibi inhaerente, sed ab aliquo extrinseco ad quod refertur.*

Alio modo, denominatur aliquid per respectum ad alterum, *quando ipse respectus non est ratio denominationis, sed causa* [unde procedit]; sicut si aer dicatur lucens a Sole: non quod ipsum referri aerem ad Solem sit lucere aeris, sed quia directa oppositio aeris ad Solem est

[1] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

causa quod luceat; et hoc modo creatura dicitur bona per respectum ad Bonum [increatum]: unde ratio non sequitur»[1].

Haec enim analogia bonorum creatorum ad Bonum increatum sic intelligenda est, «*ut ipsa divina Bonitas dicatur esse bonum omnis boni in quantum est Causa efficiens Prima et exemplaris omnis boni, sine hoc quod excludatur bonitas creata qua creaturae denominantur bonae sicut forma inhaerente*»[2].

661. Tandem *ex parte ipsius proportionis* inter primum analogans et secundaria analogata, *subdividit* huiusmodi analogiam *in analogiam proportionis proprie et stricte dictae* et *in analogiam proportionis extensive et large sumptae.*

Analogia *proportionis proprie et stricte dictae* habetur inter ea quorum est ad invicem determinata seu finita habitudo commensurationis, ita ut supremum analogans possit comprehendi et mensurari per secundaria analogata: sicut substantia corporea potest mensurari et comprehendi per accidentia propria et connaturalia

[1] *Ibid.*, obi. 2 et resp.

[2] *Ibid.*, ad 3. Cf. etiam *I Contra Gent.*, cap. 38, arg. 2; cap. 40, arg .2-3. Quibus per omnia consonant haec alia verba: «a Primo igitur per suam essentiam ente et bono unumquodque potest dici bonum et ens, in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remote et deficienter... Sic ergo *unumquodque dicitur bonum Bonitate divina sicut Primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis*: *nihilominus* tamen *unumquodque* dicitur bonum *similitudine* divinae bonitatis sibi *inhaerente, quae est formaliter sua bonitas denominans ipsum*; et sic est *Bonitas una omnium* [causaliter], *et etiam multae bonitates*» formaliter (I, 6, 4c). Videsis etiam *I Sent.*, prolog., 2 ad 2.

eius; et sicut proprius actus, puta propria forma, commensurari et comprehendi potest per propriam potentiam, puta per propriam materiam.

Analogia, e contra, *proportionis large et extensive dictae* habetur inter ea quorum non est ab invicem finita seu determinata habitudo commensurationis, ita quidem ut supremum analogans comprehendi et mensurari non possit ex analogatis secundariis, sed solum attingi aliquo modo: sicut cognitio intellectiva, quae spiritualis est, nequit commensurari et comprehendi ex cognitione mere sensitiva; et sicut Deus nequit comprehendi et mensurari ex creaturis, licet ex eis possit utcumque attingi: et sicut supernaturale ex naturali.

Et hac de causa S. Thomas quandoque negat analogiam proportionis creaturae ad Deum, quandoque vero eam affirmat: negat quidem, accipiendo proportionem proprie et stricte dictam; affirmat autem, sumendo proportionem large et extensive dictam, quam appellat aliquando analogiam communissimam [1].

Huius divisionis saepissime meminit, ut videre est in textibus sequentibus.

IV Sent., d. 49, 2, 1 ad 6.

«Proportio, secundum *primam* nominis institutionem, significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem *determinatum* excessum vel adaequationem; sed *ulterius* est translatum ad significandum *omnem habitudinem cuiuscumque ad aliud*: et per hunc modum

De Verit., 8, 1 ad 6.

«Proportio, *proprie* loquendo nihil est aliud quam *habitudo quantitatis ad quantitatem*, sicut quod *aequalis* sit una alteri vel tripla; et *exinde* translatum est nomen proportionis, ut *habitudo cuiuslibet ad rem alteram* proportio nominatur, sicut dicitur materia esse proportionata for-

[1] *De Verit.*, 24, 10, ad 18. Cf. *III Sent.*, d. 1, 1, 1 ad 3, n. 19; *IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6; *De Verit.*, 2, 3 ad 4; 2, 11 per totum; 8, 1 ad 6; 23, 7 ad 9; *In librum Boetii de Trinitate*, 1, 2 ad 3; *De Pot.*, 7, 10 ad 9; *Quodlib. X*, 17 ad 1; *III Contra Gent.*, cap. 54, ad 6; I, 12, 1 ad 4.

dicimus quod materia debet esse proportionata ad formam, et hoc modo nihil prohibet intellectum nostrum, quamvis sit *finitus*, dici *proportionatum ad videndum essentiam infinitam, non tamen ad comprehendendum eam*, et hoc propter suam immensitatem».

In librum Boetii de Trinitate, q 1, a. 2 ad 3.

«Proportio nihil aliud est quam habitudo duorum ad invicem convenientium in aliquo, secundum quod conveniunt aut differunt. Possunt autem intelligi aliqua esse convenientia *dupliciter*: *uno modo*, ex hoc quod *conveniunt in eodem genere quantitatis vel qualitatis*; sicut habitudo superficiei ad superficiem aut numeri ad numerum, in quantum unum excellit aliud vel aequatur ei, vel etiam caloris ad calorem; *et sic nullo modo potest esse aliqua proportio inter Deum et creaturam, cum non conveniant in aliquo genere*: *alio modo*, possunt intelligi convenientia ita quod *conveniant in aliquo ordine*, et sic attenditur proportio inter materiam et formam, faciens et factum; et talis proportio requiritur inter cognoscentem

mae in quantum se habet ad formam ut materia eius, *non considerata aliqua habitudine quantitatis*; et similiter intellectus creatus est proportionatus ad videndum divinam essentiam, in quantum se habet ad ipsam *quodammodo* ut ad formam intelligibilem; *quamvis secundum quantitatem virtutis nulla possit esse proportio, propter distantiam infinitam*».

De Verit., 27, 1 ad 7.

«Spiritualis ad corporale non est quidem proportio, *proprie* proportione accepta, secundum *determinatam* habitudinem quantitatis ad quantitatem, vel dimensivae ad dimensivam vel virtualis ad virtualem, sicut duo corpora ad invicem sunt proportionata secundum dimensionem et virtutem; virtus enim spiritualis substantiae non est eiusdem generis cum virtute corporali. *Large* tamen accepta proportione *pro qualibet habitudine*, sic est aliqua proportio spiritualis ad corporale, quamvis non e converso, nisi divina virtute»

Quodlib. X, a. 17 ad 1.

«Proportio *dupliciter* accipitur. *Uno modo, proprie*, secundum quod importat quendam *determinatum* excessum; et sic proportio requiritur

et cognoscibile, cum cognoscibile sit quasi actus potentiae cognoscentis: *et sic est proportio creaturae ad Deum ut causati ad causam et cognoscentis ad cognoscibile;* sed secundum *infinitum excessum* Creatoris super creaturam, no est proportio creaturae ad Creatorem ut recipiat influentiam eius secundum totam virtutem eius, neque ut ipsum perfecte cognoscat sicut Ipse perfecte se ipsum cognoscit».

III Contra Gent., cap. 54 ad 6.

«Proportio autem intellectus creati est quidem ad Deum intelligendum: non secundum *commensurationem* aliquam, proportione exsistente; sed secundum quod proportio significat *quancumque habitudinem unius ad alterum*, ut materiae ad formam et causae ad effectum. Sic autem nihil prohibet esse proportionem creaturae ad Deum secundum habitudinem intelligentis ad intellectum, sicut et effectus ad causam».

inter intellectum et intelligibile ad hoc quod sit cognitio *cum comprehensione*, qualiter divina essentia nunquam videbitur ab intellectu creato. *Alio modo*, dicitur communiter *pro qualibet habitudine*; et sic infinitum potest habere proportionem ad finitum si sit perfectio eius, vel aliquam huiusmodi habitudinem habeat ad ipsum: *et talis proportio sufficit ad hoc quod intellectus noster videat divinam essentiam attingendo, non comprehendendo*».

De Potentia, 7, 10 ad 9.

«Si proportio intelligatur aliquis *determinatus* excessus, nulla est Dei ad creaturam proportio. Si autem per proportionem intelligatur *habitudo sola*, sic patet quod est inter Creatorem et creaturam: in creatura quidem realiter, non autem in Creatore».

Summa theol., I, 12, 1 ad 4.

«Proportio dicitur *dupliciter. Uno modo, certa habitudo unius quantitatis ad alteram*, secundum quod duplum, triplum et aequale sunt species proportionis. *Alio modo, quaelibet habitudo unius ad alterum* proportio dicitur: *et sic potest esse proportio creaturae ad Deum*, in quantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam, aut potentia ad

actum; *et secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum*».

Quod autem S. Doctor intelligat analogiam proportionis ad unum, secundum proportionem presse dictam sive cum determinata habitudine, non solum in ordine quantitativo vel mathematico, verum etiam in ordine qualitativo et metaphysico, patet ex toto tenore verborum eius modo relatorum, ac praesertim in Quaestione II de Veritate, a. 11c, ubi exempla eius ponit utriusque ordinis: mathematici quidem, ut binarii ad unitatem; physici autem, ut urinae sanae ad animal sanum; metaphysici vero, ut accidentis proprii et connaturalis ad substantiam.

Ceterum, expresse notat talem proportionis modum afficere posse analogiam proportionis sive unius ad unum sive duorum ad unum tertium, quae certe ad analogiam proportionis metaphysicae spectat: «similitudo, inquit, quae attenditur ex eo quod aliqua *duo* participant *unum, vel* ex eo quod *unum* habet habitudinem *determinatam ad aliud, ex qua scilicet ex uno alterum comprehendi possit per intellectum, diminuit distantiam*»[1]; et ideo «impossibile est aliquid per hunc modum analogiae dici de Deo et creatura, quia nulla creatura habet talem habitudinem ad Deum per quam possit divina perfectio determinari» sive mensurari vel comprehendi[2].

Quae cum ita sint, huiusmodi subdivisio analogiae proportionis non tantummodo est adumbrata apud S. Thomam, ut opinatur Cl. Penido[3], sed et expresse tradita, terminis saltem aequivalentibus.

Utut sit, hoc unum notare iuvat circa subdivisiones analogiae proportionis sive attributionis, scilicet eas esse sumendas secundum diversas rationes formales potius quam secundum res diversas: unae enim eaedemque res quae analogice dicuntur analogia proportionis ad unum secundum causam efficientem vel

---

[1] *De Verit.*, 2, 11 ad 4.

[2] *De Verit.*, 2, 11c. Cf. etiam *III Sent.*, d. 1, 1, 1 ad 6, n. 19; *De Verit.*, 23, 7 ad 9.

[3] «*Insinue* une nouvelle subdivision de l'analogie d'attribution: avec (*De Verit.*, 2, 11 ad 6) et sans (*I Contra Gent.*, cap. 34) distance determinée» (M. Penido, *Op. cit.*, p. 35, nota 1).

finalem vel exemplarem vel quasi materialem, suscipere valent subdivisiones unius vel plurium ad unum, per participationem intrinsecam vel formalem et per meram participationem extrinsecam vel connotativam aut pure denominativam, per proportionem presse dictam et per proportionem large et extensive sumptam; et vicissim, singulae divisiones huiusmodi suscipere valent, sub alio respectu, subdivisionem secundum unam vel alteram ex causis praedictis.

662. Porro *analogiam proportionalitatis subdividit in analogiam* proportionalitatis *propriae* et in analogiam proportionalitatis *metaphoricae*.

S. Thomas tradidit huiusmodi distinctionem veluti subdivisionem analogiae proportionalitatis, saepissime aequivalenter, aliquando expressis verbis.

Aequivalenter quidem, quando ex una parte contradistinguit analogiam propriam ab analogia metaphorica, ex alia vero docet analogiam metaphoricam esse analogiam *proportionalitatis*.

Docet enim expresse quod «*similitudo proportionalitatis*... consistit in eadem habitudine proportionum, ut cum dicitur: sicut se habet octo ad quatuor ita sex ad tria, et sicut se habet consul ad civitatem ita se habet gubernator ad navem. *Et secundum talem similitudinem fit transsumptio ex corporalibus in divina*: ut si Deus dicatur ignis ex hoc quod, sicut se habet ignis ad hoc quod liquefacta effluere faciat per suum calorem ita Deus per suam bonitatem perfectiones in omnes creaturas diffundit, vel aliquid huiusmodi» [1].

Et alibi: «inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo per participationem eiusdem qualitatis, sed *per proportionalitatem quae est similitudo proportionatorum*, ut sicut se habet aqua ad delendas maculas corporales ita gratia ad abluendum spirituales: *et secundum hunc modum similitudinis transferunt etiam corporalia ad spiritualia*» [1].

[1] *I Sent.*, d. 34, 3, 1 ad 2. Cf. *III Sent.*, d. 2, 1, 1, qla. 1 ad 3, n. 24.

Consequenter, divisio analogiae, quam tradit locis statim adducendis, in propriam et metaphoricam, debet intelligi ut subdivisio analogiae proportionalitatis, quia omnia membra unius divisionis convenire debent in ratione communi per ea divisam.

I Sent., d. 4, 1, 1c.	*I Sent.*, d. 22, 2c. Cf. *ibid.*, ad 4; a. 2 ad 3; d. 34, 3, 1-2.
«Cum omnis perfectio sit in Deo et nulla imperfectio, quidquid perfectionis invenitur in creatura, de Deo dici potest quantum ad id quod est perfectionis in ipsa, omni remota imperfectione. Si autem nomen imponitur *ab eo quod imperfectionis est*, sicut lapis vel leo, tunc dicitur de Deo *symbolice vel metaphorice*: si autem imponitur *ab eo quod est perfectionis*, dicitur *proprie*, quamvis secundum modum eminentiorem».	«Unde dicendum est quod omnia illa nomina quae imponuntur ad significandum *perfectionem aliquam absolute*, *proprie* dicuntur de Deo, et per prius sunt in ipso quantum ad rem significatam, licet non quantum ad modum significandi, ut sapientia, bonitas, essentia et omnia huiusmodi; et haec sunt de quibus dicit Anselmus in *Monologio*, cap. 15, quod simpliciter et omnino melius est esse quam non esse. Illa autem quae imponuntur ad significandum perfectionem aliquam a Deo ita quod *includant in sua significatione imperfectum modum participandi*, nullo modo dicuntur de Deo proprie, sed tamen ratione illius perfectionis possunt dici de Deo *metaphorice*, sicut sentire, videre et huiusmodi; et similiter de aliis formis corporalibus, ut lapis, leo et huiusmodi».

[1] *IV Sent.*, d. 1, 1, 1, qla. 5 ad 3. Cf. etiam *De Verit.*, 2, 1c, § Et ideo alii dixerunt; *De Pot.*, 7, 5c.

I Contra Gent., cap. 30.

«Quia enim omnem perfectionem creaturae est in Deo invenire sed per alium modum eminentiorem, quaecumque nomina *aboslute perfectionem absque defectu designant*, de Deo [*proprie*] praedicantur et de aliis rebus, sicut est bonitas, sapientia, esse et alia huiusmodi: quodcumque vero nomen huiusmodi perfectiones exprimit *cum modo proprio creaturis*, de Deo dici non potest nisi *per similitudinem et metaphoram*, per quam quae sunt unius rei alteri solent *adaptari*, sicut aliquis homo dicitur lapis propter duritiam intellectus».

In Librum Dionysii de Divinis nominbius, prolog. S. Thomae, cf. etiam *ibid.*, cap. 1, lect. 2.

«Quae vero dicuntur de Deo in Scripturis, cuius aliqua *similitudo* in creaturis invenitur, *dupliciter* se habent. Nam huiusmodi similitudo in quibusdam quidem attenditur *secundum aliquid quod a Deo in creaturis derivatur*, sicut a Primo bono sunt omnia bona et a Primo vivo sunt omnia viventia et sic de aliis similibus, et illa pertractat Dionysius in libro

De Potentia, 7, 5 ad 8.

«Consideranda sunt in creaturis quaedam secundum quae Deo similantur quae quantum ad rem significatam, *nullam imerfectionem important*, sicut esse, vivere, intelligere et huiusmodi, et ista *proprie* dicuntur de Deo, immo per prius de ipso et eminentius quam de creaturis... Et quaecumque nomina in sui intellectu conditiones huiusmodi [scilicet corporales et potentialitatis], de Deo dici non possunt nisi *metaphorice*, sicut leo, lapis et huiusmodi, *propter hoc quod in sui definitione habent materiam.* Dicuntur autem huiusmodi *metaphorice* de Deo, *propter similitudinem effectus*».

Summa theol., I, 13, 3 ad 1. Cf. corp. art. et ad 3.

«Quaedam nomina significant huiusmodi perfectiones a Deo procedentes in res creatas, hoc modo, quod *ipse modus imperfectus*, quo a creatura participatur divina perfectio, *in ipso nominis significato includitur*, sicut lapis significat aliquid *materialiter* ens: et huiusmodi nomina non possunt attribui Deo nisi *metaphorice*. Quaedam vero nomina significant *ipsas perfectiones* absolute, absque hoc quod aliquis mo-

De divinis nominibus quem prae manibus habemus [et haec dicuntur de Deo proprie]. In quibusdam vero similitudo attenditur *secundum aliquid a creaturis in Deum translatum*, sicut dicitur leo, petra, sol vel aliquid huiusmodi; sic enim Deus *symbolice* vel *metaphorice* nominatur, et de huiusmodi tractavit Dionysius in quodam suo libro quem de Symbolica theologia nominavit».

dus participandi claudatur in eorum significatione, ut ens, bonum, vivens et alia huiusmodi: et talia *proprie* dicuntur de Deo».

Verum quidem est hos omnes textus aliosque similes intelligi posse de divisione analogiae per participationem ab uno primo et per meram similitudinem proportionalitatis dynamicae sive propter similitudinem effectus, quae quidem divisio reducitur ad divisionem analogiae in analogiam proportionis sive attributionis ab uno vel ad unum et in analogiam proportionalitatis duorum ad duo vel plurium ad plura et hoc modo sumpta est a plerisque commentatoribus Aristotelis et a theologis, ac revera talis sensus postulatur a doctrina Pseudo-Dionysisi, quam theologi sequuntur hac in re, ne excepto ipso Thoma. Quia tamen haec analogia per participationem, quae fundat nomina propria sive mystica, est reapse per participationem formalem et intrinsecam rationis formalis analogicae primi analogantis ab analogatis secundariis et non per meram denominationem extrinsecam, tale membrum divisionis realiter alium sensum permittit, immo et praesefert, scilicet sensum analogiae per similitudinem proportionalitatis propriae. Ex hoc enim quod unumque analogorum tali analogia intrinsece et formaliter et proprie, licet diverso modo diversaque perfectione, habet ipsam formam analogam, consequitur dari posse inter ea similitudinem proportionalitatis formalis et propriae, non exclusa sed necessario praesupposita participatione formae propriae secundariorum a primo: ut si dicamus quod ita se habet Deus ad suum esse et ad suam vitam et ad suam sapientiam sicut se habet creatura ad suum esse et suam vitam et suam sapientiam; vel etiam,

«sicut substantia ad esse sibi debitum ita et qualitas ad esse sui generis conveniens»[1].

Quatenus namque proportio large et extensiva dicta nominat *habitudinem ordinis cuiusque ad aliud* per realem et intrinsecam et formalem participationem formae communis proportionalis, «dicimus esse proportionem inter materiam et formam; et hoc secundum *proportionalitatem* quandam, quia sicut forma potest dare esse ita materia potest recipere idem esse: et hoc modo etiam movens et motum debent esse *proportionalia*, et agens et patiens, ut scilicet sicut agens potest imprimere aliquem effectum ita patiens possit recipere eundem... Et ideo non est inconveniens ut hic modus proportionis inter Deum et creaturam salvetur, quamvis in infinitum distent», ut nempe sicut Deus potest dare esse creaturae ita creatura potest illud recipere, et sicut Deo convenit esse increatum et irreceptum et imparticipatum ita creaturae convenit esse creatum et receptum et participatum[2].

Et hunc sensum profundum, non excluso primo, habet haec divisio apud S. Thomam.

Expressis etiam verbis hanc divisionem tali modo intellectam tradidit S. Doctor, ut videre est in textibus qui sequuntur.

De Veritate, 2, 11c.

«Sed in alio modo analogiae [scilicet *proportionalitatis*] nulla determinata habitudo attenditur inter ea quibus est aliquid per analogiam commune; et ideo secundum illum modum nihil prohibet aliquod nomen analogice dici de Deo et creatura.

Sed tamen hoc *dupliciter* contingit: *quandoque* enim illud nomen importat aliquid *ex principali* significatione in quo non potest attendi convenientia inter Deum et creaturam, etiam modo praedicto, sicut est in omnibus quae *symbolice* [=metaphorice] de Deo dicuntur, ut cum dicitur leo vel sol vel huiusmodi, *quia in horum definitione cadit materia, quae Deo attribui non potest*; *quandoque* vero nomen quod de Deo et creatura dicitur, nihil importat *principali* significato secundum quod non possit attendi praedictus convenientiae modus inter creaturam et Deum, sicut sunt *omnia in quorum definitione non clauditur defectus nec dependent a materia secundum esse*, ut ens, bonum et alia huiusmodi.

De Veritate, 4, 1 ad 10.

«De his quae dicuntur de Deo et creaturis, *quaedam* sunt quorum *res* significatae per prius inveniuntur in Deo quam in creaturis, quamvis *nomina* prius fuerint creaturis imposita, et talia *proprie* dicuntur de Deo, ut bonitas et sapientia et huiusmodi: *quaedam* vero sunt quorum *res* significatae *Deo non conveniunt*, sed *aliquid simile illis rebus*, et huiusmodi dicuntur *metaphorice* de Deo, sicut dicimus Deum leonem vel ambulantem».

Ibid., ad 12.

«Verbum incarnatum comparatur verbo vocis *propter quandam similitudinem tantum*, ut ex dictis [in corpo. art.] patet; et ideo Verbum incarnatum non potest dici verbum vocis nisi *metaphorice*: sed Verbum aeternum comparatur verbo cordis *secundum veram rationem verbi interioris*, et ideo verbum dicitur utrobique *proprie*».

[1] *III Sent.*, d. 1, 1c, n. 12.
[2] *III Sent.*, d. 1, 1 ad 3, n. 19.

Conferenti hanc seriem textuum cum praecedneti, illico apparet manifestus parallelismus nedum litterarius, sed et doctrinalis. Cum ergo in secunda serie expresse intelligat talem divisionem ut subdivisionem analogiae proportionalitatis, oportet in eodem sensu accipere divisionem propositam in textibus primae seriei: et inde sumitur efficax confirmatio interpretationis quam de illis tradidimus.

Fuit autem insigne meritum S. Thomae hanc divisionem *expresse* dedisse veluti subdivisionem analogiae proportionalitatis. Licet enim alii commentatores seu arabes seu latini, quos legerat S. Doctor, analogia proportionalitatis propriae usi fuerint, nullus tamen eorum, quod sciam, eam *expressis* verbis hoc nomine appellavit. Unus Simplicius e graecis commentatoribus analogiam proportionalitatis hoc modo *explicite* distinxit ac nominavit[1], quem tamen S. Thomas nondum legerat quando hanc suam divisionem induxit; et ideo affirmare licet S. Doctorem proprio marte talem divisionem reinvenisse.

[1] Cf. *supra*, n. 578.

663. Postremo *analogiam proportionalitatis propriae subdividit* in analogiam proportionalitatis *directae seu ordinatae* et in analogiam proportionalitatis *inversae seu permutatae*. Cum enim proportionalitas sit aequalitas vel collatio duarum proportionum, proportio autem sit collatio seu habitudo unius ad aliud quorum primum appellatur antecedens et secundum consequens, omnis proportionalitas necessario postulat ad minus quatuor terminos re vel ratione distinctos [1], quorum «duo termini se habent ut antecedentia, duo vero ut consequentia, ut hic: sicut se habent quatuor ad duo ita se habent sed ad tria, sex et quatuor sunt antecedentia, tria vero et duo sunt consequentia» [2].

Proportionalitas ergo *directa vel ordinata* habetur quando termini utriusque proportionis ordinate sumuntur et comparantur, nempe sicut se habet primum ad secundum, puta quatuor ad duo, ita se habet tertium ad quartum, puta sex ad tria.

Inversa autem *vel permutata* contingit quando ordo terminorum utriusque proportionis alteratur sive permutatur, scilicet «quando [duo] antecedentia invicem conferuntur, et [duo] consequpentia similiter», nempe primum et tertium ex una parte et secundum ac quartum ex alia, puta in exemplo citado sicut se habent quatuor ad sex ita se habet duo ad tria [3].

Notat autem S. Doctor argumentum a proportione commutata valere semper in mathematicis, idest in numeris et magnitudinibus, in quibus «quaecumque sunt ad invicem proportionabilia et permutatim proportionabilia sunt» [4]; non autem in philosophicis et theologicis, nisi quando omnes termini duarum proportionum collatarum sumuntur in eodem sensu utrobique.

---

[1] *In V Ethicorum*, lect. 5, nn. 839-840.
[2] *In I Post.*, lect. 12, n. 8.
[3] *In Post.*, loc. cit.; *In V Ethic.*, lect. 5, n. 941; *Quodlib. I*, a. 22 ad 1.
[4] *In V Ethic.*, lect. 5, n. 941.

Verbi gratia, in corporalibus, quae subiiciuntur motui et tempori presse dictis, valet argumentatio: «sic se habet nunc ad tempus sicut mobile ad motum; ergo, secundum commutatam proportionem, sicut tempus ad motum ita nunc ad mobile. Unde si mobile in toto motu est idem subiecto et differt ratione, oportebit ita esse et in nunc, quod sit idem subiecto et aliud et aliud ratione; quia illud quo discernitur in motu prius et posterius, est idem subiecto sed alterum ratione, scilicet mobile; et id secundum quod numeratur prius et posterius in tempore est ipsum nunc» [1]. At si ex una parte sumatur proportio temporis et motus quo movetur corpus, et ex alia proportio temporis et motus quo movetur angelus, argumentatio non valet, quia angelus non subiicitur tempori et motui presse dictis, sed aevo et motui metaphysico. Quo in sensu scribit S. Doctor: «non potest accipi aliqua proportio temporis in quo movetur corpus ad tempus in quo movetur angelus; quia tempus quo movetur angelus non est divisibile divisione continui, sed discreti in plura instantia finita: in tempore autem quo movetur corpus sunt infinita instantia in potentia; et ita nulla est proportio, sicut nec infiniti ad finitum» [2].

Eodemque iure non valent huiusmodi argumentationes: «sicut se habet corpus unum ad unum locum ita duo corpora ad duo loca; ergo commutatim, sicut unum corpus ad duo loca ita duo corpora ad unum locum: sed unum corpus nullo modo potest esse in duobus locis; ergo nec duo corpora in uno loco». Nam «proportione commutata sic est utendum: sicut se habet primum ad secundum, ut duo ad quatuor, ita se habet tertium ad quartum [ut tria ad sex]; ergo commutatim, sicut se habet primum ad tertium [ut duo ad tria], ita et secundum ad quartum, ut tria ad sex.

Et secundum hoc, ratio sic deberet procedere: sicut

---

[1] *In IV Physicorum*, lect. 18, n. 4.
[2] *I Sent.* ,d. 37, 3, 3 ad 3.

se habet unum corpus ad unum locum ita unus locus ad duo loca; ergo sicut unum [corpus] ad duo corpora ita unus locus ad duo loca. Et sic non sequitur quod, si unum corpus non potest esse in duobus locis, duo corpora non possint esse in uno loco: unum enim corpus esse localiter in duobus locis implicat contradictionem, quia de ratione loci est quod sit terminus locati; terminus autem est extra quem nihil est rei: unde nihil locati potest esse in loco exteriori. Quod si ponatur esse in duobus locis, sequitur quod sit extra suum locum; et ita sequitur quod sit locatum et non locatum»[1].

Similiter non urget: «sicut se habet timor servilis ad fidem informem ita timor castus se habet ad fidem formatam; ergo commutatim, sicut se habet fides informis ad fidem formatam ita se habet timor servilis ad castum: sed fides formata est idem in substantia cum fide informi; ergo et timor castus cum servili».

Nam «idem est fidei formatae et informis obiectum, non autem timoris servilis et casti: proportio autem commutata non tenet in omnibus, sed in numeris et magnitudinibus, ut dicitur in *I Posteriorum*», loco supra citato[2].

Item, non valet argumentum: «sicut se habet subiectum corporale ad accidens corporale ita subiectum spirituale ad accidens spirituale; ergo commutatim, sicut subiectum corporale ad accidens spirituale ita subiectum spirituale ad accidens corporale: sed accidens corporale in nullo subiecto spirituali esse potest; ergo nec accidens spirituale, quod est gratia, potest esse in corporalibus elementis sacramentorum».

Etenim «spirituale non potest esse instrumentum rei corporalis sicut e converso; et ideo non tenet in proposito proportio commutata»[3].

---

1 *Quodlib. I*, a. 22, obi. 1 et resp. Cf. etiam *In librum Boetii de Trinitate*, 4, 4 ad 3 sed contra.
2 *III Sent.*, d. 34, 2, 3, qla. 1, obi. 1 et resp., n. 248.
3 *De Verit.*, 27, 7, obi. 4 et resp.

Neque iterum valet argumentari: «sicut se habet natura ad actum naturae ita gratia ad actum gratiae; sed natura non potest in actum gratiae; ergo nec gratia potest in actum naturae».

Nam «cum gratia sit perfectio naturae, non sic se habet gratia ad naturam sicut e converso: commutata autem proportio non in omnibus tenet, sed in mensuris continuis vel discretis»[1].

Sicut neque concludit argumentum: «sicut se habet perfectio ad bonum ita se habet defectus ad malum; ergo commutatim, sicut se habet defectus ad bonum ita se habet perfectio ad malum: sed aliquis defectus, in quantum est defectus, est causa boni, sicut fides in quantum es visio aenigmatica, quod ad defectum visionis pertinet, est causa meriti; ergo bonum, in quantum est perfectum et non in quantum est deficiens, potest esse causa mali».

Equidem «fides non est meritoria ex hoc quod est cognitio aenigmatica, sed ex hoc quod tali cognitione voluntas bene utitur, assentiendo scilicet his quae non videt, propter Deum. Nihil autem prohibet quod aliquis bene utendo malo, mereatur; sicut e contrario, aliquis male utendo bono, demereatur»[2].

Tandem, falso arguitur: «sicut se habet corpus patris ad eius animam ita et corpus filii ad eius animam; ergo commutatim, sicut se habet corpus filii ad corpus patris ita et anima filii ad animam patris: sed corpus filii traducitur a corpore patris; ergo anima filii traducitur ab anima patris»[3].

Hoc enim solum valet de anima vegetativa vel sensitiva, quae corruptibiles et generabiles sunt, utpote a corpore dependentes in esse et agere, ideoque per traducem oriuntur a parentibus; sed anima rationalis, cum

---

1 *De Verit.*, 29, 8, obi. 7 et resp.
2 *De Malo*, 1, 3, obi. 11 et resp.
3 *De Pot.*, 3, 11, arg. 2 sed contra.

sit forma emergens atque independens a corpore in esse et agere opera intellectualia, incorruptibilis et ingenerabilis est, proindeque ortum habet per creationem.

Ex adverso, plene validum est tale argumentum: «sicut se habet essentia ad esse ita posse ad agere; ergo permutatim, sicut se habent esse et agere ad invicem ita se habent potentia et essentia. Sed in solo Deo idem est esse et agere. Ergo in solo Deo idem est potentia et essentia. Anima ergo non est suae potentiae» [1].

663. Ex hac autem divisione ac restitutione germani sensus S. Thomae excluditur illa subdivisio hybrida analogiae attributionis in puram et mixtam cum analogia proportionalitatis, ut salvetur explicatio Caietani, quia revera nulla est ibi nec dari possit mixtio, licet eadem res possit ex una parte induere modum analogiae attributionis et ex alia analogiae proportionalitatis, ut patet de accidentibus et substantia.

Pariter exinde ad iustam mensuram reducuntur Caietanus et Suarez, demptis eorum excessibus. *Caietanus* enim ita extollit analogiam proportionalitatis ut analogiam attributionis per participationem intrinsecam excludat saltem aequivalenter; *Suarez* e contra ita extollit analogiam attributionis intrinsecae ut excludat mordicus analogiam proportionalitatis propriae.

Et tamen utraque simul retinenda est, et ambae se mutuo complent. Analogia anim *attributionis* per participationem *intrinsecam* et formalem valet maxime ad quaestionem de *exsistentia* primi analogantis; *proportionalitatis* vero *propriae* ad quaestiones de intima *natura* proportionali omnium analogorum in ratione illa.

664. Tales sunt divisiones analogiae quas explicite tradidit S. Thomas. Quae quidem, claritatis gratia, contrahi et exhiberi possunt uno veluti conspectu sequenti tabella:

---

1 *Quaest. disp. de Anima*, 12, arg. 1 sed contra. Cf. etiam *I Sent.*, d. 3, 4, 2, arg. 1 sed contra.

que independens a corpore in esse
tualia, incorruptibilis et ingenera-
rtum habet per creationem.
alidum est tale argumentum: «si-
d esse ita posse ad agere; ergo
abent esse et agere ad invicem
t essentia. Sed in solo Deo idem
in solo Deo idem est potentia
non est suae potentiae»[1].
livisione ac restitutione germani
itur illa subdivisio hybrida ana-
uram et mixtam cum analogia
vetur explicatio Caietani, quia
lari possit mixtio, licet eadem
duere modum analogiae attri-
ae proportionalitatis, ut patet
tia.
n mensuram reducuntur Caie-
eorum excessibus. *Caietanus*
proportionalitatis ut analo-
ipationem intrinsecam exclu-
arez e contra ita extollit ana-
ecae ut excludat mordicus
propriae.
retinenda est, et ambae se
im *attributionis* per parti-
rmalem valet maxime ad
mi analogantis; *proportio-*
estiones de intima *natura*
rum in ratione illa.
analogiae quas explicite
m, claritatis gratia, con-
eluti conspectu sequenti

ed contra. *Cf.* etiam *I Sent.*,

AEQUIVOCA

- I) *a casu vel fortuna*: multum distantia; pure simpliciter, omnino, prorsus, manifeste vel aperte aequivoca.
- II) *non a casu vel fortuna*: non pure, non omnino, non prorsus aequivoca, sed aliquo modo convenientia; non multum distantia, sed aliquo modo propinqua; ideoque occulte vel latenter aequivoca; *aequivoca a consilio vel secundum analogiam* = *analoga*.
  - A) *improprie et large dicta, secundum esse tantum et non secundum intentionem*: propinqua generi seu intra idem genus logicum, sed diversorum generum realium; analogia realis seu rerum tantum.
  - B) *proprie et stricte dicta, secundum ipsam intentionem*: diversorum generum logicorum et realium.
    - a) *proportionis vel attributionis ad unum vel ab uno.*
      - α) *ex parte rationis vel causae secundum quam primum analogans natum est analogare sibi cetera.*
        - 1) secundum causam *finalem.*
        - 2) secundum causam *efficientem.*
        - 3) secundum causam *exemplarem.*
        - 4) secundum causam *quasi materialem in qua* vel subiectum inhaesionis et praedicationis.
      - β) *ex parte numeri secundariorum analogatorum.*
        - 1) *unius tantum* ad unum.
        - 2) *duorum vel plurium* ad unum.
      - γ) *ex parte modi communicationis vel participationis ipsius formae primi analogantis a secundariis analogatis.*
        - 1) *secundum intentionem tantum et non secundum esse* sive pure extrinsece et mere denominative.
        - 2) *secundum intentionem et secundum esse simul* sive intrinsece et realiter et non mere denominative.
      - δ) ex parte *ipsius modi proportionis inter primum analogans et secundaria analogata.*
        - 1) *analogia proportionis proprie et stricte dictae* sive *determinatae* distantiae.
        - 2) *analogia proportionis large et extensive dictae* sive distantiae *indeterminatae.*
    - b) *proportionalitatis duorum ad duo vel plurium ad plura* [secundum intentionem et secundum esse].
      - α) *propriae.*
        - 1) *directae vel ordinatae.*
        - 2) *inversae vel permutatae.*
      - β) *impropriae vel metaphoricae.*

CAPUT IV

DE IPSA DIVISIONE COMPLETA ANALOGIAE SECUNDUM SE

665. Ex hucusque expositis circa divisionem Analogiae apud Aristotelem eiusque commentatores et apud S. Thomam, liquido constat omnes convenire in admittendis membris principalibus, nimirum analogia attributionis et analogia proportionalitatis, licet non omnes eodem modo ea subdividant neque eadem ratione iustificent et coordinent membra divisa, immo et nonnulli sola enumeratione sint contenti: plerique etiam usum potius quam doctrinam attendentes, huc illuc membra diversa sparserunt, licet inter exponendum eorum sententiam ordinem quendam et iustificationes, ad eorum mentem, introducere conati simus. Superest ergo ut quaecumque bona et recte dicta apud diversos inveniuntur, in synthesim quandam reducamus et compleamus ex ipsa natura Analogiae: haec enim est lex fundamentalis bonae divisionis, ut fiat secundum naturam ipsius rei dividendae.

Art. 1.- Methodus divisionis inveniendae

Porro Analogia metaphysice sumpta, de qua nunc loquimur, nihil est aliud quam proportio metaphysica seu transcendentalis quantitatum virtualium sive transcendentalium [1]. Consequenter divisio analogiae metaphysicae debet esse eadem ac divisio proportionis transcendentalis quantitatum virtualium.

Est autem de ratione quantitatis virtualis sive transcendentalis ut una ex parte similis vel analoga sit quantitati dimensivae vel praedicamentali; seu physicae, seu mathematicae; ex alia vero sit diversorum generum, cum omnia genera curcumeat, sicut ipsa transcendentalia.

Ergo et de ratione proportionis transcendentalis est ut easdem sortiatur conditiones, ita quidem ut similis vel analoga sit proportioni praedicamentali quantitatum dimensivarum, servata tamen generum diversitate, ut postulat ipsa natura quantitatis virtualis et analogiae, quae ob id ab univocatione contradistinguitur.

Indeque sequitur statim, ex quo divisio respondere debet divisibili sicut proprius actus propriae potentiae, divisionem proportionis transcendentalis sive analogiae metaphysicae ita similem vel analogam debere esse divisioni proportionis praedicamentalis sive Analogiae mathematicae ut simul eam transcendat, cum necessario sit diversorum generum.

Quae cum ita sint, quicumque recte dividere vult analogiam metaphysicam sive proportionem transcendentalem haec duo simul attendere debet: primo, divisionem analogiae mathematicae sive proportionis praedicamentalis, ad cuius similitudinem vel analogiam dividere debet analogiam metaphysicam sive proportionem transcendentalem, non tamen serviliter eodemque modo, sed quantum permittit propria indoles proportionis

[1] Cf. *supra*, n. 130.

transcendentalis; secundo, et quidem maxime, divisionem quantitatis virtualis seu transcendentalis cuius est proportio transcendentalis dividenda, quia talis est proportio qualia sunt proportionabilia.

Neque tamen haec duo sunt separatim consideranda in divisione proportionis transcendentalis, sed ad invicem compenetrata et per modum unius, sicut sunt omnia quae per se et essentialiter pertinent ad naturam vel ex ea essentialiter consequuntur.

Iam vero habitudo quantitatis dimensivae ad quantitatem dimensivam, quae est ratio vel proportio praedicamentalis, duplex est: alia simplex, idest unius quantitatis ad aliam, quae proprie loquendo dicitur *ratio*, λόγος, licet a S. Thoma aliisque scholasticis post Boetium appelletur simplex proportio; alia composita sive comparata, idest duarum vel plurium rationum, quae proprie loquendo vocatur *proportio*, ἀναλογία, quamvis a Thoma ceterisque scholasticis post Boetium dicatur proportionalitas. Quae quidem multiplex est: alia enim est coniuncta seu continua, alia disiuncta seu discreta: alia ordinata seu directa, alia permutata seu inversa; alia arithmetica, alia geometrica; alia determinata seu commensurabilis vel finita aut rationabilis, alia indeterminata seu incommensurabilis vel infinita aut irrationabilis [1].

Aliunde autem quantitas virtualis seu transcendentalis triplex est: alia in essentia, alia in esse, tertia in operari. Cum enim virtus sit «ultimum in re de potentia», quasi ultima perfectio eius, «tunc unumquodque perfectum est quando attingit propriam virtutem»; et ideo «omnibus illis modis quibus contingit pertingere ad ultimum, est considerare virtutem rei» sive quantitatem virtualem.

«Hoc autem contingit *triplicite. Primo, in operationi-*

[1] Videsis supra explicationem rationis et proportionis earumque divisionum.

bus, in quibus contingit gradus perfectionis inveniri: unde dicitur habere virtutem ad operandum quod attingit completam operationem, prout dicitur in II Ethicorum [cap. 6, n. 2] quod virtus est quae bonum facit habentem et opus eius bonum reddit.

Secundo etiam *respectu ipsius esse* rei, secundum quod etiam Philosophus dicit, I Caeli et Mundi [cap. 12, n. 1], quod aliquid habet virtutem ut semper sit.

Item, secundum plenitudinem perfectionis respectu ipsius entis, secundum quod attingit *ultimum naturae suae*: unde etiam virtus circuli dicitur secundum Philosophum, VII Physicorum [cap. 3, n. 18], quod attingit complete definitionem suam» [1].

Et quia ipsa essentia vel natura est radix et causa τοῦ esse et τοῦ operari: *esse* quidem in genere causae quasi formalis, *agere* autem in genere causae efficientis; ideo S. Thomas alio in loco severius explicat hanc divisionem, dicens: quantitas virtutis... attenditur secundum perfectionem alicuius naturae vel formae...

Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur *primo* quidem *in radice, idest in ipsa perfectione formae vel naturae*; et sic dicitur magnitudo spiritualis, sicut dicitur magnus calor propter suam intensitatem et perfectionem, et ideo dicit Augustinus, VI de Trinitate [cap. 8], quod in his quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius esse, nam melius dicitur quod perfectius est.

Secundo autem attenditur quantitas virtualis *in effectibus formae*.

Primus autem effectus formae est esse, nam omnis res habet esse secundum suam formam.

Secundus autem effectus est operatio, nam omne agens agit per suam formam.

Attenditur igitur quantitas virtualis, et secundum esse, et secundum operationem: *secundum esse* quidem, in quantum ea quae sunt perfectioris naturae sunt maioris durationis; *secundum operationem* vero, in quantum ea quae sunt perfectioris naturae sunt magis potentia ad agendum» [1].

[1] S. Thomas, *In I Sent.*, d. 19, 3, 1c.

Quae quidem divisio aliis verbis efferri potest, dicendo quod quantitas virtualis alia est entitativa sive ontologica, alia operativa sive dynamica: ontologica autem alia est essentialis vel secundum ipsam formam, alia exsistentialis vel secundum esse.

Sic ergo divisio essentialis et per se analogiae sive proportionis transcendentalis ita fieri debet secundum divisionem quantitatis virtualis proportionabilis ut pro eius indole et exigentia tantum assumat de similitudine divisionis analogiae sive proportionis praedicamentalis quantum propria eius natura permittit, nempe ea tantum membra vel modos quae possunt esse communes aliquo modo utrique proportioni, non autem ea quae propria et exclusiva sunt proportionis praedicamentalis utpote ordinis exclusive mathematici [2].

Constat autem quod unum et multa sive unitas et pluralitas vel numerus sunt aliquo modo communia quantitati praedicamentali et quantitati transcendentali [3]: et ideo proportiones, quae per se consequuntur ad rationem unitatis et pluralitatis vel numeri secundum

[1] I, 42, 1 ad 1.

[2] Valent enim suo modo quaestioni praesenti ea quae S. Thomas alia de re dixit, scilicet: «divina bonitas participatur in diversis secundum diversos modos. Perfectioni autem participatae duplex nomen imponitur: vel secundum rationem *communem* perfectionis illius; et tunc nomen est *commune*; et ipsi principio communicanti, et omnibus participantibus, *secundum analogiam*, sicut bonitas, entitas et huiusmodi: vel secundum *proprium* modum quo recipitur vel est in aliqua creatura, ut patet quod *cognitio* participatur a Deo in omnibus cognoscentibus, et hoc nomen *sensus* imponitur ad significandum cognitionem secundum aliquem modum determinatum habendi ipsam, et propter hoc non est commune omnibus» (*I Sent.*, d. 19, 2, 1 ad 3). Cf. etiam d. 22, 2c.

[3] Cf. *supra*, n. 117.

se, communes etiam sunt aliquo modo utrique ordini, puta proportio simplex et proportio composita, itemque proportio finita et proportio infinita; non autem plene semperque aliae proportionis praedicamentalis divisiones, ut puta continua et discreta, ordinata et permutata, arithmetica et geometrica, nisi gratia materiae et diminute tales divisiones extendere liceat ad transcendentaliter proportionata [1].

Rursus, quia proportio transcendentalis sive analogia metaphysica respicit proprie loquendo essentiam vel naturam, seu substantiarum seu accidentium, eorum quae proportionantur, non autem ipsum esse nisi improprie et extensive [2]; et quidem diversorum generum, non autem unius eiusdemque generis, ut postulat eius differentia ad univocis, quae semper sunt eiusdem generis, -sequitur proportionem ontologicam secundum esse tantum esse analogiam large et improprie dictam; et ideo analogia proprie dicta debet esse proportio transcendentalis quantitatum virtualium ontologicarum essentialium et dynamicarum.

Art. 2.- Divisio multiplex analogiae

666. Quibus sic se habentibus, dicendum est *analogiam metaphysicam dividi* in analogiam *large et improprie dictam*, quae est analogia *secundum esse tantum et non secundum essentiam vel operationem*, ut est analogia inter diversas species eiusdem generis logice et presse dicti, quae tamen sunt diversi generis physici, sicut inter substantiam corruptibilem et incorruptibilem, et appellari solet analogia purae inaequalitatis; et in analogiam *proprie et stricte dictam*, quae est analogia *secundum essentiam vel operationem et non secundum esse tantum*, ut est analogia inter res vel operationes diversorum generum logice et presse dictorum, et non physice tantum, sicut inter substantiam et accidens, inter actum et potentiam, inter Creatorem et creaturam.

1 Cf. *supra*, n. 663.
2 Cf. *supra*, n. 654.

667. Et haec quidem *analogia proprie* et stricte *dicta subdividitur in analogiam simplicis rationis vel proportionis seu attributionis* et *in analogiam proportionalitatis* sive proportionis compositae vel comparatae, prout terminus *ad quem* habitudinis vel respectus, qui *formale* est in relationibus, est *unus tantum vel multiplex, quasi ad unum tantum vel ad multa et plura*. Ut enim docet S. Thomas, proportio vel analogia «potest accipi duobus modis: *vel* in eo quod aliqua duo [vel unum vel plura] habent diversas habitudines *ad unum*, sicut sanativum de urina dictum habitudinem significat signi sanitatis, de medicina vero quia significat habitudinem causae respectu eiusdem; *vel* in eo quod est eadem proportio duorum *ad diversa* [seu plurium ad plura], sicut tranquillitas ad mare et serenitas ad aërem, tranquillitas enim est quies maris et serenitas [est quies] aeris» [1].

668. Rursus *analogia proportionis sive attributionis ad unum subdividitur* in analogiam *entitativam seu ontologicam* et in analogiam *operativam seu dynamicam*, prout termini sive quantitates virtuales proportionatae ideoque ipsa earum proportio est ordinis entitativi seu in essendo vel ordinis operativi seu in operando. Et sic analogia unius vel plurium accidentium ad unum *subiectum* vel substantiam quasi ad unam causam *quasi materialem in qua*, quae ut sic non est ordinis operativi sed

1 *In V Metaph.*, lect. 8, n. 879. Haec namque divisio proportionis
transcendentalis similis vel analoga est divisioni proportionis praedi-
camentalis numeri ad numerum et numeri ad unum vel unitatis ad
unitatem, καθ' ἀριθμὸν πρός ἀριθμὸν καὶ πρὸς ἕν, de qua loquitur Aristoteles
in *IV Metaph.*, cap. 15, n. 2 (II, 526, 20), et exponit S. Thomas (*In V*
Metaph., lect. 17, n. 1006). Numerus siquidem se habet ad numerum
ut plura ad plura, quia de ratione numeri est ut plures contineat
unitates; ad unitatem vero se habet ut plura ad unum.

entitativi, est ontologica seu entitativa; e contra, analogia instrumenti physici coniuncti vel separati et instrumenti moralis ad unam causam efficientem principalem, est operativa vel dynamica, quia omnia haec sunt qua talia ordinis dynamici vel operativi, non entitativi: ordo enim causalitatis efficientis est essentialiter ordo operativus vel dynamicus.

669. Sive autem analogia attributionis ontologica sive dynamica multipliciter subdividuntur.

Analogia quidem *ontologica subdividitur* ex quadruplici capite; primo ex parte conditionis analogantis subiecti attributionis; secundo ex parte numeri eorum quae analogantur vel attribuuntur; tertio, ex parte modi quo secundaria analogata inhaerent vel attribuuntur subiecto analoganti; quarto, ex parte modi proportionis sive commensurationis eorumdem ad illud primum.

670. *Ex parte conditionis seu rationis vel modi quo subiectum attributionis natum est sibi analogare attributa* vel secundaria analogata, *subdividitur* in analogiam attributionis *per inhaesionem et praedicationem simul* et in analogiam attributionis *per praedicationem tantum*, prout subiectum illud est subiectum inhaesionis et praedicationis simul vel subiectum praedicationis tantum et non inhaesionis.

Subiectum inhaesionis et praedicationis simul est verum et reale subiectum accidentium, quae ei inhaerent eique attribuuntur ac de eo praedicantur in quali necessario ut accidentia propria, vel in quali contingenter ut accidentia communia: verbi gratia, substantia corporea est subiectum inhaesionis quantitatis et qualitatis, quae sunt vera accidentia eius, eique attribuuntur ut principali enti, ac de ipsa praedicantur ut de subiecto, ut cum dicimus *substantia quanta,* puta lapis magnus vel parvus; aut *substantia qualis,* puta lapis albus vel niger: pariter substantia incorporea, ut angelus et anima rationalis, est verum subiectum inhaesionis accidentium spiritualium, nempe potentiarum eius, quae sunt intellectus et voluntas pertinentes ad secundam speciem qualitatis, eique attribuuntur ac de ea vere praedicantur ut de proprio subiecto; et universaliter, omnis substantia creata est verum et reale subiectum inhaesionis et praedicationis, quia omnis substantia creata est verum et reale subiectum accidentium.

E contra, substantia increata est quidem verum subiectum attributionis et praedicationis, quia vere habet attributa quae de ea vere praedicantur, sicut scientia, iustitia, misericordia aliaque sexcenta sunt vera attributa Dei quae de eo vere praedicantur; licet non sint vera accidentia eius, quia Deus, utpote omnino simplex et actus purus, non est verum et reale subiectum accidentium sive inhaesionis [1].

S. Thomas ipse novit expresse huiusmodi subiecti distinctionem, ut patet hisce verbis: «Deus non est subiectum [Theologiae] nisi sicut principaliter intentum, et sub cuius ratione omnia quae sunt in [hac] scientia considerantur [=subiectum attributionis per praedicationem tantum]. Quod autem obiicitur in contrarium, quod forma simplex non potest esse subiectum, dicimus quod verum est [de subiecto] accidentis [idest de subiecto attributionis per inhaesionem et praedicationem simul]; nihilominus tamen potest esse subiectum praedicati in propositione [=subiectum attributionis per praedicationem tantum]: et omne tale potest esse subiectum in scientia, dummodo illud praedicatum de eo probari possit» [2].

[1] Cf. I, 3, 6, aliaque loca parallela, nempe *I Sent.*, d. 8, q. 4, per totum, specialiter a. 3; *I Contra Gent.*, cap. 23; *De Pot.* 7, 4; *Comp. theol.*, I P., cap. 22; item, I, 13, per totum, specialiter aa. 1-3, 12; *I Sent.*, d. 4, 2, 1; *I Contra Gent.*, cap. 36; *Comp. theol.*, I P., cap. 21, 23; ac praesertim *I Sent.*, d. 2, 2-3; *Responsio ad Magistrum Generalem Joannem de Vercellis de articulis centum et octo*, aa. 1-3, ed. Mandonnet, t. 3, pp. 211-245.

[2] *I Sent.*, prolog., a. 4, ad 1. Subiectum inhaesionis appellat etiam suppositum rerum vel accidentium; subiectum vero praedicationis tantum, nominat suppositum locutionis (*III Sent.*, d. 1, 2, 5 ad 4,

Neutrum tamen consistit in indivisibili, sed utrumque *diversos* adhuc *suscipit modos.*

Nam *subiectum* attributionis *logicum* seu per praedicationem tantum potest esse triplex: aliud *increatum* tantum, ut de subiecto sacrae Theologiae dictum est; aliud *creatum,* ut subiectum pure scibile de re creata, puta subiectum Mathematicae purae; aliud *commune creato et increato,* quatenus negative aut permissive abstrahit ab utroque, ut subiectum scibile Ontologiae, quae est de ente reali ut sic.

Pariter analogia attributionis *per inhaesionem et praedicationem simul, subdividitur,* ratione distantiae vel dissimilitudinis accidentium sive attributorum a subiecto[1], in analogiam *proportionis proprie dictae* et in analogiam *proportionis large et extensive sumptae*: prout inter secundaria analoga et primum analogans, idest inter accidentia attributa et subiectum inhaesionis et attributionis, habetur *distantia finita* et determinata, ita ut subiectum ex accidentibus attributis commensurari queat; vel e

---

n. 149), «quia sic de quocumque potest fieri sermo [=praedicatio, propositio vel enuntiatio] est suppositum» (*III Sent.*, d. 6, 1, 1, qla. 2c, n. 30). Nimirum subiectum inhaesionis est subiectum reale et consequenter scibile vel intelligibile; subiectum vero praedicationis est subiectum scibile vel intelligibile tantum. Quod si quis vocet illud subiectum physicum, hoc autem subiectum logicum, fundatum utique in eminentia rei et in modo nostro cognoscendi, recta appellatio dici potest.

[1] Ut enim egregrie ait S. Thomas, «cognitio intellectiva in nobis sumit principium a phantasia et sensu, quae ultra continuum se non extendunt; et inde est quod ex his quae in continuo inveniuntur, transsumimus nomina ad omnia quae capimus intellectu: sicut patet in nomine *distantiae,* quae primo invenitur in loco, et exinde transumitur ad quamcumque formarum differentiam; propter quod omnia contraria, in quocumque inveniantur genere, dicuntur esse maxime distantia, licet distantia primo inveniatur in *ubi,* ut Philosophus dicit in X Metaphysicorum» (*De Pot.*, 10, 1c). Ob idque, exempli gratia, «dicuntur res *distare* a Deo *per dissimilitudinem* naturae vel gratiae, sicut et ipse est super omnia per excellentiam suae naturae» (I, 8, 1 ad 3): et ideo «huiusmodi *distantia et propinquitas* creaturarum ad Deum non est secundum locum, sed *secundum similitudinem et dissimilitudinem*; nam illa quae magis assimilantur Deo dicimus esse propinquiora, quae vero magis recedunt a similitudine ipsius dicimus esse sibi remotiora» (*Quodlib. XI*, 1 ad 5).

contra, habeatur *distantia infinita* et indeterminata, ita sane ut subiectum non valeat ex accidentibus inhaerentibus et attributis commensurari.

Exempli gratia, inter accidentia et attributa propria eorumque proprium subiectum inhaesionis et attributionis, puta inter risibilitatem et hominem, habetur analogia proportionis presse dictae, quia distantia inter ea est finita et determinata, cum sint accidentia et attributa omnino connaturalia, quae omni, soli et semper conveniunt tali subiecto ac de eo conversim praedicantur in secundo modo dicendi per se[1], et ideo ex ipsis describere et quodammodo definire possumus proprium subiectum. Ex adverso, non possumus commensurare naturam subiecti ex accidentibus pure communibus, quae et contingenter mereque per accidens praedicantur de ipso, puta naturam hominis ex simplici colore, quia distantia inter ea non est determinata. Quod quidem maxime contingit de accidentibus supernaturalibus, ut sunt gratia et virtutes infusae, quae nullo modo commensurantur conditionibus subiecti inhaesionis, prout reduplicative sunt supernaturalis et divini ordinis, quia sunt alterius generis et ordinis: et hac de causa, gratia et caritas non infunduntur homini secundum mensuram perfectionis suae naturae, neque secundum mensuram conatus naturalis si qui sit, sed secundum mensuram donationis Christi et secundum mensuram conatus vel dispositionis supernaturalis ex ipsa gratia actuali provenientis[2].

---

[1] Cf. S. Thomam, *In I Post.*, lect. 10, n. 4.

[2] I-II, 112, 3-4; II-II, 24, 2-3. Unde S. Doctor obiectioni: «omnium ordinatorum ad invicem, secundum proportionatur [=commensuratur] primo; sicut videmus quod in rebus naturalibus forma proportionatur materiae, et in donis gratuitis gloria proportionatur gratiae: sed caritas, cum sit perfectio naturae, comparatur ad capacitatem naturae sicut secundum ad primum; ergo videtur quod caritas infundatur secundum naturalium capacitatem», optime respondet: «forma non excedit proportionem materiae, sed sunt eiusdem generis; similiter etiam gratia et gloria ad idem genus referuntur, quia gratia nihil est aliud quam quaedam inchoatio gloriae in nobis: sed caritas et

Quod et suo modo valet de analogia attributionis per praedicationem tantum. Sunt enim quaedam attributa propria et essentialia, quae subiecto commensurantur; alia vero sunt vel esse possunt attributa metaphorica vel accidentalia aut etiam mere denominativa, ex quibus ipsam naturam subiecti non valemus ex amussim definire et comprehendere, ut cum Deum metaphorice appellamus ignem, solem vel aliquid huiusmodi, vel cum de aliqua veritate revelata dicimus quod est scripta lingua hebraica aut graeca vel esse talis aut talis formae litterariae.

671. *Ex parte vero numeri eorum quae attribuuntur uni subiecto* per inhaesionem et praedicationem vel per solam praedicationem absque reali inhaesione, subdividitur analogia ontologica in analogiam *unius tantum ad unum* et in analogiam *duorum vel plurium ad* illudmet *unum*, prout secundarium analogatum attributum primo est unum tantum vel duo aut plura.

Verbi gratia, analogia quantitatis ad substantiam est analogia ontologica unius ad unum subiectum inhaesionis et praedicationis; analogia vero quantitatis et qualitatis est analogia duorum ad illudmet unum subiectum. Similiter, analogia gratiae habitualis ad hominem iustum est analogia ontologica unius ad unum subiectum inhaesionis et praedicationis; analogia autem gratiae habitualis et gratiae actualis et virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti est analogia plurium ad illudmet subiectum.

Eodem modo, analogia spiritualitatis ad animam rationalem est analogia unius ad unum subiectum attributionis per praedicationem tantum; analogia vero spiritualitatis et immortalitatis eius est analogia duorum ad illudmet unum subiectum praedicationis. Pariter, analogia omniscientiae ad Deum est analogia unius attributi ad unum subiectum attributionis per praedicationem tantum; analogia autem omniscientiae, omnipotentiae et omnipraesentiae est analogia plurium attributorum ad illudmet unum subiectum attributionis.

natura non pertinent ad idem genus, et ideo non est similis ratio» (II-II, 24, 3 ad 2).

672. *Ex parte autem modi quo secundaria analogata*, idest accidentia vel praedicata, *attribuuntur uni subiecto* inhaesionis vel praedicationis, *subdividitur* analogia ontologica *in analogiam* attributionis *intrinsecam* et analogiam attributionis *extrinsecam*: prout intrinsece inhaerent subiecto vel intrinseca denominatione praedicantur de subiecto; aut extrinsece tantum adiacent subiecto vel extrinseca tantum denominatione praedicantur de subiecto.

Quaedam enim accidentia intrinsece inhaerent subiecto, ut quantitas et qualitas, utpote consequentia principia intrinseca eius, scilicet materiam et formam; et ideo intrinseca denominatione praedicantur de subiecto, quia modus praedicandi correspondet modo essendi vel inhaerendi: quaedam vero extrinsece tantum adiacent subiecto, ut ubi, quando, situs et habitus, ac proinde extrinseca tantum denominatione praedicantur de subiecto [1].

Et simile quid contingit in analogia attributionis ad unum subiectum praedicationis tantum et non inhaesionis vel adiacentiae. Exempli gratia, quaedam attributa praedicantur de Deo intrinseca denominatione, ut sunt ea omnia quae Deo conveniunt ab aeterno, puta infinitas, aeternitas, immensitas, omniscientia; alia vero praedicantur de Deo quasi extrinseca denominatione, ut sunt ea omnia quae ipsi conveniunt ex tempore, puta ubiquitas, Dominus, Creator, Incarnatus sive homo factus vel Redemptor [2].

[1] Cf. S. Thomam, *In III Physicorum*, lect. 5, n. 15; I-II, 7, per totum, specialiter a. 2, ad 1, a. 3.
[2] *I Sent.*, d. 30, per totum; d. 38, 2, 3; I, 13, 7; 34, 3 ad 2; III, 16, per totum.

673. *Analogia* vero *attributionis dynamica* subdividitur ex quadruplici capite: primo, quasi formaliter, ex parte rationis vel causae secundum quam primum analogans natum est sibi analogare cetera secundaria; secundo, quasi materialiter, ex parte numeri secundariorum analogatorum ad illud primum; tertio, ex parte modi quo secundaria analogata participant ipsam rationem primi analogantis; quarto, ex parte modi proportionis inter secundantia analogata et primum analogans[1].

674. *Formaliter* ergo sive *ex parte causae vel rationis secundum quam primum analogans cetera analoga* posteriora et secundaria *valet sibi analogare, subdividitur* analogia attributionis dynamica in analogiam diversorum ad unum finem sive secundum causam finalem, in analogiam ab uno agente sive secundum causam efficientem, et in analogiam ab uno et ad unum simul sive secundum causam exemplarem.

Analogia *ad unum*, πρὸς ἓν vel καθ' ἓν dicitur *secundum causam finalem*, eo quod finis movet per modum attractionis, provocans appetitum sui; dicitur enim attrahere (=ad-trahere) quasi aliud ad se trahere, et ideo movens per modum attractionis se habet ad mobile «ut terminus *ad quem*», et hoc modo finis movet, iuxta illud Virgilii: «trahit sua quemque voluptas»[2]. Et sic media ad finem dicuntur per analogiam attributionis ad unum, ut ad vitam physicam requiruntur cibus et potus, vestimentum et habitaculum; et ad vitam intellectualem requiruntur studium et magister, libri et scholae: diversimode tamen, quia quaedam requiruntur absolute et simpliciter, utpote sine quibus finis omnino assequi non potest, ut cibus et potus ad vitam corporalem, et studium ad vitam intellectualem; alia vero requiruntur secundum quid tantum sive ad melius et facilius obtinendum finem, ut cibus decoctus et potus calidus, itemque vestimentum

[1] Cf. dicta *supra*, n. 668.
[2] S. Thomas, *In VII Physicorum*, lect. 3, n. 7.

et habitaculum ad vitam corporalem, et similiter magister et libri et scholae ad vitam intellectualem. Et hac de causa, pro diverso modo necessitatis seu habitudinis ad vitam, haec omnia dicuntur *vitalia*; dicunt enim homines loquentes vel disputantes de necessariis ad vitam: hoc est *vitale*, haec est quaestio *vitalis*, tale quid est *magis vitale* quam aliud. Et cum vita intellectualis hominum praesupponat vitam corporalem, inde frequenter pronuntiant effatum illud: prius vivere, deinde philosophari; licet simpliciter loquendo melior sit vita intellectualis quam corporalis, iuxta illud Aristotelis: melius est philosophari quam ditari[1].

Simili modo quaecumque aliqua ratione ordinantur vel concurrunt ad *salutem* aeternam, quae est aeterna beatitudo, dicuntur *salutaria* per analogiam attributionis ad illam unam salutem sicut ad finem ultimum simpliciter: et sic omnia opera et verba Christi, praesertim passio eius, dicuntur *salutaria*, in quantum sunt causa principalis meritoria nostrae salutis aeternae; actus eliciti et imperati caritatis dicuntur *salutares*, in quantum sunt meritorii de condigno vitae aeternae; actus fidei et spei, etiamsi sint informes, appellantur *salutares*, quatenus disponunt ad iustificationem et caritatem quae sunt plene perfecteque salutares; paenitentia de peccatis dicitur *salutaris*, quia concurrit ad remisionem peccatorum sine qua salus aeterna obtineri non potest; orationes sanctorum vocantur *salutares*, quatenus nobis impetrant gratias quibus ad salutem pervenire possumus; praedicationes, exempla iustorum, aegritudines, flagella, dicuntur *salutaria*, in quantum in nobis excitant desiderium salutis vel inducunt ad eam totis viribus conquirendam; immo et aliquando vel ipsa peccata dicuntur *salutaria*, quatenus sunt occassio maioris humilitatis vel maioris cautelae in ambulando per viam Dei ad praedictam salutem consequendam; Sacramenta Novae Legis dicuntur *salu-*

[1] Aristoteles, *III Topicorum*, cap. 2, n. 21.

taria, in quantum in nobis causant instrumentaliter gratiam ex opere operato, quae semen est gloriae et inchoatio salutis aeternae.

Pariter, ex diversa habitudine vel proportione ad sanctitatem formalem animae iustae sicut ad finem, multa dicuntur sancta secundum analogiam attributionis *ad unum*. Dicuntur enim sancta Sacramenta, sanctae reliquiae, sancta exercitia, sancta vestis, terra vel locus sanctus, sancta clausura, sancta collocutio, aliaque sexcenta: Sacramenta quidem, quia sunt causae instrumentales sanctitatis acquirendae; reliquia sanctorum, quia fuerunt eis arma iustitiae, in sanctificationem; exercitia spiritualia et spiritualis collocutio, quia sunt conservativa sanctitatis vel inductiva ad maiorem sanctitatem; vestis, templum, clausura, quia sunt signa sanctitatis.

S. Thomas ipse hanc analogiam sanctitatis egregie explicavit hisce verbis: «dicitur aliquid sanctum dupliciter. Uno modo, simpliciter et per se, sicut dicitur homo sanctus. Alio modo, secundario et secundum quid, ex eo quod habet ordinem ad hanc sanctitatem: vel sicut habens virtutem sanctificandi, sicut chrisma dicitur sanctum; vel quocumque alio modo ad aliquid sanctum deputetur, sicut altare sanctum. Et ideo ea, quibus aliquid fit sanctum primo modo, dicuntur Sacramenta simpliciter; illa autem, quibus fit aliquid sanctum secundo modo, non dicuntur Sacramenta, sed sacramentalia magis» [1].

675. Analoga *ab uno*, αφ' ἑνὸς dicitur *secundum causam efficientem*, quia causa efficiens movet per modum impulsionis sive productionis, ac proin «se habet ad mobile ut terminus *a quo* est motus eius» [2]. Et hoc modo, secundum diversum ordinem seu habitudinem ad unam primam et principalem causam, quae simpliciter et per se dicitur causa, alia plura vocantur causae, ut causa

[1] S. Thomas, *IV Sent.*, d. 8, 1, 1, qla. 1c. Cf. etiam III, 62, 1.
[2] S. Thomas, *In VII Physicorum*, lect. 3, n. 7.

instrumentalis coniuncta et causa instrumentalis separata, causa instrumentalis perfectiva et causa instrumentalis mere dispositiva, causa productiva et causa mere conservativa, causa per accidens positive agens et causa per accidens mere occassionalis, causa per accidens per modum removentis prohibens et causa per accidens per modum conditionis sine qua non.

Exempli gratia, per ordinem ad lumen et vigorem intellectus agentis et possibilis qui sunt causa principalis et per se scientiae acquirendae, dicuntur causae res exteriores sensibiles excitantes sensus, et potentiae sensitivae exteriores et interiores, et praemissae syllogismi, et magister eas proponens et coordinans, et libri ac bibliothecae continentes doctrinam magistrorum. Diversimode tamen: quia ipsae res exteriores sensibiles se habent per modum causae remotae; cetera vero per modum causae proximae: et quidem sensus interni et externi et praemissae syllogismi se habent per modum causae instrumentalis coniunctae, magistri autem et libri et bibliothecae per modum causae instrumentalis separatae; rursusque sensus interiores et exteriores per modum causae instrumentalis mere dispositivae, praemissae vero syllogismi, quae et principia scientiae dicuntur, per modum causae instrumentalis perfectivae. Haec igitur omnia dicuntur *scientifica* diverso modo diversaque ratione per analogiam ab uno primo et principali cui per se et primario convenit *facere scientiam*, idest cognitionem conclusionum, nempe naturali lumini intellectus agentis et possibilis [1].

Pari modo, ex ordine ad primam et principalem causam sanctitatis, quae Deus est ideoque primo et per se dicitur *sanctificans* [2], multa alia dicuntur *sanctificativa* secundum prius et posterius, nempe Humanitas Christi

[1] Cf. *De Verit.*, 11, 1-2.
[2] Loquimur enim hic, ut patet, de causa efficienti sanctitatis vel iustitiae; nam in genere causae formalis, ipsa gratia et virtutes nobis inhaerentes sunt causa nostrae sanctitatis.

dicitur *sanctificativa* nos per modum instrumenti coniuncti, Sacramenta Novae Legis vocantur *sanctificativa* ex opere operato per modum instrumenti separati, opera mere salutaria dicuntur *sanctificativa* ex opere operantis per modum dispositionis ad sanctitatem vel iustificationem primam, opera perfecte salutaria sive meritoria appellantur *sanctificativa* ex opere operato per modum causae dispositivae ad sanctitatem vel iustificationem secundam quae est augmentum gratiae, et sic de aliis quocumque modo concurrentibus ad nostram sanctificationem [1].

Similiter, per ordinem ad supremam et principalem potestatem *Regis* vel *Imperatoris*, complura alia dicuntur *regalia* vel *imperalia*, ut gubernum regium, exercitum regium, arma regia, currus regius, legatus regius, fiscalis regius, iudex regius.

Et per ordinem ad supremam potestatem apostolicam Summi Pontificis, multa alia dicuntur *apostolica* ex analogia attributionis ab ipsa, pro modo et ratione participandi potestatem illam, ut Dicasteria apostolica, legatus apostolicus, nuntius apostolicus, visitator apostolicus, iudex apostolicus, missionarius apostolicus, praedicator apostolicus, tabellarius apostolicus.

Ut enim egregrie docet S. Thomas, «cum aliquid invenitur a pluribus diversimode participatum, *oportet quod ab eo in quo perfectissime invenitur, attribuatur omnibus illis in quibus imperfectius invenitur*; nam ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum: si enim unicuique eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur» [2].

---

1 Cf. III, 112, 1-2; II-II, 24, 6; *De Virtutibus in communi*, 10 ad 17; 11c et ad 14; III, 61, 1; 62, 1 et 4.
2 *De Pot.*, 3, 5c.

676. Analogia *ab uno et ad unum simul*, ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, dicitur *secundum causam exemplarem*, quia licet causa exemplaris magis proprie reducatur ad causalitatem formalem, simul tamen aliquid participat de causalitate finali et efficienti simul; exemplar enim est id ad cuius similitudinem aliquid fit vel constituitur per se et ex intentione agentis [1]. Et sic, per ordinem ad unam causam exemplarem primam non exemplatam ab alia, multa alia dici possunt causae exemplares exemplatae: sicut per respectum et imitationem ad Deum *Patrem*, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur [2], dicuntur patres, et pater naturalis qui Paternitatem naturalem Dei Patris generantis Filium suum naturalem imitatur, et pater adoptans qui imitatur Paternitatem Dei nos adoptantis per gratiam suam, et pater spiritualis qui nos regenerat in filios Dei ut minister eius per sacramentorum administrationem vel nos dirigit per vias Dei, secundum illud apostoli ad Galatas: «filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus» [3]. Et quia proprium filii est imitari patrem suum, pater autem exemplatus est filius Patris exemplantis, subiungit Apostolus: «imitatores mei estote sicut et ego Christi» [4].

Ceterum, his modus analogiae perfecte salvatur ubicumque unum idemque exemplar diversimode a diversis repraesentatur vel imitatur, sicut unum eundemque patrem aliter imitatur filius suus, aliter statua vel pictura eius, aliter umbra ipsius: et una eademque res cognita aliter repraesentatur et significatur per *verbum* mentis, aliter per verbum imaginationis, aliter per verbum oris, aliter per verbum scriptum; nam per verbum mentis repraesentatur sicut per signum naturale formale, per verbum imaginationis sicut per signum artificiale instrumentale: patet autem rationem signi analogice convenire

---

1 *De Verit.*, 3, 1c.
2 *Ad Ephesios*, 3, 15.
3 *Ad Galatas*, 4, 19.
4 *I Cor.*, 11, 1.

secundum prius et posterius signo naturali et signo artificiali sive ad placitum; itemque signo formali et signo instrumentali.

Et ut exemplum afferam theologicum, aliter repraesentatur per creaturas exemplar divinum similitudine *imaginis*, aliter similitudine vestigii; qua de causa Deus non imitatur univoce, sed analogice, a creaturis rationalibus et a creaturis irrationalibus. Sed et in ipsa repraesentatione per modum imaginis est magna latitudo analogiae: alia enim est imago naturalis seu creationis, alia imago supernaturalis vel recreationis in via, alia imago gloriae vel similitudinis. Et naturalis quidem aliter convenit essentiae animae, aliter potentiis eius, aliter habitibus, aliter actibus; supernaturalis autem aliter convenit gratiae habituali, aliter virtutibus theologalibus, aliter earum actibus.

Ut enim profunde scribit S. Thomas, «quando exemplatum perfecte repraesentat exemplar, ab uno exemplari non est nisi unum exemplatum; nisi per accidens, in quantum exemplata materialiter distinguuntur. Creaturae vero non perfecte imitantur suum exemplar: unde diversimode possunt ipsum imitari, et sic esse diversa exemplata. Perfectus autem modus imitandi [Deum Patrem] est unus tantum; et propter hoc Filius, qui perfecte imitatur Patrem, non potest esse nisi unus» [1].

Quia ergo diversae res diversimode imitantur divinum exemplar, unaquaeque scilicet secundum proprium modum suum, eo quod unicuique est proprium esse dictinctum ab altera, omnium quidem est unum idemque exemplar imitandum, sed imitationes earum sunt diversae ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsum [2].

677. *Materialiter* autem sive *ex parte numeri secundariorum analogatorum* quae attribuuntur uni primo,

[1] S. Thomas, *De Pot.*, 3, 16 ad 12.
[2] Cf. *De Verit.*, 3, 2c in fine.

subdividitur analogia attributionis dynamica in analogiam unius tantum *ad unum* et in analogiam *plurium ad unum*, prout analogatum secundarium attributum illi primo est unum tantum vel plura.

Et quidem, cum haec subdivisio conveniat omnibus et singulis modis analogiae attributionis dynamicae, ideo, prout afficit analogiam attributionis secundum causam finalem quae *ad unum* dicitur, retinet proprie formulam unius vel plurium *ad unum*; prout afficit analogiam attributionis secundum causam efficientem quae *ab uno* dicitur, appellatur proprie analogia unius vel plurium *ab uno*; tandem, prout afficit analogiam secundum causam exemplarem quae *ab uno et ad unum simul* dicitur, vocatur proprie analogia unius vel plurium *ab uno et ad unum simul*.

Exempli gratia, si dicam: indumentum *honestum*, mulier honesta, est analogia unius ad unum; quia honestas indumenti ordinatur ad honestatem personae ut medium ad finem; si autem dicam: indumentum honestum, colloquutio honesta, spectaculum honestum, mulier honesta, est analogia plurium ad unum, quia honestas virtutis, quae primo et formaliter convenit personae, est finis aliorum quae honesta dicuntur pro diverso respectu ad illam primam et formalem honestatem. Ob hanc enim honestatem interiorem virtutis acquirendam, conservandam vel augendam, mulier illa vestimenta induit, honeste incedit, honeste conversatur, honestis tantum spectaculis assistit.

Eodem iure, si dicam: vestimentum *humile*, vir humilis, est analogia unius ad unum; quia humilitas interior, quae est ipsa virtus humilitatis et nonnisi personae secundum mentem formaliter convenit, est finis exterioris humilitatis vestimenti, cui nonnisi ut signo illiusmet humilitatis convenit. Si vero dicam: vestimentum humile, habitaculum humile, humilis cibus, humilis respectus, incesus humilis, humilis vox, locus humilis, humile officium, vir humilis, habetur analogia plurium ad

unum; quia propter virtutem humilitatis capessendam vel focendam vir ille omnia quaerit humilia.

Si autem dicam: currus *imperialis,* Imperator, est analogia unius ab uno, quia currus est instrumentum quo utitur Imperator ad iter agendum; si vero dicam currus imperialis, equus imperialis, auriga imperialis, via imperialis, minister imperialis, palatium imperiale, habetur analogia plurium ab uno, quia haec omnia sunt totidem instrumenta quibus utitur Imperator ad ambulandum, habitandum et administrandum imperium suum.

Quodsi dicam: statua *S. Thomae,* S. Thomas, est analogia unius ad unum et ab uno simul; quia statua S. Thomae, et est imago expressa ex Thoma, et ad Thomam repraesentandum ordinatur. Si vero dicam: statua S. Thomae, sincerus discipulus S. Thomae, S. Thomas, est analogia duorum ad unum; quia tam statua quam discipulus sincerus S. Thomae imitantur ipsum et imagines eius sunt, licet diversimode: statua quidem lignea vel lapidea imitatur ipsum quantum ad eius corporalia lineamenta; sincerus autem discipulus, quantum ad eius lineamenta spiritualia scientiae et sanctitatis. Unde et utramque imaginem nomine Thomae appellamus; videntes enim statuam eius, dicimus: hic est S. Thomas; et respicientes sincerum discipulum eius, proferimus: hic est alter Thomas, vel hic est Thomas redivivus.

678. *Ex parte* vero *modi, quo secundaria analogata participant ipsam* rationem *primi analogantis, subdividitur* analogia attributionis dynamica unius vel plurium ad unum aut ab uno aut ad unum et ab uno in analogiam *intrinsecam* et in analogiam mere *extrinsecam,* prout ratio illa primi analogantis participatur intrinsece et formaliter a secundariis analogatis vel extrinsece tantum et mere denominative.

Exempli gratia, in genere analogiae attributionis ad unum sive secundum causam finalem, habetur analogia *intrinseca unius ad unum* in bono delectabili respectu

boni honesti, quia utrumque formaliter et intrinsece bonitatem habet et appetibilitatem, licet talis bonitas conveniat principaliter bono honesto veluti supremo analoganti, dum bono delectabili convenit secundario et per posterius tantum; *extrinseca* vero analogia *unius ad unum* habetur in bono mere utili respectu boni honesti, quia bonum mere utile non habet bonitatem et appetibilitatem ex se et in se, sed solum ex eo quod utcumque ductivum est ad bonum honestum: sicut enim in ordine bonitatis et appetibilitatis corporalis, puta sanitatis, potio amara vel sectio membri est bonum mere utile [1]; ita in ordine bonitatis et appetibilitatis spiritualis, puta salutis animae, bona terrena et corporalia sunt bonum mere utile, quia nullam appetibilitatem spiritualem in se habent, sed solum ex ordine quo instrumentaliter vel occasionaliter subservire possunt ad bona spiritualia consequenda, conservanda, augenda, quorum possessione salus animae obtinetur.

Analogia autem *intrinseca plurium ad unum* habetur in bono delectabili naturaliter adiuncto bono honesto et in bono simul utili et delectabili respectu eiusdem boni honesti: sicut beatitudini formali, quae est summum bonum honestum, naturaliter adiungitur ut proprium accidens summa delectatio; et ad eam consequendam ordinantur actus virtutum ut media utilia, quae simul et intrinsece participant honestatem formalis beatitudinis et delectationem comitantem beatitudinem [2], eo fere mo-

---

[1] «Aliquid autem est quod *in se bonitatem non habet unde appetatur* si absolute consideretur, *sed ex ordine ad finem bonitatem quandam sortitur quae utilitas nominatur; et haec sunt tantum propter aliud appetenda,,* ut sectio membri propter sanitatem, et huiusmodi» (S. Thomas, *II Sent.,* d. 21, 1, 3c). Mere «*utilia* vero dicuntur *quae non habent in se unde desiderentur, sed desiderantur solum ut sunt ducentia in alterum,* sicut sumptio medicinae amarae» (I, 5, 6 ad 2). Cf. etiam I, 19, 2 ad 2.

[2] «Inter bona autem invenitur aliquod quod est bonum simpliciter et per se, sicut bona honesta, quae tanquam fines appetuntur sui gratia, etsi in aliud ducant; quia in omnibus honestis utilitas honestati coincidit, nisi in ultimo quod est finis finium, quod propter se tantum appetendum est» (*II Sent.,* d. 21, 13c).

do quo in ordine ad sanitatem corporalem est appetibilis medicina dulcis, scilicet non solum ut medicina vel ut utilis, verum etiam ut dulcis vel delectabilis. Analogia vero *extrinseca plurium ad unum* contingit quando plura media mere utilia comparantur ad unum eundemque finem, ut sectio membri, cauterium, potio amara ad sanitatem corporalem; possessio vel privatio bonorum temporalium, tentationes et alia huiusmodi ad salutem spiritualem animae. Utraque enim sunt pura media ad salutem spiritualem animae, licet diversimode: nam bona temporalia sunt per se ductiva ad bona spiritualia, et nonnisi per accidens ab eis abducunt in quantum homines insipienter eis abutuntur [1]; tentatio vero ex adverso se habet, quia «per se ordinata est ad hominis perditionem, ad salutem vero non ordinatur nisi per accidens [et mere occassionaliter, in quantum praebet occassionem ut tentatus ei resistat eamque superet], scilicet ex hoc quod vincitur per auxilium gratiae divinae» [2].

679. Similiter in genere analogiae attributionis *ab uno* sive secundum causam efficientem, habetur analogia *intrinseca unius ab uno* in causa instrumentali respectu causae principalis, quia utraque vere et intrinsece est causa per se effectus producendi; *extrinseca* vero analogia *unius ab uno* est in causa mere occassionali sive in pura occassione respectu eiusdem causae principalis, quia revera simplici occassioni non convenit intrinsece causalitas ulla.

---

[1] Cf. *I Sent.*, d. 1, q. 3 ad 2; I, 65, 1 ad 3; I-II, 79, 1 ad 2; 114, 10; *IV Sent.*, d. 15, 4, 4, qla. 2; II-II, 83, 6.

[2] *II Sent.*, d. 21, 1, 3c et ad 2 et 3; II-II, 83, 9. Distinctionem inter mere utile per se et mere utile per accidens explicat S. Thomas, dicens: «finem aliquem consequendum contingit aliquid dupliciter ordinari, per se scilicet et per accidens. *Per se* dico, quod, quantum est in se, in finem debitum ductivum est; *per accidens* autem quod, quantum in se est, in aliud duceret, sed ex concursu alterius causae dicit in finem ipsum: sicut qui comedit venenum ut moriatur, et contingit ex hoc sanitas» (*I Sent.*, d. 21, 1, 3c).

Analogia autem *intrinseca plurium ab uno* habetur si sumantur plura instrumenta respectu unius eiusdemque causae principalis, puta instrumentum coniunctum et instrumentum separatum, ut manus et baculum respectu hominis percutientis, vel Humanitas Christi et Sacramenta Novae Legis respectu Dei principaliter causantis gratiam: *extrinseca* vero, ut in conditione sine qua non et in simplici occassione data vel accepta respectu unius eiusdemque causae principalis [1].

680. Pari modo, in genere analogiae attributionis *ab uno et ad unum simul* sive secundum causam exemplarem, obtinget analogia *intrinseca unius ad unam et ab uno in imagine* viva respectu exemplaris vivi, ut homo iustus est imago Dei, quia per gratiam sanctificantem vivit vita divina participata eiusque conversatio in caelis est [2]; *extrinseca* autem, in *imagine* mortua vel inanimata respectu exemplaris vivi, ut statua vel pictura Dei.

Analogia vero *intrinseca plurium ab uno et ad unum* habetur si plures *imagines* vivae sumantur respectu unius eiusdemque exemplaris vivi, sicut anima Christi sanctissima et animae ceterorum sanctorum sunt imagines vivae Dei viventis; quod si sumantur plures imagines inanimatae, erit analogia *extrinseca plurium ab uno et ad unum.*

S. Thomas agnovit expresse hanc divisionem analogiae intrinsecae et extrinsecae secundum causam exemplarem, quando dixit: «forma exemplaris est duplex. *Una*, ad cuius *repraesentationem* aliquid fit; *et ad hanc non exigitur nisi similitudo* [*extrinseca*] *tantum*, sicut dicimus res veras esse formas exemplares *picturarum* [=analogia mere extrinseca vel secundum puram denominationem, ut homo pictus respectu hominis vivi et veri]. *Alio modo* dicitur forma exemplaris, *ad cuius similitudinem aliquid*

---

[1] *Quodlib. IV*, 23 ad 3; *De Malo* 3, 1 ad 13; *Ad Rom.*, cap. 7, lect. 2.

[2] *Ad Phil.*, 3, 20.

fit et per cuius participationem esse habet, sicut divina bonitas est forma exemplaris omnis bonitatis, et divina sapientia omnis sapientiae», et divina sanctitas omnis sanctitatis [1].

Et sic pictura vel statua caritatis dicitur caritas per analogiam attributionis extrinsecae ad caritatem vivam et veram; aliae autem virtutes infusae vivae seu formatae caritate ideoque vere meritoriae de condigno vitae aeternae, sunt quasi imagines vivae eius, in quantum suo modo participant esse caritatis imperative informantis et «in quantum ad eius similitudinem quodammodo operantur» [2], ac proin dicuntur virtutes per analogiam intrinsecam ad caritatem.

Eodem pacto, pictura prudentiae est extrinsece et denominative tantum analoga ad virtutem prudentiae; aliae autem virtutes morales, ut iustitia, fortitudo et temperantia, utpote ab ipsa formatae et participantes modum prudentiae, dicuntur virtutes per analogiam attributionis intrinsecam ad ipsam et ab ipsa. Prudentia namque «est forma aliarum virtutum moralium, in quantum sigillatus quidam ordo prudentiae in inferioribus viribus dat habitibus qui ibi sunt rationem virtutis, et sic ad eius similitudinem prudenter operantur» [3].

Quae quidem dicta sint de analogia attributionis secundum causam exemplarem proprie dictam, nimirum «quae importat causalitatem respectu exemplatorum». Nam si exemplar large sumatur, scilicet pro omni eo quod aliquo modo ab alio repraesentatur, etiam abstrahendo a causalitate [4], tunc ad hoc genus analogiae reduci potest omnis imitatio imperfecta et participata cuiuscumque superioris naturae; quia «ita se habet naturalis ordo rerum, quod ea quae sunt inferiora in entibus imitantur

1 S. Thomas, *II Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1.
2 *Ibid.*; *De Caritate*, 3 ad 6.
3 *III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1 et 5.
4 *De Verit.*, 8, 8 ad 1.

ea quae sunt superiora secundum suum posse» [1]; et «semper id quod est perfectissimum, est exemplar quod imitantur minus perfecta secundum suum modum» [2].

681. Ceterum *analogia* attributionis *intrinseca sive unius sive plurium ad unum vel ab uno vel ad unum et ab uno*, maxime verificatur *in causis* correspondentibus *per se subordinatis*, quarum scilicet secundae pendent a prima sui generis essentialiter sive in causando: tunc enim virtus causalis causae primae intime adest omnibus et singulis causis post primam ab eisque intrinsece participatur secundum modum proprium uniuscuiusque, ita ut virtus primae causae sit immediatissima omnibus [3].

Quam ob rem S. Thomas profunde scribit: «secunda causa non potest influere in suum effectum nisi in quantum recipit virtutem primae causae. Sicut autem influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari: et ideo, sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis *exsistentem in eo*, ita secundarius finis non appetitur nisi per virtutem finis principalis *in eo exsistentem*, prout scilicet est ordinatum in illud vel habet similitudinem eius. Et ideo, sicut Deus, propter hoc quod est Primum efficiens, agit in omni agente; ita, propter hoc quod est Ultimus finis, appetitur in omni fine» [4].

Et similiter in genere causarum exemplarium per se subordinatarum, virtus primi exemplantis participatur in secundis exemplaribus exemplatis intime et intrinsece pro modo proprio uniuscuiusque: sicut primum exemplar vitae Christianae est ipse Christus, et post ipsum et ex ipso ceteri sancti pro ordine quo sanctitatem Christi imitantur et participant; ipsi enim, quatenus «informati exemplo Christi, proponuntur exemplar vitae» reliquis

1 *In I Cor.*, cap. 11, lect. 1.
2 III, 56, 1 ad 3.
3 Cf. *I Sent.*, d. 37, 1 ad 4; *III Contra Gent.*, cap. 70.
4 *De Verit.*, 22, 2c. Cf. etiam *De Verit.*, 21, 1 ad 1; *De Malo*, 1, 1c.

christianis, iuxta illud Apostoli: imitatores mei estote sicut et ego Christi [1]. Ubi «notandum est quod non simpliciter dicit: imitatores mei estote; sed addit: sicut et ego Christi, quia scilicet Apostolus imitandus erat a fidelibus in tantum in quantum ipse Christum imitabatur «qui est indeficiens sanctitatis exemplar» [2]: et sic Apostolum aliosque sanctos imitantes, imitamur maxime ipsum Christum.

682. *Ex parte* autem *modi proportionis* inter secundaria analogata et principale analogans, *subdividitur* analogia attributionis dynamica tam intrinseca quam extrinseca unius vel plurium ad unum vel ab uno vel ad unum et ab uno in analogiam *proportionis presse dictam* et in analogiam *proportionis large sumptam*: prout inter ea invenitur distantia finita et determinata, ita ut primum ex secundis commensurari possit; vel intercedit distantia infinita et indeterminata, ita ut primarium ex secundariis commensurari et definiri non possit.

Verbi gratia, in genere analogiae proportionis *ad unum* sive secundum causam finalem, habetur analogia proportionis *presse dicta* inter media proxime et adaequate ductiva ad finem productum vel effectum et ipsum finem, ut inter inventionem medii demonstrationis eiusque usum et cognitionem conclusionis, quae est finis proprius effectus vel productus per medium demonstrationis; nam cognitio conclusionis perfecte commensuratur medio demonstrationis et vigori potentiae intellectus possibilis eiusque habitus utentium tali medio, iuxta illud S. Thomae: «perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium; sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam vel habitum. Et inde est quod, etiam inter homines, per unum medium unus perfectius cognoscit aliquam conclu-

[1] *I Cor.*, 11, 1.
[2] S. Thomas, *In h. l.*, lect. 1.

sionem quam alius» [1]. Et quia dispositio ordinatur ad formam producendam ut medium ad finem, inter ultimam adaequatamque dispositionem et formam productam adest etiam analogia proportionis presse dictae ad unum, quatenus talis dispositio plene perfecteque commensuratur formae, et ideo ex illa possumus vere mensurare et definire formam; «semper enim dispositio ultima ad formam et forma sunt eiusdem ordinis» [2].

Forma autem producta, naturaliter consequitur ex ea, ut accidens proprium eius et ut finis secundarius per se, agentis eam producentis et primario eam intendentis; ac proin rursus comparatur ad ipsam ut finis secundarius per se ad finem primarium, secundum analogiam proportionis presse dictae ad unum [3]: sicut plena certitudo, quae est quasi perfecta quies intellectus in veritate conclusionis demonstratae; vel sicut delectatio consequens perfectam operationem. Ex his enim mensurare et definire possumus ipsam veritatem formalem conclusionis demonstratae, vel perfectionem formalem operationis. Et hoc genere analogiae bonum delectabile per se consequens bonum honestum est analogum ad ipsum, ut finis secundarius per se ad finem primarium.

E contra, datur analogia proportionis *large dictae* tantum inter media remote solum et inadaequate ductiva ad finem productum et ipsum finem, vel inter dispositiones remotas et inadaequatas et formam introductam. Sicut sensatio, lectio, auditio magistri, sunt media remote tantum et inadaequate ducentia ad cognitionem scientificam conclusionis, et ideo non possumus ex ipsis eam mensurare et definire, ita ut quo melior sit sensatio et uberior lectio et frequentior auditio eo verior et perfectior sit conclusionis cognitio: nam videmus aliquos ingenio hebetes multa sentire, plura legere, complures audire ma-

[1] III, 10, 4 ad 1. Cf. etiam I, 62, 4c; *II Sent.*, d. 1, 2, 2c; d. 3, 4 ad 4.
[2] *De Verit.*, 8, 3c.
[3] III, 7, 13 ad 2; 9, 3 ad 2.

gistros, quin tamen ad verum habitum scientiae perveniant; alios autem ingenio potentes, habitum scientiae consequi ex paucis sensatis vel lectis vel auditis, iuxta illud: intelligenti, pauca [1]. Et sicut dispositio negativa et dispositiones positivae remotae vel contingentes: verbi gratia, carentia erroris vel praeiudicii et bonitas imaginationis ad scientiam; remotio occassionum et peccata venialia ad peccatum mortale; remotio humiditatis et aspersio olei ad conbustionem ligni: ex his enim non possumus commensurare neque definire formas vel terminos ad quos utcumque disponunt, cum sint alterius generis vel ordinis [2].

Similiter in genere analogiae proportionis *ab uno* sive secundum causam efficientem, datur analogia proportionis *presse dictae* inter agens principale eiusque instrumenta coniuncta propria et connaturalia, quae sunt potentiae eius propriae et connaturales vel quasi connaturales: sicut inter animam eiusque proprias et connaturales potentias, nam «potentia animae comparatur ad essentiam eius ut agens instrumentale ad principale» [3], quae aliunde se habent ad animam ut proprium ad speciem [4]; proprium autem commensuratur speciei, et ideo speciem vel formam mensurare et definire possumus per eius proprietates. Et idem dic de habitibus operativis connaturalibus, ut in angelis: quanto enim angelus perfectior est, tanto habet perfectiorem intellectum et voluntalem et perfectiores species intelligibiles naturaliter inditas, quibus una cum potentia intellectiva veluti instrumentis coniunctis exercet operationes eius intellectuales. Qua de causa, S. Thomas dicit: «in omnibus agen-

---

[1] «Sunt enim quidam qui veritatem intelligibilem capere non possunt nisi eis particulatim per singula explicetur, et hoc quidem ex debilitate intellectus eorum contingit; alii vero qui sunt fortioris intellectus, ex paucis multa capere possunt» (I, 55, 3c.).

[2] Cf. *II Sent.*, d. 21, 2, 3 ad 1; *De Malo*, 7, 7 ad 3; I-II, 74, 4 ad 3; 88, 3.

[3] *De Spiritualinus creaturis*, 11, arg. 5 sed contra.

[4] I, 25, 2c.

tibus hoc invenitur, quod quanto aliquod agens perfectius habet formam qua agit [ut principio radicali] tanto est maior eius potentia in agendo, sicut quanto est aliquid magis calidum tanto habet maiorem potentiam ad calefaciendum; et haberet utique potentiam infinitam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus» [1].

Sin autem comparemus instrumenta separata ad causam principalem, non erit nisi analogia proportionis *large sumptae*, quia distantia inter ea et causam principalem non est determinata, et ideo non possumus virtutem eius mensurare et definire per talia instrumenta: sicut nequimus mensurare artem musicam citharandi per citharam, neque artem sculptoris aut pictoris per martellum vel penicillum; quod vel ex eo patet, quia uno eodemque instrumento musicus peritus optime sonat, imperitus autem horrendos producit sonos; et uno eodemque penicillo quo Velázquez mirabiles imagines depinxit, homo artis pictoricae nescius nonnisi maculas informes et deformes producere valet.

Pariter in genere analogiae proportionis *ab uno et ad unum simul* sive secundum causam exemplarem, adest analogia proportionis *proprie dictae* inter imaginem naturalem propriam eiusque exemplar, puta inter filium et patrem vel inter speciem intelligibilem propriam impressam vel expressam et rem, quia ex tali imagine exemplata possumus perfecte commensurare suum exemplar.

Ex adverso, inter species intelligibiles communes et inadaequatas et essentiam rei intellectae non adest nisi analogia proportionis *large dictae*, ut inter speciem intelligibilem animalis et hominem, vel inter speciem intelligibilem accidentis et substantiam. «In omni enim cognitione quae est per similitudinem, modus cognitionis est secundum convenientiam similitudinis ad illud cuius est similitudo: et dico convenientiam secundum repraesentationem, sicut species in anima convenit cum re quae

---

[1] I, 25, 2c.

est extra animam, non secundum esse naturale. Et ideo, si similitudo deficiat a repraesentatione speciei, non autem a repraesentatione generis, cognoscetur res illa secundum rationem generis, non secundum rationem speciei; si autem deficiat etiam a repraesentatione generis, repraesentaret autem secundum convenientiam analogiae tantum, tunc nec etiam secundum rationem generis cognosceretur, sicut si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis»[1].

683. Tandem analogia proportionis *large dictae* sive cum distantia infinita secundariorum analogatorum ad primum in unoquoque ex his tribus generibus causae; *subdividitur* in analogiam cum *distantia infinita syncategorematice* et in analogiam cum *distantia categorematice infinita*; prout talis distantia est infinita secundum quid tantum, quae etiam dicitur mere indefinita; vel est infinita simpliciter et absolute[2].

Exempli gratia, bona exteriora, ut divitiae; et bona corporis interiora, ut sanitas, dicuntur bona humana per analogiam ad bona interiora animae, ut scientia et virtus: quae quidem omnia sunt bona finita in actu vel quoad se. Quia tamen sunt alterius generis, ex bonis corporalibus tam exterioribus quam interioribus non possumus perfecte mensurare bona spiritualia animae, cum tamen omnia conveniant in ratione boni humani et creati; et ideo analogia proportionis *corporalium ad spiritualia et exteriorum ad interiora* est cum *distantia* indefinita tantum sive *syncategorematice infinita.*

---

1 *De Verit.*, 8, 1c.

2 Dicitur enim infinitum dupliciter: uno modo, privative, in potentia tantum, in aliquo genere vel ordine tantum, quoad nos tantum et non quoad se, et istud est infinitum secundum quid vel syncategorematicum, ut linea indefinita et numerus indefinitus et motus vel tempus indefinitum; alio modo, negative, in actu, omnibus modis, quoad se et quoad nos, et hoc est infinitum simpliciter vel categorematicum, quod nonnisi unum esse potest, scilicet Deus (I, 7, 1-2; III, 10, 3).

Quo in sensu scribit S. Thomas: «sunt autem tria genera bonorum humanorum..., quorum infimum sunt exteriora bona, medium autem sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animae, inter quae quodammodo praecipuum est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur»[1].

Et alibi: «est autem triplex hominis bonum, ut dicitur in I Ethicorum [cap. 8, n. 2]. Unum quidem quod consistit in exterioribus rebus, puta divitiis; aliud autem quod consistit in bonis corporis; tertium autem quod consistit in bonis animae: inter quae, et bona contemplativae vitae sunt potiora bonis vitae activae, ut Philosophus probat in X Ethicorum [cap. 7], et Dominus dicit Luc. X, 42: Maria optimam partem elegit. Quorum bonorum exteriora quaedam ordinantur ad ea quae sunt corporis; ea vero quae sunt corporis, ad ea quae sunt animae; et ulterius ea quae sunt vitae activae, ad ea quae sunt vitae contemplativae»[2] in qua beatitudo formalis consistit.

Et hac de causa, ex supremo bono formali descendens ad inferiora ei analogata, concludit: «est autem summum bonum hominis felicitas, quae est ultimus finis [formalis] eius; quantoque aliquid est huic fini propinquius, tanto praeeminet inter hominis bonum. Huic autem *propinquissimum* est *virtus*, et si quid est aliud quod ad bonam operationem hominum proficiat qua pervenitur ad beatitudinem: *consequitur* autem, et *debita dispositio* [*animae*, scilicet] rationis, et virium ei subiectarum; *post* hoc autem, et *corporis* incolumitas, quae necessaria est ad expeditam operationem; *demum* autem ea quae exterius sunt, quibus quasi adminiculantibus utimur ad virtutem»[3].

At vero inter omnia *bona creata et finita* cuiuscumque generis sint, scilicet tam exteriora quam interiora, tam corporalia quam spiritualia, tam naturalia quam supernaturalia, *et bonum increatum* quod solus Deus est ultimusque finis obiectivus cuius gratia, adest *distantia categorematice infinita* seu in actu; ac proinde analogia proportionis omnium illorum bonorum ad bonum ipsum divinum est cum distantia simpliciter et omnibus modis

---

1 II-II, 104, 3c.

2 II-II, 152, 2c.

3 *III Contra Gent.*, 141. Cf. etiam *I Sent.*, d. 1, expositio textus.

infinita quoad se et quoad nos, quia bonum divinum est extra et supra omne genus bonorum creatorum incommensurabiliter exsistens.

Et de hoc modo analogiae intelliguntur ista verba S. Thomae: «bonum exteriorum rerum est infimum inter humana bona, est enim minus quam bonum corporis; quod etiam est minus quam bonum animae; quod etiam exceditur a bono divino»[1].

Et inde est quod bonum creatum additum bono creato facit mius bonum; sicut maius bonum humanum est habere simul virtutem, sanitatem et copiam divitiarum, quam virtutem tantum absque divitiis et sanitate corporis: e contra, «bonum creatum additum bono increato non facit maius bonum... Cuius ratio est, quia si duo *participantia* coniungantur, augeri potest in eis id quod participatur; sed si participans addatur ei quod est per essentiam tale, non facit aliquid maius: sicut duo calida adiuncta ad invicem possunt facere magis calidum; sed si esset aliquid quod esset calidum per essentiam suam subsistens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cum ergo Deus sit ipsa essentia bonitatis, ut Dionysius dicit in libro *De divinis nominibus* [cap. 1], omnia autem alia sint bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cuiuslibet rei alterius bonitas continetur in ipso»[2]. Aliis verbis: infinito simpliciter et omnibus modis nequit fieri additio, quia nequit esse maius; at infinito secundum quid sive indefinito potest fieri additio, quia absolute et quoad se potest esse maius.

Similiter, in genere analogiae proportionis *ab uno* adest proportio cum distantia infinita *syncategorematice* tantum inter agens principale creatum eiusque instrumenta separata vel inferioris generis, puta inter maximum pictorem eiusque penicillum; sed proportio inter Causam Primam seu increatam et causas secundas vel creatas est cum distantia simpliciter et *categorematice* infinita.

Et idem contingit in genere analogiae *ab uno et ad unum simul*. Ita analogia inter imaginem depictam angeli et ipsam angeli naturam est cum distantia *syncategorematice* infinita; quia licet non repraesentet simplicitatem et spiritualitatem eius, quae ei sunt propria et specifica, repraesentat tamen utcumque eius substantiam, secundum quam convenit in genere remoto cum substantiis corporalibus. Sed analogia inter Deum et imagines eius creatas angelorum et hominum quantumcumque perfectorum est cum distantia simpliciter et *categorematice* infinita. Eademque de causa inter species intelligibiles rerum corporalium et substantias incorporeas creatas, vel inter species intelligibiles accidentium et substantias, datur distantia sive dissimilitudo infinita *syncategorematice* tantum: quae quidem non impedit quominus assimilentur in aliquo praedicato communi quidditativo, puta substantiae vel entis finiti et participati: at inter species intelligibiles quarumcumque rerum creatarum, etiam maxime spiritualium ut est species intelligibilis angeli supremi, et divinam essentiam, viget distantia simpliciter et absolute infinita, atque ideo per eas nequimus attingere positive quid est Deus neque ullum eius praedicatum quidditativum[1].

[1] II-II, 118, 5c.
[2] *De Malo*, 5, 1 ad 4; *III Sent.*, d. 6, 2, 3 ad 1, n.

Ex quibus concluditur in ascensu nostro analogico ad Deum per quinque vias ut ad Causam Primam efficientem, exemplarem et finalem omnium rerum extra ipsum, adesse infinitam distantiam simpliciter: ideoque tales vias efficaciter quidem ac demonstrative ducere ad exsistentiam Dei sub ratione Primae causae efficientis sive moventis non motae et Primae causae exemplaris non exemplatae et Ultimi finis non finalizati, omnia tamen moventis et exemplantis et finalizantis; non autem ad hoc, ut Deum sub ratione Dei et prout in se est, pertingamus. «Per effectus enim de Deo cognoscimus *quia est*, et quod causa aliorum est, aliis supereminens, et ab omnibus remotus. Et hoc est ultimum et perfectissimum nostrae cognitionis in hac vita, ut Dionysius dicit in libro *de mystica Theologia* [cap. 1-2], cum Deo quasi ignoto

[1] Cf. I, 12, 2c.

coniungimur: quod quidem contingit cum de eo *quid non sit cognoscimus, quid vero sit penitus manet ignotum*» [1].

684. Postremo *analogia proportionalitatis* sive proportionis compositae vel comparatae *subdividitur in* analogiam proportionalitatis *propriae* et in analogiam proportionalitatis *impropriae sive metaphoricae*, prout termini proportionales utriusque proportionis sumuntur in significatione propria et formali ex utraque parte vel ex una tantum; quia scilicet termini proportionis principalis accipiuntur in sensu formali et proprio, dum termini proportionis secundariae sumuntur in sensu improprio vel translato et diminuto vel mere virtuali.

Est enim duplex significatio duplexque communicatio significationis alicuius nominis. Quaedam namque significatio est primaria, principalis, formalis sive essentialis, quae definitio vel quasi definitio dicitur, et ideo respicit totalitatem rei significatae, et appellatur significatio *propria*: tum quia maxime proprie convenit nomini significare essentiam vel substantiam rei [2]; tum etiam quia nihil est magis proprium rei quam eius essentia vel natura, cui respondet definitio. Alia vero est significatio secundaria et accidentalis, quae consignificatio vel connotatio dicitur, quia respicit aliud extra rem vel essentiam directe et primario significatam, cum ea tamen connexum vel ei adnexum et ut tale a nominante apprehensum, puta acci-

---

[1] *III Contra Gent.*, cap. 49.
[2] Cf. S. Thomam, *In I Periherm.*, lect. 4, n. 1; *In I Sent.*, d. 2, 3c, ubi haec praeclare habet: «*ratio*, prout hic sumitur, nihil est aliud quam id quod apprehendit intellectus de significatione alicuius nominis; et hoc in his quae habent definitionem, est ipsa rei definitio, secundum quod Philosophus dicit in *IV Metaph.* [=III Metaph., cap. 7, n. 9]: ratio quam significat nomen est definitio; sed quaedam dicuntur habere *rationem* sic dictam, quae non definiuntur, sicut quantitas et qualitas et huiusmodi, quae non definiuntur, quia sunt genera generalissima: et tamen ratio qualitatis est id quod significatur nomine qualitatis, et hoc est illud ex quo qualitas habet quod sit qualitas».

dens rei vel effectus eius vel res alia ei connexa loco, tempore vel similitudine quacumque; sicut verbum consignificat tempus, et nomen causae connotat effectum, et nomen effectus connotat causam, et nomen locati connotat locum, et nomen accidentis concrete sumptum connotat subiectum, et nomen unius relativi connotat aliud correlativum: quae quidem significatio non est totius rei, sed quasi partis vel respectus eius, et ideo est extensiva et translata si eodem nomine claudatur. «Contingit enim quandoque, ut dicit Dionysius in Epistolis ad Titum [§ 2], quod idem nomen transfertur ad significandum participantem et participationem et participationis principium: sicut si ignis dicatur homo habens caritatem, et ipsa caritas, et Deus caritatem infundens» [1].

Et huic duplici significationi nominis respondet duplex eius communicatio, propria scilicet et impropria vel translata. Ut enim ad rem scribit S. Thomas, «aliquod nomen potest esse communicabile dupliciter: uno modo, proprie; alio modo, per similitudinem. *Proprie* quidem communicabile est quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis. *Per similitudinem* autem [sive improprie] communicabile est quod est communicabile secundum *aliquid* eorum quae includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen *leo* proprie communicatur omnibus illis in quibus invenitur natura quam significat hoc nomen *leo*; per similitudinem vero communicabile est illis qui *participant aliquid leoninum*, utpote audaciam vel fortitudinem, qui *metaphorice* leones dicuntur» [2].

Patet autem quod communicatio propria se habet ad impropriam vel similitudinariam sicut totalis et perfecta et essentialis ad partialem et imperfectam et accidentalem. Et quia in omni proportione vel analogia habetur necessario aliqua nominis communicatio, eo ipso quod

---

[1] S. Thomas, *In I Sent.* d. 34, 3, 2 ad 4.
[2] I, 13, 9c.

analogum nomen est nomen commune omnibus suis analogatis sive proportione simplici sive proportione composita, sequitur nomen analogum analogia proportionalitatis propriae communicari perfecte et formaliter et essentialiter et totaliter, licet proportionaliter tantum et suo modo, omnibus et singulis terminis utriusque proportionis comparatae prout reduplicative proportionales et proportionati sunt: nomen vero analogum analogia proportionalitatis metaphoricae sive impropriae communicari quidem formaliter et perfecte et totaliter totalitate proportionali terminis unius proportionis tantum, quae ob id dicitur principalis; terminis autem alterius proportionis nonnisi partialiter et imperfecte et secundum quandam participationem virtualitatis eius, atque ideo appellatur proportio secundaria. Ut enim docet S. Thomas, «*per prius dicitur nomen de illo in quo salvatur tota* ratio nominis *perfecte* quam de illo in quo salvatur *secundum aliquid*: *de hoc enim dicitur quasi per similtudinem ad id in quo perfecte salvatur*. Et inde est quod hoc nomen *leo per prius* dicitur de animali in quo *tota* ratio nominis salvatur, quod *proprie* dicitur leo, quam de *aliquo homine* in quo invenitur *aliqud* de ratione leonis, utputa audacia vel fortitudo vel aliquid huiusmodi: de hoc enim *per similitudinem* [=improprie vel metaphorice] dicitur» [1].

Improprium namque, sed appropriatum per similitudinem, semper dicitur per ordinem ad proprium cui assimilatur. Et hac de causa, ut scite observat S. Thomas, «in his quae translative dicuntur, non accipitur metaphora secundum quancumque similitudinem, sed *secundum convenientiam in illo quod est de propria ratione rei cuius nomen transfertur*: sicut nomen leonis in Deo non transfertur propter convenientiam quae in *sensibilitate* [hoc enim est *commune* leoni et ceteris animalibus], sed propter convenientiam in aliqua *proprietate* leonis» [2], puta in fortitudine vel audacia; et «sic nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet ut *fortiter* operetur in suis operibus sicut leo in suis» [1].

[1] I, 33, 3c.
[2] *De Verit.*, 7, 2c.

Exemplum analogiae proportionalitatis propriae habetur in nomine *pulchritudinis*, quae proprie et formaliter dicitur de pulchritudine physica corporis et de pulchritudine morali animae: «sicut enim in corpore pulchritudo dicitur ex debita proportione membrorum in convenienti claritate vel colore, ita in actibus humanis dicitur pulchritudo ex debita proportione verborum vel factorum in quibus lumen rationis resplendet» [2].

Similiter, «proportio privationum est sicut proportio eorum quae privantur: sic enim surditas se habet ad caecitatem, sicut auditus ad visum» [3].

Exemplum autem analogiae proportionalitatis metaphoricae exhibet nomen *aquilae* dictum de aliquo homine maximi ingenii, puta cum Augustinum appellamus *Aquilam hipponensem*: sicut enim Aquila inter omnes aves volatu suo maxime evehitur ad superna et altissimas regiones attingit, ita S. Augustinus inter omnes doctores mente et corde suo maxime evehitur ad divina et caelestia, in eisque altissimas veritates attingit.

Pariter cum dicimus: mare *rugit*, tempestas *rugit*, ventus *rugit*, analogiam proportionalitatis metaphoricae proferimus; ita enim se habet mare procellosum ad sonum suum et tempestas ventusque vehemens ad suum rumorem ,sicut leo concitatus ad suum rugitum: et ob hanc similitudinem agitationis et rumoris maris procellosi et tempestatis ad rugitum leonis concitati, transfertur nomen rugitus ad illos sonos vehementes ac terribiles significandos.

Fervor et *tepiditas* dicuntur metaphorice de caritate,

[1] I, 13, 6c.
[2] S. Thomas, *In I Cor.*, cap. 11, lect. 2, ed. cit., p. 327b.
[3] *De Malo*, 5, 1, obi. 4.

per analogiam proportionalitatis impropriae ad fervorem et tepiditatem aquae, cui proprie convenit fervere et tepescere: sicut enim aqua fervens movetur sursum et ebullit, tepida vero non movetur sursum; ita caritas actuosa prorrumpens in actus perfectiores quibus homo iustus sursum vehitur, dicitur fervens; caritas vero otiosa vel non prorrumpens in actus perfectiores, vocatur tepida.

Sacramenta Novae Legis dicuntur metaphorice *medicinae* animae: quia sicut medicinae corporales sunt instrumenta quibus medicus peritus expellit morbum corporalem et causat corporis sanitatem vel eam conservat et auget; ita Secramenta Novae Legis dicuntur medicinae spirituales animae, utpote quae sunt instrumenta quibus Medicus divinus expellit morbum spiritualem animae, qui est peccatum, et causat animae salutem vel eam conservat et auget. Et ideo, sicut in ordine corporali dantur medicinae purgativae quibus expellitur morbus et medicinae confortativae quibus roboratur sanitas; ita dantur Sacramenta mortuorum quae per se ordinantur ad expellendum morbum peccati, et sacramenta vivorum quae per se ordinantur ad augendam et roborandam animae sanitatem. «Non quaelibet medicina, inquit S. Thomas, competit secundum quemlibet statum. Nam medicina quae datur iam liberatis a febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus. *Ita etiam* baptismus et paenitentia sunt medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrem peccati: hoc autem Sacramentum [=Eucharistiae] est medicina confortativa, quae non debet dari nisi liberatis a peccato» [1].

Scandalum in spiritualibus dicitur metaphorice per analogiam proportionalitatis ad scandalum corporale, quod proprie scandalum nominatur. Sicut enim in corporalibus dicitur scandalum lapillus quo impingit ambulans eique praebet occassionem titubandi et cadendi;

[1] III, 80, 4 ad 2.

ita in spiritualibus dictum vel factum minus rectum quo impingit ambulans in via Dei eique praebet occassionem titubandi vel cadendi, appellatur scandalum. «Et sicut in corporali impactione est duo considerare, scilicet ipsam impactionem cadentis aut eius qui ad casum disponitur [=scandalum passive sumptum], et illud ad quod fit impactio [=scandalum active acceptum], quod obex dicitur; ita in spirituali: et utrumque nomen scandali accepit, sed non univoce; sicut etiam fides dicitur ipsa res credita, et actus credendi. Ipsa ergo spirtualis impactio qua aliquis ad casum disponitur, dicitur scandalum passivum; sed obex spiritualis ad quem fit impactio, dicitur scandalum activum» [1].

685. Neutra tamen analogia proportionalitatis stat in indivisibili. Nam *analogia proportionalitatis propriae subdividitur* ex duplici capite: primo, ex parte modi vel conditionis quantitatum virtualium proportionalium; secundo, ex parte distantiae vel dissimilitudinis proportionum comparatarum inter se.

Ex parte igitur *conditionis* vel naturae *quantitatum virtualium* inter quas datur analogia proportionalitatis, *subdividitur* analogia proportionalitatis propriae *in analogiam ontologicam sive entitativam* et *in analogiam dynamicam sive operativam*, prout termini sive quantitates virtuales utriusque proportionis comparatae sunt ordinis entitativi seu in essendo vel ordinis operativi seu in operando.

Exempli gratia, habetur analogia proportionalitatis *ontologica* sive ordinis essendi, cum dicimus: ita se habet *essentia ad esse* in substantia incorporea *sicut materia ad formam* in substantia corporea, quia sicut in substantia corporea materia prima comparatur ad formam substantialem ut potentia ad actum ita in substantia incorporea tota eius essentia comparatur ad suum esse ut potentia ad actum .

[1] *In IV Sent.*, d. 38, 2, 1 ad 1.

Est autem de ratione potentiae, non quidem suus actus, cum ab eo re distinguatur, sed ordo, habitudo seu proportio ad illum; siquidem potentia, tota quantua est, ad actum est. Actus ergo, secundum *esse*, non intrat definitionem potentiae, sed secundum *debitum* tantum, quia actus *debetur* potentiae ut perfectio perfectibili. Unde sicut materia *non est forma, sed potentia cui debetur forma*; ita ens finitum seu praedicamentale *non est esse*, sed *res vel essentia cui debetur esse.*

Porro, sicut se habet simpliciter ad simpliciter *ita* se habet tale ad tale. Consequenter, sicut materiae debetur forma ita tali materiae debetur talis forma; et sicut essentiae finitae debetur esse ita tali essentiae debetur tale esse; nam et universaliter, sicut potentiae debetur actus ita tali potentiae debetur talis actus, nempe proprius actus debetur propriae potentiae.

Et inde habentur huiusmodi analogiae proportionalitatis ontologicae: sicut omne ens praedicamentale est res cuius quidditati *debetur* esse, ita tale ens praedicamentale est res cuius quidditati *debetur* tale esse sive talis modus essendi ei proprius; ut puta, sicut substantia est res cuius quidditati debetur esse in se et non in alio sicut in subiecto, ita accidens est res cuius quidditati debetur esse in alio sicut in subiecto et non esse in se[1]; vel, ut verbis utar S. Thomae, «sicut se habet substantia ad esse sibi debitum ita et qualitas ad esse sui generis conveniens», idest suo generi vel suae quidditati debitum[2].

686. *Exempla* vero analogiae proportionalitatis *dynamicae* nullo negotio multiplicari possunt. Sicut se habet *sensus ad sensibile* ita se habet *intellectus ad intelligibile* et *appetitus ad appetibile*, quia utrobique est proportio propriae potentiae ad proprium obiectum.

Et quia «ad proprium obiectum unaquaeque potentia

[1] Cf. *IV Sent.*, d. 12, 1, 1, qla. 1 ad 2; *Quodlib. IX*, 5 ad 2; III, 77, 1 ad 2.
[2] *III Sent.*, d. 1, 1, 1c.

per se ordinatur secundum quod ipsa; quae autem sunt huiusmodi, semper eodem modo se habent», ideoque deficere non possunt, consequens est ut propria «manente potentia, non deficiat eius iudicium circa proprium obiectum»[1].

Sicut ergo sensus proprius non fallitur circa sensibile proprium, fallitur autem quandoque circa ea quae sunt adiuncta proprio sensibili; ita intellectus non fallitur circa proprium intelligibile, sed falli potest circa ea quae proprio intelligibili sunt adiuncta[2]. Quam analogiam ita profunde evolvit S. Thomas: «sicut res habet esse per propriam formam [naturalem], ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitae [idest per propriam formam cognoscibilem, quae est species vel similtudo propria rei cognitae]. Unde sicut res naturalis non deficit ab esse quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentibus vel consequentibus; sicut homo ab hoc quod est habere duos pedes, non autem ab hoc quod est esse hominen: ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei cuius similtudine [vel specie cognoscibili propria] informatur, potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam vel accidens ei; sicut est dictum [art. 2] quod visus non decipitur circa sensibile proprium, sed circa sensibilia communia quae consequenter se habent ad illud et circa sensibilia per accidens [decipi potest].

Sicut autem sensus informatur directe similitudine propriorum sensibilium, ita intellectus informatur [directe] similitudine quidditatis rei. Unde circa quod quid est intellectus non decipitur, sicut neque sensus circa sensibilia propria: in componendo vero vel dividendo potest decipi, dum attribuit rei cuius quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur vel quod ei opponitur; sic enim se habet intellectus ad iudicandum de

[1] I, 85, 6c.
[2] *In III de Anima*, lect. 11, n. 761.

huiusmodi, sicut sensus ad iudicandum de sensibilibus communibus vel per accidens»[1].

Est autem proprium obiectum intellectus ens et prima entis principia, quae statim intelliguntur intellectis terminis per se notis quoad nos; et ideo circa ea decipi non potest sicut neque circa eorum terminos. Cum ergo voluntas se habeat ad bonum sive ad beatitudinem in communi appetendam et prosequendam, sicut intellectus se habet ad ens in communi eiusque principia apprehendenda et iudicanda; concludendum est voluntatem non posse peccare in appetitu naturali beatitudinis in communi, sicut neque intellectus errare potest in naturali cognitione entis in communi et principiorum communium eius. Et inde proloquium illud S. Thomae: «sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta»[2].

Rursus, «finis est principium in operabilibus, *sicut* prima principia in cognoscibilibus. Unde *sicut* intellectus formatus per quidditates rerum, ex hoc dirigitur in cognitione principiorum quae scitis terminis cognoscuntur, et ulterius in cognitionibus conclusionum quae notae fiunt ex principiis; *ita* amans, cuius affectus est informatus ipso bono quod habet rationem finis, quamvis non semper ultimi, inclinatur per amorem ad operandum secundum exigentiam amati, et talis operatio est maxime sibi delectabilis, quasi formae suae conveniens: unde amans quidquid facit vel patitur pro amato, totum est sibi delectabile, et semper magis accenditur in amatum, in quantum maiorem delectationem in amato experitur in his quae propter ipsum facit vel patitur»[3].

Quo fit, ut «*sicut* in operatione intellectus concluditur quidam circulus, *ita* et in operatione affectus. Intellectus enim, ex certitudine principiorum quibus immobiliter

[1] I, 17, 3c.
[2] *Ibid.*, ad. 2; I, 60, 1 ad 3.
[3] *III Sent.*, d. 27, 1, 1c. Cf. ibid. 3c.

assentit, procedit ratiocinando ad conclusiones, in quarum cognitione certitudinaliter quiescit, secundum quod resolvuntur in prima principia quae in eis sunt virtute: *similiter etiam* affectus, ex amore finis qui est principium, procedit desiderando in ea quae sunt ad finem, quae prout accipit ut finem in se aliquo modo continentia, per amorem in eis quiescit»[1].

687. *Ex parte* vero *distantiae* vel dissimilitudinis *proportionum* comparatarum inter se, *subdividitur* analogia proportionalitatis propriae tam ontologica quam dynamica in analogiam proportionalitatis *presse dictae* et in analogiam proportionalitatis *large sumptae*: prout distantia terminorum inter se proportionum comparatarum est finita et determinata, utpote eiusdem generis vel eiusdem ordinis: aut infinita et indeterminata, utpote diversi generis vel diversi ordinis.

Talis enim est comparatio quales sunt termini comparabiles: et hac de causa, subdividimus supra proportionem simplicem unius ad unum vel plurium ad unum in proportionem presse dictam et large sumptam, secundum quod distantia vel dissimilitudo inter terminos eius erat finita et determinata vel infinita et indeterminata[2]. Iam vero sicut proportio simplex erat comparatio unius ad unum vel plurium ad unum, ita proportio composita sive proportionalitas est comparatio sive collatio duarum vel plurium proportionum simplicium, nempe duorum ad duo vel plurium ad plura; nam proportionalitas est inter quatuor vel plures terminos iam simpliciter comparatos, binos et binos[3]. Ita ergo se habet proportionalitas ad duas vel plures proportiones comparatas, sicut se habet simplex proportio ad duos terminos comparatos inter se vel ad unum tertium: nam et proportionalitas est quaedam proportio. Consequenter, sicut ana-

[1] *III Sent.*, d. 27, 1, 3 ad 1.
[2] Cf. *supra*, n. 682.
[3] Cf. *supra*, n. 667.

logia simplicis proportionis, ratione distantiae vel dissimilitudinis terminorum proportionalium, subdividitur in analogiam proportionis presse dictae et large acceptae; ita analogia proportionalitatis sive proportionis compositae, subdividi debet, ratione distantiae vel dissimilitudinis proportionum comparatarum et radicaliter terminorum earundem, in analogiam proportionalitatis presse dictae et large sumptae: non enim in tali analogia sunt tantum proportionales ipsae proportiones simplices comparatae, verum etiam earum termini proportionales, immo et a fortiori; quia propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Exempli gratia, habetur *analogia ontologica* proportionalitatis *presse sumptae,* cum dicimus: ita se habet *corpus equi ad corpus hominis sicut* se habet *anima equi ad animam humanam.* Anima enim est forma substantialis corporis organici potentia vitam habentis, et ideo comparatur ad corpus ut forma ad materiam et ut actus ad potentiam: sicut autem se habet actus ad actum ita se habet potentia ad potentiam; consequenter, sicut se habet anima ad animam ita se habet corpus ad corpus, ita scilicet ut qualis est species animae talis sit organizatio specifica corporis. Et propter hoc, sicut anima equi non potest esse forma substantialis corporis humani, ita neque anima hominis esse potest forma substantialis corporis equini: et sicut anima simiae nequit esse forma substantialis corporis humani, ita neque anima humana corporis simiae.

E contra, adest *analogia ontologica* proportionalitatis *large acceptae,* si dicamus: ita se habet Deus ad suum esse, sicut creatura ad suum. Sicut enim est infinita distantia inter Deus et creaturam, ita et inter esse Dei et esse creaturae, et consequenter inter modum proportionis Dei ad suum esse et modum proportionis creaturae ad suum. Creatura namque comparatur ad suum esse ut potentia ad actum: Deus autem, cum sit actus purus, nequit comparari ad suum esse ut potentia ad actum;

et ideo creatura est ut habens esse, Deus autem est qui est, iuxta illud: ergo sum qui sum[1]. Est tamen proportionalitas in hoc sensu, quod sicut creatura se habet ad suum esse ut ens participans ad esse participatum et receptum ita Deus se habet ad esse suum ut ens imparticipans ad esse imparticipatum et irreceptum.

Pariter, habetur *analogia dynamica* proportionalitatis *presse dictae,* cum asserimus: ita se habet *visus ad colores sicut auditus ad sonos;* sic se habet *appetitus irascibilis ad bonum sensibile arduum et difficile sicut se* habet *appetitus concupiscibilis ad bonum sensibile* absolute et simpliciter dictum; ita se habet *voluntas ad bonum* in universali sicut se habet *intellectus ad verum* in communi. Utrobique enim est proportio propriae potentiae ad proprium obiectum intra idem genus potentiarum organicarum apprehensivarum, ut in primo exemplo; potentiarum organicarum appetitivarum, ut in secundo; et potentiarum anorganicarum, ut in tertio.

Si autem dicamus: sicut se habet *sensus ad sensibile ita* se habet *intellectus ad intelligibile;* sic se habet *appetitus rationalis ad bonum intelligibile* sive spirituale *sicut* se habet *appetitus sensitivus ad bonum sensibile* sive corporale; ita se habet *voluntas divina ad suum bonum sicut voluntas creata ad suum,* adest analogia *dynamica* proportionalitatis *large dictae*: quia tales proportiones comparatae sunt diversi generis, ut in primo et secundo exemplo; vel diversi ordinis, ut in tertio: et ideo non potest proportio altioris generis vel ordinis perfecte commensurari et comprehendi ex proportione correspondenti inferioris generis vel ordinis.

688. Utraque insuper subdivisionem accipit. Quia enim distantia infinita distinguitur in infinitam simpliciter et in infinitatem secundum quid sive mere indefinitam, ut paulo supra dictum est[2], consequenter analogia

---

[1] *Exod.,* III, 14. Cf. I. 13, 11.
[2] Cf. *supra,* n. 683.

tam ontologica quam dynamica proportionalitatis *large dictae subdividitur* in analogiam proportionalitatis *cum distantia simpliciter infinita* et in analogiam proportionalitatis *cum distantia mere indefinita* sive infinita secundum quid tantum.

Habetur *exemplum analogiae ontologicae* proportionalitatis cum *distantia indefinita*, si dicamus: *sicut statua* aenea componitur ex aere ut *ex materia et ex figura* ut *ex forma, ita substantia naturalis* sive corporea componitur *ex materia prima et ex forma substantiali*; vel: ita se habet *substantia ad suum esse sicut accidens ad suum.*

Compositio enim ex aere et figura est accidentalis et artificialis, utpote ex materia secunda et forma secunda; dum compositio substantiae corporeae ex materia prima et forma substantiali est substantialis et naturalis. Sunt ergo compositiones diversi generis; et ideo non possumus perfecte mensurare pleneque comprehendere compositionem substantialem et naturalem ex inferiori compositione accidentali et artificiali. Quia tamen ambae compositiones sunt finitae quoad se, sicut et substantia et accidens sunt membra divisionis entis finiti, earum distantia nequit esse infinita simpliciter, sed secundum quid tantum sive mere indefinita.

Et idem dic de alio exemplo. Licet enim esse substantiae et esse accidentis conveniant in hoc, quod utrumque est esse receptum et participatum: sicut et substantia et accidens conveniunt in hoc, quod utrumque est recipiens et participans suum esse: attamen substantia est res participans et recipiens suum esse independenter ab alio sicut a subiecto, et tale esse receptum et participatum non est inhaerens et sustentatum in alio sicut in subiecto; dum accidens est res participans et recipiens suum esse dependenter ab alio sicut a subiecto, itemque tale esse est inhaerens et sustentatum in substantia sicut in subiecto. Quo fit ut, sicut substantia et accidens sunt res diversi generis, ita et esse substantiae est alterius generis ac esse accidentis. Sicut ergo ex re accidentis non possumus perfecte mensurare et exacte comprehendere rem substantiae, neque ex esse accidentis esse substantiae, ita neque proportionem substantiae ad suum esse possumus plene comprehendere ac perfecte mensurare ex proportione accidentis ad esse suum. Quia tamen ambae proportiones comparatae sunt finitae quoad se, utpote inter terminos finitos hinc et inde, earum distantia est mere indefinita tantum, non simpliciter infinita.

689. Est vero *exmplum analogiae ontologicae* proportionalitatis *cum distantia infinita* simpliciter, cum dicimus: ita se habet *Deus ad suum esse sicut creatura ad suum.* Proportio enim creaturae ad suum esse est secundum modum creaturae, idest per modum realis compositionis et realis distinctionis potentiae et actus; dum proportio Dei ad suum esse est secundum modum Dei, nempe per modum realis simplicitatis et realis indistinctionis: inter modum autem Dei et modum creaturae est distantia infinita simpliciter.

Sicut autem unumquodque se habet ad ens ita se habet ad unitatem transcendentalem, quae re convertitur cum ente, licet ab eo differat secundum rationem, in quantum rationi entis addit indivisionem; «nihil enim est aliud *unum* quam ens *indivisum*»[1]. Consequenter, sicut se habet ens creatum ad suam unitatem ita se habent ens divinum ad unitatem suam: et sicut inter ens creatum et ens increatum est infinita distantia simpliciter, ita et inter unitatem entis creati et unitatem entis increati, atque ideo inter proportiones comparatas utriusque. Sicut enim ens creatum est participatum et compositum reali compositione ex essentia et esse quasi ex potentia et actu, dum ens increatum est imparticipatum et nullo modo compositum reali composi-

---

[1] *De Verit.*, 1, 1c.

tione ex essentia et esse, sed sua essentia est ipsum suum esse; ita unitas entis creati est participata et composita reali compositione ex essentia et esse quasi ex potentia et actu, unitas vero entis increati est omnino imparticipata nulloque modo composita ex essentia et esse, sed sua unitas est ipsum suum esse.

Quare S. Thomas egregie: «sicut Deus est ens non aliquo esse quod non sit ipse, ita etiam est unus non aliqua unitate quae non sit ipse, sed per essentiam suam, et ideo maxime unum est» [1].

Et ideo quando Christus rogabat pro discipulis suis ut essent unum inter se sicut Ipse et Pater suus unum sunt [2], illa proportionalitas, quae exprimitur per *sicut*, «non dicit aequiparantiam, sed quandam *remotam similitudinem*» [3]. «Est enim duplex unitas in divinis, scilicet unitas naturae, supra, X, 30: Ego etPater unum sumus; et unitas amoris in Patre et Filio, quae est unitas Spiritus [Sancti]. Et utraque est in nobis, non quidem per aequiparantiam, sed *per similitudinem quandam*: Pater enim et Filius sunt eiusdem naturae numero, nos autem sumus unum in natura secundum speciem: item, ipsi sunt unum per Amorem non participatum ex dono alicuius, sed ab eis procedentem, nam Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto; nos autem per amorem participatum ex aliquo superiori» [4].

Ut enim observat alio in loco circa eandem analogiam, «non est idem modus perfectionis humanae et divinae [unitatis]; quia non potest esse tanta similitudo inter creatorem et creaturam quin maior inveniatur ibi dissimiludo, propter hoc quod creatura *in infinitum distat a Deo*» [5].

---

1 *I Sent.*, d. 24, 1, 1 ad 1.
2 *Joan.* 17, 21.
3 S. Thomas, *In h. l.*, lect. 5.
4 *Ibid.*, lect. 3.
5 *Expositio in II Decretalem*, cap. 2, in fine.

Eodem modo, quando dicimus: *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus* [1], haec analogia ontologica proportionalitatis est cum distantia infinita simpliciter. Inter animam enim rationalem et corpus est proportio presse dicta, quia se habent ad invicem ut propria forma ad propriam materam vel ut proprius actus ad propriam potentiam; et ideo inter ea datur unio omnino naturalis et substantialis, tum in natura, tum in persona, licet per prius in natura et consequenter in persona: at inter naturam divinam et naturam humanam in Christo non habetur proportio presse dicta, sed large sumpta tantum, et quidem substantialis, sed prorsus supernaturalis, et in persona tantum Verbi Dei, non in natura, cum sit unio tantum hypostatica. Conveniunt igitur ambae uniones in eo quod utraque est substantialis et in persona et immediata, quia unio immediata est de ratione omnis unionis substantialis: sed differunt toto caelo in eo quod illa est per se primo in natura, dum haec est unice in persona; et quidem in persona divina et increata, dum illa est in persona humana et creata tantum. Quo fit ut, sicut persona divina non potest mensurari et definiri ex persona humana, licet possit utcumque intelligi et explicari; ita unio hypostatica divinae et humanae naturae in persona Filii Dei non potest definiri et mensurari ex unione naturali et personali animae et corporis in homine, quamvis ex ea valeat utcumque explicari et intelligi. Est ergo infinita distantia simpliciter inter proportionem ontologicam animae rationalis et corporis in puro homine et inter proportionem ontologicam divinae et humane naturae in Christo Jesu.

690. *Exemplum* pariter *analogiae* proportionalitatis *dynamicae cum distantia indefinita* habetur, cum dicimus: *sicut verbum exterius* orale procedit *ab ore* homi-

---

1 *Symbolum "Quicumque"*, Denz., n. 40.

nis, *ita verbum interius* imaginatum procedit *ab imaginatione*, et verbum interius intellectum procedit *ab intellectu*. Vere enim et proprie dicitur verbum de his tribus; vere etiam et proprie procedit hoc triplex verbum ex triplici principio correspondenti, et quidem non solum ut a principio sed ut a causa.

Est tamen inter haec tria distantia indefinita, quia sunt diversi generis. Nam verbum exterius orale est sensibile et sensibiliter procedit ex ore hominis ut a principio et causa instrumentali, et quidem per modum signi instrumentalis ad placitum: verbum autem interius imaginatum, licet sensibile etiam sit et sensibiliter procedat ab imaginatione, ab ea tamen procedit ut a principio et causa principali, et quidem per modum signi naturalis et formalis rei imaginatae quantum ad eius exteriora lineamenta; tandem verbum interius intellectum, quamvis procedat ab intellectu ut a principio et causa principali, et quidem per modum signi naturalis et formalis rei intellectae, non est tamen sensibile neque sensibiliter procedit, sed intelligibile et intelligibiliter procedens, ac insuper non est signum rei intellectae quantum ad eius exteriora et corporalia lineamenta, sed quantum ad eius intima et essentialia.

Quia ergo talis est modus processionis quale est principium et causa ex quo procedit et principiatum quod procedit, tanta est distantia causae instrumentalis a causa principali, et signi instrumentalis a signo formali; et operati artificialis ad operatum naturale: utriusque autem ad tertiam est tanta distantia quanta est corporalis ad spirituale, et sensibilis ad intelligibile; nempe distantia indefinita.

Si vero dicamus: «sicut in intellectu nostro seipsum intelligente invenitur quoddam verbum progrediens, eius a quo progreditur similitudinem gerens; ita et in divinis invenitur Verbum, similitudinem eius a quo progreditur habens» [1], habetur *analogia* proportionalitatis *dynamicae*

[1] *De Pot.*, 2, 1c.

cum distantia infinita simpliciter: quia tantum distant huiusmodi proportiones comparatae quantum distant intellectus humanus a divino, et verbum humanum a divino, et processio verbi humani a processione Verbi divini, nempe quantum humana distant a divinis.

Qua de causa, S. Thomas statim subiungit: «cuius [=Verbi divini] processio in duobus verbi nostri processionem superat. *Primo*, in hoc quod verbum nostrum est diversum ab essentia intellectus...; intellectus vero divinus, qui in perfecto actu intellectualitatis est secundum suam essentiam, non potest aliquam formam intelligibilem recipere quae non sit sua essentia: unde Verbum eius unius essentiae cum Ipso est. Et iterum ipsa divina natura eius, intellectualitas est: et sic communicatio quae fit per modum intelligibilem, est etiam per modum naturae, ut generatio dici possit; in quo, secundo, processionem verbi nostri Dei Verbum excedit» [1].

Salvatur tamen proportionalitas propria et formalis, quia proprie et formaliter procedit verbum humanum ab intellectu nostro et Verbum divinum ab intellectu Dei: «et sicut Deus se habet ad ea quae ei competunt, ita creatura ad sua propria» [2].

691. *Analogia* autem *proportionalitatis propriae presse sumptae* tam ontologica quam dynamica *subdividitur in* analogiam proportionalitatis *ordinatae* et in analogiam proportionalitatis *permutatae*: prout termini proportionum ordinate comparantur, nempe primus ad secundum et tertius ad quartum sive antecedens ad suum consequens ex utraque parte; aut ordine permutato, scilicet primus ad tertium et secundus ad quartum, sive «quando antecedentia [utriusque proportionis] invicem conferuntur et consequentia similiter» [3].

[1] *Ibid.*, et ad 7 et 11; item, ad 1 et 2 sed contra.
[2] *De Verit.*, 23, 7 ad 9.
[3] S. Thomas, *In I Post.*, lect. 12, n. 8; *Quodlib.* I, 22 ad 1.

Verbi gratia, est *analogia ontologica* proportionalitatis *ordinatae*, cum dicimus: ita se habet *corpus belluinum ad animam irrationalem, sicut corpus humanum ad animam rationalem*; *permutatae* autem, si dicamus: ita se habet *corpus belluinum ad corpus humanum, sicut anima irrationalis ad animam rationalem*; vel etiam: sicut se habet *corpus belluinum ad animam rationalem; ita corpus humanum ad animam irrationalem*; et vicissim: sicut se habet *anima irrationalis ad corpus humanum, ita* se habet *anima rationalis ad corpus belluinum*. Quia enim termini proportionales harum proportionum comparatarum sunt eiusdem generis et ordinis; et aliunde affirmatio et negatio, utpote contrarie oppositae, sint in eodem genere, sicut valet proportionalis affirmatio duarum priorum proportionalitatum ita valida et recta est proportionalis negatio duarum proportionalitatum posteriorum: contrariorum siquidem eadem est ratio, et sicut se habet affirmatio ad affirmationem ita negatio ad negationem. Eo ergo ipso quo recte affirmamus duas priores proportionalitates, utpote fundatas in positiva proportione proprii corporis ad propriam animam quasi propriae materiae ad propriam formam, et consequenter materiae ad materiam et formae ad formam utrobique, vere etiam negare debemus proportionem alienae materiae ad alienam formam, et vicissim; et tales proportiones negatae, vel potius negativae, sunt et ipsae proportionales: sicut enim corpus humanum est positive proportionatum animae rationali ut propria materia propriae formae, ita etiam est, ut ita dicam, negative proportionatum animae irrationali, idest positive improportionatum, ut postulat natura oppositionis contrariae ut contradistinguitur ab oppositione mere privativa.

Similiter adest proportionalitas *ordinata*, quando dicimus: ita se habet *gratia habitualis ad virtutes infusas sicut* se habet *anima rationalis ad suas potentias*; quia sicut anima rationalis est primum principium vitae naturalis hominis, ita et gratia est primum principium vitae supernaturalis eius; et sicut potentiae animae rationalis ex ea dimanantes sunt immediata principia operationum vitalium naturalium hominis, ita virtutes infusae ex gratia habituali dimanantes sunt principia immediata operationum vitalium supernaturalium eius, quasi potentiae gratiae [1].

Et quia termini harum proportionum proportionaliter conveniunt in eodem ordine, idest in eadem habitudine propriae essentiae vel formae ad proprias potentias vel facultates, non obstante quod sint diversi generis, ideo licet instituere inter eosdem terminos proportionem commutatem, puta: *ita se habet gratia habitualis ad animam rationalem, sicut* se habent *virtutes infusae ad potentias animae*; quia illae se habent ut forma vel principium radicale vitae in suo ordine, hae vero se habent ut facultates sive ut principia immediata operationum vitalium in suo: et iterum, cum supernaturale vel gratuitum praesupponat naturale ut subiectum eius, *sicut gratia habitualis praesupponit essentiam animae* in eaque recipitur ut in proprio subiecto *ita virtutes infusae praesupponunt animae potentias* in eisque sicut in propriis subiectis recipiuntur: rursusque, *sicut potentiae* animae *specificantur ex proprio actu* per comparationem ad proprium obiectum *ita* et *virtutes* infusae *speciem accipiunt ex proprio earum actu* per relationem ad proprium obiectum ipsarum.

Ex quo principio S. Thomas solvit huiusmodi difficultatem: «*gratuita* praesupponunt *naturalia*; sed potentiae sunt *naturales* proprietates animae, secundum Avicennam: ergo *gratia* non est in essentia animae *nisi praesupposita potentia*; et sic est *immediate in potentia sicut in subiecto*».

Respondetur enim quod gratuita praesupponunt naturalia sibi correspondentia vel proportionabilia; non autem omnia naturalia cuiuscumque ordinis, etiamsi non

---

[1] Cf. *De Verit.*, 27, 5 ad 17.

sint proportionabilia gratuitis: secus gratuita non possent recipi in homine antequam omnia omnino sibi naturalia vel naturae debita haberet; et sic non posset recipi in homine recentur nato, quia non haberet usum expeditum sensuum et rationis, neque corpulentiam convenientem humanae naturae perfectae. «Gratuita, inquit, praesupponunt potentiam, quae est eiusdem principium naturale; et gratia, quae est principium esse spiritualis, praesupponit essentiam animae, quae est principium esse naturalis» [1].

Exemplum autem *analogiae dynamicae* proportionalitatis *ordinatae* habetur, quando asserimus: *sicut* se habet *intellectus ad verum ita* se habet *voluntas ad bonum*, quia utrobique adest proportio propriae potentiae ad proprium obiectum. Et *permutando* ordinem terminorum et consequenter proportionum, legitime inferimus analogiam proportionalitatis commutatae: ergo *sicut* se habet *intellectus ad voluntatem ita* se habet *verum ad bonum*, quia sicut se habet propria potentia ad propriam potentiam ita se habet proprium obiectum ad proprium obiectum.

Iam vero sicut se habet propositum ad propositum ita se habet oppositum ad oppositum [2]; oppositum autem vero est falsum, et oppositum bono est malum, valet proportionalitas *directa*: ita se habet *bonum ad malum sicut* se habet *verum ad falsum*; itemque proportionalitas *commutata*: sicut se habet *verum ad bonum ita* se habet *falsum ad malum*.

Rursus, quia oppositio potest esse et privativa et contraria, «proportio autem privationum est sicut proportio eorum quae privantur» [3], et similiter proportio contrariorum sicut proportio eorum quibus contrariantur, arguere licet proportionalitate *directa*: ita se habet *error ad scien-*

[1] De Verit., 27, 6, obi. 3 et resp.
[2] De malo, 4, 6, obi. 6 eiusque resp.; 13, 4, arg. 2 sed contra.
[3] De Malo, 5, 1, obi. 4.

tiam sicut se habet mera *omissio actus ad virtutem*; quia sicut error opponitur scientiae oppositione contraria ita et peccatum commissionis opponitur virtuti, et sicut simplex inconsideratio opponitur scientiae oppositione privativa ita mera omissio actus virtuosi opponitur privative virtuti.

Et similiter proportionalitate commutata: ita se habet *error ad peccatum commissionis sicut scientia ad virtutem*, et *sicut* se habet *virtus ad scientiam ita* se habet *mera omissio* actus virtutis *ad* simplicem *inconsiderationem* intellectus.

Quo in sensu, ut exemplum concretum referamus, recte dicimus: *sicut* se habet *fides ad spem ita* se habent *infidelitas ad desperationem et nimia credulitas ad praesumptionem*; et *commutatim*: *sicut* se habet *fides ad infidelitatem et ad nimiam credulitatem ita* se habet *spes ad desperationem et ad praesumptionem*; et vicissim: *ita* se habent *desperatio et praesumptio ad spem sicut infidelitas et nimia credulitas ad fidem*, quatenus sicut infidelitas opponitur fidei per defectum et nimia credulitas per excessum ita desperatio opponitur spei per defectum et praesumptio per excessum.

Sic etiam recte pronuntiamus: *ita* se habet *paena ad demeritum* sive ad culpam *sicut* se habet *praemium ad meritum*. Et cum paena opponatur praemio oppositione contraria, itemque culpa merito, recte *commutamus* proportionalitatem directam praecedentem: *sicut* se habet *meritum ad culpam ita* se habet *praemium ad paenam*; et *sicut* se habet *praemium ad praemium* ita *paena ad paenam*.

Unde et dicimus *ordinata* proportionalitate: *sicut* se habet *praemium beatorum ad eorum merita ita* se habet *paena damnatorum ad eorum culpam*; et similiter: *sicut duplex* est *praemium* beatorum, aliud essentiale et aliud accidentale; *ita duplex est paena* damnatorum, alia essentialis et alia accidentalis. Proportionalitate vero *commutata*: *ita* se habet *paena essentialis* seu damni *ad dam-*

natos sicut se habet *praemium essentiale ad beatos*, et sicut se habet *praemium accidentale ad beatos ita* se habet *paena accidentalis* sive sensus *ad damnatos*.

692. Analogia insuper *proportionalitatis ordinatae* tam ontologica quam dynamica *subdividitur in* analogiam proportionalitatis *continuae sive coniunctae* et *in* analogiam proportionalitatis *discretae sive disiunctae*: prout duae proportiones comparatae continuantur sive copulantur uno termino communi, qui est simul terminus consequens primae proportionis et terminus antecedens proportionis secundae; vel non copulantur uno communi termino, sed unaquaeque habet distinctos sive discretos terminos hinc et inde. Analogia ergo proportionalitatis discretae vel disiunctae habet quatuor terminos re et ratione distinctos; dum analogia proportionalitatis coniunctae sive continuae habet solum tres terminos re distinctos, licet secundum rationem sint quatuor: quia ille unus terminus re communis, est distinctus secundum rationem, cum respectu alterius termini primae proportionis sit consequens et respectu alius termini proportionis secundae sit antecedens [1].

Exempli causa, habetur analogia *ontologica* proportionalitatis *discretae*, si dicamus: *sicut* se habet *substantia ad suum esse*, *ita* se habet *quantitas ad suum*; quia sicut substantia comparatur ad suum esse ut potentia ad actum, ita quantitas ad suum; nam omne ens participatum comparatur ad esse sibi debitum ut potentia ad actum sive ut recipiens ad receptum [2].

Est autem analogia ontologica proportionalitatis *continuae*, cum dicimus: *sicut* se habet *substantia corporea ad quantitatem*, *ita* se habet *quantitas ad cetera posteriora accidentia* substantiae corporeae; quia sicut substantia corporea est subiectum immediatum quantitatis,

[1] Cf. S. Thomam, *In I Post.*, lect. 12, n. 8; *In V Ethic.*, lect., 5.
[2] *IV Sent.*, d. 12, 1, 1, qla. 3 ad 4; III, 77, 1 ad 4.

quae est primum eius accidens, ita quantitas est immediatum subiectum aliorum accidentium, quae ea mediante inhaerent substantiae [1]. Unde et respectu posteriorum accidentium quantitas, quae est primum et proprium accidens substantiae corporeae, participat *modum quendam* substantiae ideoque appellatur *quasi-substantia* [2].

Pari modo dicimus: *sicut* se habet *substantia spiritualis*, puta angelus vel anima humana, *ad suas naturales potentias* spirituales, *ita* se habent huiusmodi spirituales *potentiae ad habitus et actus suos*; quatenus sicut substantia spiritualis est subiectum immediatum naturalium potentiarum eius, ita et hae naturales potentiae sunt immediatum subiectum suorum habituum operativorum et suorum actuum. Nam sicut quantitas immediate subiectatur in substantia corporea, cetera vero accidentia mediante quantitate, quae et eorum est immediatum subiectum; ita naturales potentiae spirituales immediate subiectantur in substantia spirituali, habitus autem operativi et actus subiectantur immediate in potentiis spiritualibus, eisque mediantibus in anima.

Et hac analogia utitur S. Thomas ad probandum habitus esse in potentiis animae sicut in subiecto. «Unum accidens dicitur esse in alio sicut in subiecto: non quia accidens per seipsum possit sustentare aliud accidens, sed quia unum accidens inhaeret substantiae mediante alio accidente, ut color corpori mediante superficie; unde superficies dicitur esse subiectum coloris. Et *eo modo* potentia animae dicitur esse subiectum virtutis» [3].

Immo, ut pressius loquamur, similis proportionalitas habetur inter ipsas naturales potentias spirituales animae

[1] «Omnia alia accidentia mediante quantitate in substantia fundantur, et quantitas est prior eis naturaliter» (*IV Sent.*, d. 12, 1, 1, qla. 3c); «omnia alia accidentia referuntur ad subiectum [=substantiam corpoream] mediante quantitate dimensiva» (III, 77, 2c).
[2] Cf. *IV Sent.*, d. 12, 1, 2, qla. 1 et 3; III 77, 5c et ad 1-3; 6 ad 3.
[3] I-II, 56 ad 3. Cf. etiam *ibid.*, 50, 2 ad 2; *III Sent.*, d. 33, 2, 4, qla. 1; *De Virtutibus in communi*, 3c.

rationalis. Quia enim potentia appetitiva naturaliter sequitur ad potentiam apprehensivam ex qua naturali resultantia oritur per modum dimanationis cuiusdam; et potentiae spirituales animae sunt tantummodo duae, scilicet intellectus qui est potentia apprehensiva et voluntas quae est potentia appetitiva, vere affirmare possumus: *sicut* se habet *ipsa substantia animae* rationalis *ad intellectum, ita* se habet *intellectus ad voluntatem*. Sicut namque ipsa substantia animae est subiectum immediatum intellectus qui et ab ea immediate resultat, ita intellectus est immediatum subiectum voluntatis quae et ab eo immediate resultat: quem ad modum enim quantitas est primum accidens substantiae corporeae ex ea immediate resultans in eaque immediate subiectata, cetera vero accidentia resultant ex substantia corporea mediante quantitate atque ideo ipsa mediante inhaerent substantiae; ita etiam intellectus est prima potentia spiritualis animae rationalis ex ea immediate resultans in eamque immediate subiectata, voluntas autem resultat ex anima rationali mediante intellectu eoque mediante inhaeret substantiae animae.

Quare S. Thomas: «sicut potentia animae ab essentia fluit, non per transmutationem sed per naturalem quandam resultationem, et est simul [tempore] cum anima; ita est etiam de una potentia respectu alterius»[1]. Et iterum: «accidens per se non potest esse subiectum accidentis; sed unum accidens per prius recipitur in substantia quam aliud, sicut quantitas quam qualitas: et *hoc modo* unum accidens dicitur esse subiectum alterius, ut superficies coloris, in quantum substantia uno accidente mediante recipit aliud; et *similiter* potest dici de potentiis animae»[2].

Et idem valet de substantia angeli, quae est pure spiritualis, relate ad intellectum et voluntatem eius, cum angelus non habeat nisi has duas naturales potentias, nempe: sicut se habet substantia angeli ad eius intellectum, ita se habet intellectus angeli ad eius voluntatem.

[1] I, 77, 7 ad 1.
[2] *Ibid.*, ad 2. Cf. etiam *I Sent.*, d. 3, 4, 4 per totum; *Quaestio disputata De Anima*, 13 ad 8.

Exemplum vero *analogiae dynamicae* proportionalitatis *discretae* dari potest, si dicamus: *ita* se habet *voluntas ad proprium eius actum* et ad proprium obiectum, *sicut intellectus ad suum proprium* actum et ad suum proprium obiectum; vel etiam: *sicut* in ordine intelligibili se habent principia ad conclusiones, ita in ordine appetibili se habet *finis ad media*. Quam analogiam applicans S. Thomas, pulcherrime scribit: «cum voluntas sequatur intellectum, *eodem modo* contingit esse causam alicuius volentis ut velit et alicuius intelligentis ut intelligat. *In intellectu* autem sic est quod, si seorsum intelligat principium et seorsum conclusionem, intelligentia principii est causa scientiae conclusionis; sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa suipsius: sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis. *Similiter est ex parte voluntatis*, circa quam sic se habet finis ad ea quae sunt ad finem sicut in intellectu principia ad conclusiones: unde, si aliquis uno actu velit finem et alio actu ea quae sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea quae sunt ad finem; sed si uno actu velit finem et ea quae sunt ad finem, hoc esse non poterit, quia idem non est causa sui ipsius: et tamen erit verum dicere quod velit ordinare ea quae sunt ad finem, in finem.

Deus autem, sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus ,sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea quae sunt ad finem, sed tamen vult ea quae sunt ad finem, ordinari in finem: vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc»;

sicut intelligit hoc esse propter hoc, sed non proptet hoc intelligit hoc [1].

Datur autem *analogia dynamica* proportionalitatis *continuae*, cum ita procedimus: *sic* se habet *propria potentia ad proprium actum, sicut* se habet *proprius actus ad proprium obiectum*; quia sicut potentia tota quanta est ordinatur ad suum proprium actum ex eoque specificatur et definitur, ita proprius actus totus quantus est ordinatur ad proprium suum obiectum ex eoque speciem et definitionem sumit [2].

Quod autem dicitur de ordine potentiae ad actum et ad obiectum, valet proportionaliter de ordine habitus operativi ad suum actum et sui actus ad suum obiectum, eo quod habitus operativi proportionantur potentiis in quibus sunt; et ideo sicut potentia dicitur ad actum, ita et habitus eius operativus [3]. *Sicut* ergo se habet *habitus ad proprium actum, ita* se habet *proprius eius actus ad suum proprium obiectum*; quia sicut habitus specificatur per proprium actum, ita proprius eius actus specificatur per proprium obiectum [4].

Et *universaliter* invenitur *analogia dynamica* proportionalitatis *continuae inter causas per se ordinatas*, sive sint diversi generis, sive etiam sint generis eiusdem.

Diversi quidem generis, quia ita se habent quatuor genera causarum ut bina et bina sibi invicem correspondeant et proportionentur, nempe duo genera causarum extrinsecarum ex una parte et duo genera causarum intrinsecarum ex alia: «nam efficiens et finis sibi correspondent invicem, quia efficiens est principium motus, finis autem terminus; et similiter materia et forma, nam forma dat esse, materia autem recipit» [5]. Et propter hoc, huismodi causae mutuo proportionatae sunt ad invicem

---

1 I, 19, 5c.
2 Cf. I, 77, 3; *Quaest. disp. De Anima*, 13.
3 I-II, 49, 3c.
4 *III Sent.*, d. 33, 1, qla. 1c; I-II, 54, 2; 63, 4; II-II, 4, 1c.
5 S. THOMAS, *In V Metaph.*, lect. 2; *De principiis naturae*.

causae in suo diverso genere, scilicet finis est causa efficientis quoad eius causalitatem, efficiens vero est causa finis quoad eius esse; et similiter forma est causa materiae in quantum dat ei esse actu, materia vero est causa formae in quantum eam recipit et quodammodo sustentat.

Consequenter, sicut causa finalis est causa causae efficientis quantum ad eius causalitatem et non quantum ad eius esse, quia est ratio et motivum agendi causae efficientis, licet non det ei esse quo est —sanitas enim, quae est causa finalis medicantis, non facit medicum esse medicum, sed facit quod medicus sit efficiens operationes medicativas—; ita causa efficiens est causa causae finalis quantum ad eius esse et non quantum ad eius causalitatem, quia efficiens est causa ut finis sit in re, licet non faciat ut finis sit finis: non enim medicus sanans facit quod sanitas sit finis, sed facit sanitatem esse in actu [1].

Simili modo, sicut forma est causa materiae quantum ad esse, ita et materia est causa formae quantum ad idem esse; quia sicut forma est causa materiae dando ei formaliter proprium esse per modum informationis, ita materia est causa formae recipiendo materialiter proprium esse formae et informationem eius eamque quodammodo sustentando [2].

Eiusdem etiam generis causarum, quando plures causae sunt per se subordinatae, scilicet in causando; tunc enim causa posterior non causat nisi virtute causali accepta ex causa priori. «Quod sic patet in terminis: sint A, B, C, tres causae ordinatae, ita quod C sit ultima quae exercet operationem. Constat tunc quod C exercet operationem per virtutem suam; et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per virtutem B, et ulterius per vir-

---

1 Cf. *De principiis naturae*.
2 *III Sent.*, d. 1, 1, 1 ad 3; *IV Sent.*, d. 17, 1, 4, qla. 1c; *De Verit.*, 28, 7c; *In V Metaph.*, lect. 2; *De principiis naturae*.

tutem. A. Unde si quaeratur quare C operatur, respondetur: per virtutem suam; et [si ulterius inquiratur] quare [operatur] per virtutem suam [respondetur]: propter virtutem B; et sic quousque reducatur in virtutem causae primae» sui generis vel ordinis [1].

Quo fit ut, ordine descendenti, dicere valeamus: sicut se habet causa prima ad causam secundam, ita se habet causa secunda ad tertiam, et sic inde usque ad ultimam: quia sicut causa prima confert virtutem operandi causae secundae, et ideo est causa causalitatis causae secundae; ita causa secunda confert virtutem operativam causae tertiae, et consequenter est causa causalitatis eius; et haec similiter respectu quartae; et sic inde usque ad ultimam sui generis vel ordinis.

Eodemque iure possumus dicere, ordine ascendenti: sicut se habet causa tertia in causando, virtute accepta a causa secunda; ita se habet causa secunda in causando, accepta virtute a causa prima.

Sit haec *series* per se subordinata *causarum efficientium*: «anima movet calorem naturalem, *quo* moventur nervi et musculi, *quibus* moventur manus, *quae* movent baculum, *quo* movetur lapis; in his enim quodlibet posteriorum per se dependet [in causando scilicet, vel movendo] a quolibet praecedentium» [2].

Inter has causas viget analogia proportionalitatis *continuae*: nam sicut anima movet calorem naturalem, ita calor naturalis movet nervos et musculos; et sicut calor naturalis movet nervos et musculos, ita nervi et musculi movent manus; et sicut nervi et musculi movent manus, ita manus movet baculum; et sicut manus movet baculum, ita baculus movet lapidem.

Quidquid autem sit de valore, ut aiunt, scientifico huius exempli, certum est tamen animam esse causam principalem motus lapidis; manus, causam instrumenta-

---

[1] *I Sent.*, d. 37, 1, 1 ad 4.
[2] *De Verit.*, 2, 10c; *In librum de causis*, lect. 1.

lem coniunctam; baculum, causam instrumentalem separatam. Porro constat causam instrumentalem esse per se subordinatam causae principali, et similiter instrumentum separatum instrumento coniuncto. Sicut ergo causa principalis movet causam instrumentalem coniunctam, ita causa instrumentalis coniuncta movet causam instrumentalem separatam; et sicut instrumentum separatum movet motum ab instrumento coniuncto, ita instrumentum coniunctum movet motum a causa principali.

Et hoc modo, cum Deus sit causa principalis gratiae, Humanitas autem Christi sit causa instrumentalis coniuncta, Sacramenta vero Novae Legis sint causa instrumentalis separata, habetur sequens analogia dynamica proportionalitatis continuae: *sicut Deitas movet Humanitatem Christi* ad causandam gratiam, *ita Humanitas Christi movet Sacramenta Novae Legis* ad eandem gratiam causandam; et *sicut Humanitas Christi causat gratiam* virtute accepta ex eius Divinitate, *ita Sacramenta Novae Legis causant eandem gratiam* virtute accepta ex Humanitate Christi.

Sit etiam haec alia *series* per se subordinata *causarum finalium*: «potio conficitur ut detur aegroto, *datur* autem ut purgetur, *purgatur* autem ut extenuetur, *extenuatur* autem ut sanetur» [1]. Porrectio enim aegroto est finis confectionis potionis medicinalis, finis autem talis porrectionis est purgatio aegroti, extenuatio vero eius est finis purgationis, tandem sanatio ipsius est finis extenuationis. Inter quos fines per se subordinatos habetur sequens proportionalitas continua: *sicut confectio potionis* medicinalis *est propter porrectionem* eius aegroto, *ita porrectio* talis potionis est *propter purgationem* aegroti; et *sicut purgatio* aegroti est *propter eius extenuationem, ita extenuatio* ipsius est *propter salutem* suam.

Eodem iure, si dicamus quod «homo sentit ut imagi-

---

[1] *III Contra Gent.*, cap. 17, arg. 4.

netur, imaginatur autem ut intelligat, intelligit autem ut velit»[1], habetur talis proportionalitas: *sicut sentire* hominis ordinatur *ad imaginari, ita imaginari* ordinatur *ad intelligere*; et *sicut imaginari* ordinatur *ad intelligere, ita intelligere* ordinatur *ad velle*.

Vel etiam, cum dicimus: «considero corpus ut considerem animam, *quam* considero ut considerem substantiam separatam, *quam* considero ut considerem Deum»[2], similis proportionalitas intercedit: *sicut* enim *considero corpus propter considerationem animae, ita considero animam propter considerationem angelorum*; et *sicut considero animam propter considerationem angelorum, ita considero angelos propter considerationem Dei*, qui est finis ultimus omnium praecedentium considerationum.

Et idem videri potest in serie per se ordinata causarum formalium et causarum materialium. Sed de subdivisionibus analogiae proportionalitatis propriae, hactenus.

693. *Analogia* vero *proportionalitatis impropriae* sive *metaphoricae subdividitur* etiam modo quodam proportionali ex duplici capite: primo, ex parte conditionis quantitatum virtualium proportionalium; secundo, ex parte distantiae sive dissimilitudinis proportionum comparatarum inter se.

Ex parte igitur conditionis quantitatum virtualium proportionalium, quae necessario sunt qualitates exteriores vel accidentales et non interiores et essentiales sicut in analogia proportionalitatis propriae, *subdividitur* analogia proportionalitatis metaphoricae *in* analogiam *pure sensibilem* et *in* analogiam non pure sensibilem, sed *partim sensibilem et partim intelligibilem*: prout quantitates virtuales proportionales sunt sensibiles sive ordinis

---

[1] *III Contra Gent.*, cap. 2, arg. 3.
[2] *Ibid.*, paulo infra.

corporalis ex utraque parte, vel ex una parte sensibiles et ex alia intelligibiles sivt ordinis spiritualis.

Neque dari potest tertium membrum, quod scilicet quantitates virtuales proportionales sint intelligibiles seu ordinis pure spiritualis ex utraque parte, quia «metaphora sumenda est ex his quae sunt manifesta *secundum sensum*»[1]; et ideo in omni proportionalitate metaphorica dari debet saltem una proportio ordinis sensibilis seu corporalis.

Exempla analogiae metaphoricae *pure sensibilis* praesto sunt apud omnes, ut cum dicimus *pedem* mensae, pedem montis, pedem vel calcem paginae. Proprie namque dicitur pes pars infima animalis illud sustentans: metaphorice autem pars infima mensae eam sustentans, dicitur pes; et similiter pars infima montis in qua veluti sustentatur moles eius; et pars infima paginae, licet eam non sustentet. Sicut enim pars infima animalis sustentans ipsum vocatur pes in sensu proprio, ita pars illa mensae vel montis quae similiter se habet ad mensam vel ad montem in positione infima et in munere sustentandi ut pes ad animal, vocatur pes metaphorice sive in sensu translato; et eodem iure, pars illa paginae quae similem locum occupat in pagina quo pes animalis in animali, appellatur metaphorice pes.

Exempla etiam analogiae metaphoricae non pure sensibilis et corporalis, sed *partim sensibilis et partim intelligibilis* seu spiritualis, saepissime etiam occurrunt inter homines, sicut quando intellectum appellamus *oculum animae*, vel quando amorem nominamus *animae pondus*: oculus enim proprie dictus est oculus corporalis, et nonnisi per translationem vel similitudinem metaphoricam attribuitur intellectui nomen oculi; et similiter pondus proprie dicitur de corporalibus tantum, et nonnisi per metaphoram extenditur ad amorem significandum.

---

[1] *I Sent.*, d. 34, 3, 2 ad 3.

Sicut ergo oculus corporalis proprie dicitur potentia organica qua animal videt exteriora sensibilia, ita potentia spiritualis qua anima rationalis vel angelus vident interiora intelligibilia vocatur per extensionem metaphoricam oculus animae vel angeli[1]: et sicut pondus proprie dictum est quo corpus grave trahitur et quasi tenetur; ita amor quo voluntas vel anima trahitur et veluti tenetur, appellatur per translatam similitudinem pondus voluntatis vel animae, quatenus ita se habet ad animam sicut pondus corporale ad corpus, iuxta effatum celeberrimum S. Augustini: «amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror»[2].

694. Et quidem *analogia metaphorica pure sensibilis subdivitur* ulterius *in* analogiam *staticam* vel quasi entitativam et *in* analogiam *dynamicam*, secundum quod quantitates virtuales proportionales sunt staticae et quasi entitativae vel dynamicae et operativae.

Verbi gratia, quando acumina serrae metaphorice appellamus *dentes*, talis metaphora resolvitur in hanc proportionalitatem dynamicam: sicut dentes animalis, qui sunt dentes proprie dicti, scindunt et dividunt alimenta, ita acumina serrae scindunt et dividunt ligna; ob similitudinem enim figurae et dispositionis et virtutis scindendi et dividendi quam habent acumina serrae ad dentes animalis, huiusmodi acumina metaphorice vocantur dentes. Quando vero acumina rotae metaphorice dicimus *dentes*, haec metaphora resolvitur in talem proportionalitatem staticam et quasi entitativam: sicut dentes animalis figuram habent acutam et serie proportionali disponuntur sursum et deorsum in ore animalis, ita acumina quarundam rotarum figuram acutam habet et serie proportionali disponuntur hinc et inde in prima et in secunda rota; ob hanc enim similitudinem figurae et dispositionis acuminum rotarum ad figuram et dispositionem dentium animalis, illa acumina vocantur dentes, et rotae eis ditatae appellantur dentatae.

[1] Cf. III, 76, 7.
[2] S. Augustinus, *Conf.* XIII, 9, 10. ML 32, 848.

Et idem videre est, cum quosdam montes metaphorice vocamus *serras*, ob similitudinem nempe figurae et dispositionis quam habent series cacuminum quorundam montium cum figura et dispositione quam habent series acuminum serrae proprie dictae; nam et tales montes e longinquo in horizonte perspecti, formam et figuram cuiusdam serrae praeseferunt. Sicut et quando arcus alicuius *pontis* metaphorice nominamus *oculos*, ob meram scilicet figurae similitudinem cum arcu oculorum animalis, non ob similtudinem operationum; et ideo est analogia mere statica et quasi entitativa seu in essendo.

695. Ex adverso, analogia metaphorica non pure sensibilis, sed partim sensibilis et partim spiritualis, non potest esse statica et quasi entitativa, sed necessario est dynamica sive ordinis operativi semper. Cum enim omnis analogia metaphorica fundetur in similitudine quadam qualitatum eius quod metaphorice dicitur ad qualitates eius quod proprie appellatur, non essentiae vel substantiae ad essentiam vel substantiam; res autem incorporeae sive spirituales non habent formam et figuram, neque passionem et patibilem qualitatem, utpote qualitates ordinis essentialiter corporalis et sensibilis: non remanent nisi aliae duae species qualitatis in quibus similitudo metaphorica spiritualium ad corporalia fundari possit, scilcet habitus et dispositio atque naturalis potentia et impotentia. Constat autem naturalem potentiam et impotentiam esse ordinis essentialiter dynamici; et similiter habitum et dispositionem, si loquamur de habitibus et dispositionibus operativis. Si quae ergo esset possibilis analogia ontologica proportionalitatis metaphoricae spiritualium ad corporalia, necessario fundari deberet in similitudine secundum habitum et dispositionem entitativos spiritualium ad corporalia: quod tamen minime admittendum est.

Dupliciter enim possunt accipi habitus entitativus et dispositio entitativa: uno modo, *essentialiter*, et tunc proprie dicuntur de subiectis quibus attribuuntur et in quibus subiectantur, atque ideo similitudo proportionalis proprii habitus vel dispositionis ad proprium subiectum fundaret analogiam proportionalitatis propriae, non proportionalitatis metaphoricae; alio modo, *causaliter* aut *virtualiter*, idest secundum ordinem ad suos effectus, et hoc pacto dari potest quaedam assimilatio in effectu fundans analogiam proportionalitatis metaphoricae. Analogia autem fundata in similitudine virtutis vel effectus est dynamica, non entitativa seu ontologica. Remanet ergo ut unice possibilis pro analogia metaphorica spiritualium ad corporalia, analogia dynamica.

Sicut peccatum originale metaphorice dicitur *aegritudo* naturae. Sicut enim aegritudo corporalis est morbus cum imbecillitate, qui languor quidem membrorum et partium corporis est; ita peccatum originale est aegritudo quaedam spiritualis totius naturae hominis cum imbecillitate quadam, quae languor partium et potentiarum totius naturae hominis est. Nimirum peccatum originale, quod est habitus entitativus directe contrarius iustitiae originali, metaphorice vocatur aegritudo naturae; quia similes effectus ac corporalis aegritudo causat in corpore, peccatum originale causat in tota hominis natura [1]. Unde «sicut aegritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur aequalitas sanitatis; et aliquid habet positive, scilicet ipsos humores inordinate dispositos [cum imbecillitate vel languore inde consequente]: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis iustitiae [quae sanitas quaedam et harmonia naturae erat, cum vigore quodam inde consequente], et cum hoc inordinatam dispositionem partium animae» cum imbecillitate vel languore inde resultante [2].

---

[1] Cf. I-II, 71, 1 ad 2; 82, 1.
[2] I-II, 82, 1 ad 2.

Et propter hoc S. Thomas semper explicat metaphoricas nominum translationes e corporalibus ad spiritualia per similitudinem effectus, quem spiritualia causant vel causare possunt, ad effectus proprios qualitatum rerum vel agentium corporalium. «Ira et huiusmodi attribuuntur Deo *secundum similitudinem effectus*; quia enim proprium est irati punire, ira eius punitio *metaphorice* vocatur» [1]. «Cum autem aliquae passiones humanae in divinam praedicationem metaphorice assumuntur, hoc fit *secundum similitudinem effectus*: unde illud quod est signum talis passionis in nobis, in Deo nomine illius passionis *metaphorice* significatur. Sicut apud nos irati punire consueverunt; unde ipsa punitio est signum irae: et propter hoc, ipsa punitio nomine irae significatur cum Deo attribuitur» [2]. Punitio ergo Dei «non est signum quod in Deo sit ira; sed punitio, ex eo ipso quod in nobis est signum irae, in Deo dicitur ira» [3]. Haec enim «imperfectionem important, etiam formaliter», et ideo «Deo convenire non possunt nisi *metaphorice, propter similitudinem effectus*» [4]. «Furor et concupiscentia *metaphorice* dicuntur esse in daemonibus, sicut et ira quandoque attribuitur Deo, *propter similitudinem effectus*» [5]: «Amor et gaudium et alia huiusmodi, cum attribuuntur Deo vel angelis aut hominibus secundum appetitum intellectivum, significant *simplicem actum voluntantis cum similitudine effectus, absque passione.* Unde dicit Augustinus, IX de Civitate Dei [cap. 5]: sancti angelili, et sine ira puriunt, et sine miseriae compassione subveniunt; et tamen istarum nomina passionum, consuetudine locutionis humanae, etiam in eos usurpantur, *propter quandam*

---

[1] I, 3, 2 ad 2.
[2] I, 19, 11c.
[3] *Ibid.*, ad 2.
[4] I, 20, 1 ad 2.
[5] I, 69, 4 ad 1. «Furor et concupiscentia in daemonibus ponitur *metaphorice, propter similitudinem operationis*, non secundum quod important quasdam passiones partis sensitivae pertinentes ad vim irascibilem et concupiscibilem» (*De Malo*, 16, 1 ad 3).

operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem»[1]. «Dicitur enim Deus iratus, in quantum facit *effectum similem* irato, quia scilicet punit, qui est effectus irae in nobis, quamvis in Deo passio irae esse non possit»[2].

Praesertim vero dignus est qui recolatur textus sequens: «de Deo quaedam dicuntur proprie, quaedam metaphorice. Ea quae *proprie* de ipso dicuntur, *vere in eo sunt*; sed ea quae *metaphorice*, dicuntur de eo *per similitudinem proportionalitatis ad effectum aliquem*, sicut dicitur ignis, Deut. IV, eo quod sicut ignis se habet ad consumptionem contrarii, ita Deus ad consumendum nequitiam. Unde *ipsum esse destruentem nequitiam est ipsum esse ignem, et ipsa consumptio activa est igneitas eius*; et per modum istum, ipsa punitio dicitur ira eius»[3].

Et sic etiam nomen visus vel oculi attribuitur intellectui[4], in quantum intellectus circa intelligibilia *similem operationem* exercet ac visus vel oculus corporalis circa corporaliter visibilia.

Sic ergo ea quae in spiritualibus dicuntur per analogiam metaphoricam ad corporalia vel sensibilia, non sunt formaliter et vere in ipsis spiritualibus, sed *mere virtualiter et similitudinarie tantum*, quatenus scilicet spiritualia *virtutem* habent causandi *effectus similes* effectibus propriis corporalium vel sensibilium: «*virtualiter* et *per modum effectus*»[5].

696. *Ex parte* vero *distantiae* sive dissimilitudinis *proportionum* comparatarum inter se, *subdividitur* analogia proportionalitatis metaphoricae tam pure sensibilis quam non pure sensibilis in analogiam proportionalitatis *presse dictae sive cum distantia finita* et in analogiam

[1] I-II, 22, 3 ad 3.
[2] *De Verit.*, 2, 1c.
[3] *I Sent.*, d. 45, 4c.
[4] *De Malo*, 16, 1 ad 3. Cf. etiam *De Pot.*, 7, 5c et ad 8.
[5] *De Malo*, 4, 2c., circa medium.

proportionalitatis *large sumptae sive cum distantia infinita*: prout distantia proportionum comparatarum sive proprii et metaphorici inter se est determinata et perfecte mensurabilis aut indeterminata et non plene mensurabilis.

Sic, *exempli* gratia, habetur analogia proportionalitatis metaphoricae pure sensibilis *cum distantia finita*, quando machinam qua in äera sublevamur et per aera vehimur et transferimur, appellamus *avim* —vulgo avión—, eiusque partes nomine partium avis insignimus, ut alas, caput, caudam et huiusmodi: sicut enim avis proprie dicta, quae est animal volatile, in aera sublevatur et per aera volando transit de loco in locum; ita machina, quae similem figuram habet et effectus similes producit, metaphorice vocatur avis: et sicut alae verae avis ad latus eius sunt dispositae atque extenduntur et plicantur, caput vero eius ante et cauda retro; ita partes similes machinae volantis ad latus eius dispositae, quae extenduntur et plicantur, metaphorice nominantur alae, pars vero anterior similis capiti avis vocatur caput, et posterior similis caudae avis nomen suscipit caudae. Talis namque similitudo adeo propinqua et obvia est, et artefactum machinae volantis ita imitatur naturalem dispositionem et naturales proprietates avis, ut ex qualitatibus verae avis plene definire et comprehendere valeamus similes qualitates machinae volantis.

Quando vero similitudo eius quod metaphorice dicitur ad id quod proprie nominatur, est nimis obscura et imperfecta vel nimis a longe petita, locum habet analogia proportionalitatis metaphoricae *cum distantia infinita*: quae quidem in genere proportionalitatis metaphoricae pure sensibilis non potest esse infinita simpliciter, sed mere indefinita; verbi gratia, cum metaphorice loquimur de ventre terrae vel maris, de visceribus terrae, de corde terrae; vel cum flumina nominamus venas terrae, et eorum aquam sanguinem eius.

Similiter adest analogia proportionalitatis *metaphoricae non pure sensibilis cum distantia finita*, si metapho-

ra sit adeo vivida et quadrans ei cui applicatur ut illud plene describat et quasi definiat; ut quando Christus Dominus *Herodem* appellavit *vulpem* [1]. Sicut enim vita vulpis est simulare, rapere, mactare; ita vita Herodis fuit simulatio, rapina, homicidia.

Hoc etiam in sensu *avarum* metaphorice appellamus *hydropicum*: quia sicut hydropicus quanto plus bibit tanto plus sitit, neque hydropisis eius curatur potu, sed potius aggravatur et crescit; ita avarus quanto plura possidet tanto plura quaerit, neque eius avaritia diminuitur nova pecuniae acquisitione, quin potius augetur et crescit. Haec ergo metahora adeo vivide describit propriam indolem avari et tam plene ei aptatur, ut eum quasi definiat.

Plerumque tamen hoc genus analogiae est cum distantia infinita, eo quod sensibilia et spiritualia diversi generis cum sint, non perfecte aptantur neque ex amussim commensurantur; et ideo ex corporalibus, quando metaphorice extenduntur ad spiritualia significanda, non possumus spiritualia perfecte comprehendere ac definire. Non enim est mensurabile odium et hostilitas diaboli erga homines, quando eum metaphorice leonem furibundum et rugientem appellamus: «adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret» [2], sed multo maioris inimicitiae et saevitiae et voracitatis est quam pessimus leonum.

697. Et quidem pro duplici modo infinitatis, istud genus analogiae finaliter *subdividitur in analogiam cum distantia indefinita* tantum sive infinita secundum quid et *in analogiam cum distantia infinita simpliciter*.

Ita, *verbi gratia*, quando *intellectum* nostrum metaphorice appellamus *oculum* mentis, adest analogia metaphorica cum *distantia indefinita*, eo quod potentia co-

[1] *Luc.* XIII, 32.
[2] *I Pet.*, V, 8.

gnoscitiva oculi corporei et oculi spiritualis intellectus nostri est simpliciter finita; quia tamen intellectus est cognoscitivus universalium, quae infinitatem quandam habent, dum oculus corporeus est solum cognoscitivus singularium, distantia inter utrumque oculum est indefinita.

Quod sit ulterius intellectum angeli vocemus oculum eius, maior adhuc erit distantia ab oculo corporali; et si naturalia transcendentes, habitum cognoscitivum supernaturalem, puta fidem vel lumen gloriae, nominemus *oculum fidei* vel oculum beatitudinis, distantia eius a simplici oculo corporeo erit multo maior incomparabiliter.

Tandem erit *distantia infinita* simpliciter quando ipsum *divinum intellectum* nominamus *oculum* Dei: nam vis cognoscitiva intellectus divini excedit in infinitum vim cognoscitivam cuiuscumque intellectus creati et creabilis et cuiuscumque habitus cognoscitivi, etiam maxime supernaturalis et maxime potentis, ut est lumen gloriae creatum, quod satis est ad Deum ipsum prout est in se intuituve videndum, sed impar est ad eum comprehendendum; dum divinus intellectus est totaliter comprehensivus divinae essentiae et cuiuscumque intelligibilis actualis et possibilis; ergo a fortiori excedit in infinitum totam vim cognoscitivam oculi corporei, etiam glorificati, hominis summe beati, puta Christi-Hominis.

Simile videre est cum metaphorice *caput* nominamus patremfamilias, superiorem communitatis, regem, Christum, Deum; quia sicut se habet caput corporale ad reliquum corpus, ita se habet paterfamilias ad mulierem totamque familiam, et superior alicuius communitatis ad totam communitatem ei subiectam, et rex ad regnum et Christus ad Ecclesiam, et Deus ad Christum hominem et ad totam creaturarum universitatem: sicut namque caput physicum et corporale eminet super cetera corporis membra et in ea influit curam et directionem, ita paterfamilias eminet super totam familiam ei curam et direc-

tionem impartiens, et similiter superior communitatis super totam communitatem, et rex super totum regnum, et Christus super totam Ecclesiam, et Deus super Hominem Christum totamque creaturarum universitatem; et ob hanc eminentiae et operationis similitudinem ad eminentiam et operationem capitis physici ad corpus ei subiectum, dicuntur metaphorice caput morale paterfamilias, superior communitatis, rex, Christus et Deus ipse. Nemo tamen non videt multo maiorem esse distantiam in uno casu quam in alio, usque ad distantiam simpliciter infinitam inter proportionem capitis physici ad suum corpus et proportionem Dei-Capitis ad Humanitatem Christi ceterasque creaturas.

Sicut et in extensione metaphorica verbi, *clavis*, quando loquimur de clave musicali, de clave scientiae, de clave interpretationis alicuius documenti transmissi vel scripti, de clavibus Ecclesiae, de clavibus regni caelorum. Quem ad modum enim clavis corporalis, quae est clavis proprie dicta, est instrumentum quo removetur obstaculum tenens clausam portam; et qui clavem possidet, potestatem habet aperiendi portam et ingrediendi domum: ita signa quibus indicatur tonus musicalis vel sensus scripturae aut verborum aenigmaticorum quibusque habetur potestas ea recte interpretandi, dicuntur claves; et similiter principia quibus removentur difficultates alicuius problematis et viam aperiunt ingrediendi in cognitionem veritatis, dicuntur claves scientiae; sicut et potestas ligandi atque solvendi censuris membra Ecclesiae, vocatur clavis Ecclesiae; rursusque potestas dimittendi peccata quibus impeditur introitus in regnum caelorum et potestas conferendi gratiam quae aperitur ianua domus caelestis, per sacramentum paenitentiae, appellantur claves regni caelorum [1]. Patet autem maiorem esse distantiam clavium spiritualium et supernaturalium dimittendi peccata et conferendi gratiam a clave corporali quam clavium spi-

[1] Cf. S. Thomam, *IV Sent.*, d. 18, 1, 1 per totum.

ritualium imponendi et removendi censuras ecclesiasticas, multoque magis quam clavium interpretationis vel solutionis alicuius problematis.

Tales sunt divisiones quas suscipere potest analogia proportionalitatis metaphoricae: non enim videtur admittenda in hoc analogiae genere analogia proportionalitatis continuae neque permutatae, quia proprii ad metaphoricum nulla est vera et intima continuatio; neque eorum est vera et intima aequipollentia, ut fundari posset proportionalitas commutata: sed omnis proportionalitas metaphorica debet esse discreta et ordinata.

698. Si quis autem velit hanc longam analogiae divisionem uno veluti conspectu prae oculis habere, potest eam sequenti contrahere tabella:

ANALOGIA

- I) *large et improprie dicta*: secundum esse tantum et non secundum essentiam nec secundum operationem = *analogia inaequalitatis* diversarum specierum intra idem genus logicum sive diversorum generum realium.
- II) *proprie et stricte dicta*: secundum essentiam vel secundum operationem et non secundum esse tantum.
  - A) simplicis rationis vel proportionis unius vel plurium in uno, ad unum vel ab uno = *analogia proportionis vel attributionis.*
    - a) *ordinis essendi: analogia ontologica sive entitativa unius vel plurium in uno subiecto* = secundum causam *quasi materialem in qua.*
      - 1) ex parte rationis termini *principalis sive ipsius subiecti* inhaesionis vel attributionis.
        - α) *stricte dicta sive inhaesionis et praedicationis simul*: analogia accidentium ad substantiam.
          - 1) corporalem.
          - 2) spiritualem.
        - β) *large dicti sive praedicationis tantum* et non inhaesionis=analogia attributorum ad subiectum attributionis.
          - 1) *creatum*, v. gr. subiectum mathematicae purae.
          - 2) *increatum*, v. gr. subiectum Theologiae sacrae.
          - 3) *abstrahens negative a creato et increato*, v. gr. subiectum Ontologiae.
      - 2) ex parte *numeri* terminorum *secundariorum* inhaerentium vel attributorum.
        - α) *unius* tantum in uno vel quasi in uno.
        - β) *duorum vel plurium* in uno illomet aut quasi in uno.
      - 3) ex parte *modi inhaesionis vel attributionis secundariorum in illo primo.*
        - α) *intrinsece* et formaliter=analogia proportionis intrinseca in uno vel quasi in uno.
        - β) *extrinsece* et mere denominative=analogia proportionis pure extrinseca vel denominativa in uno quasi in uno.
      - 4) ex parte *modi proportionis* sive commenrurationis secundariorum terminorum ad primum.
        - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionis in uno vel quasi in uno presse dicta.
        - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionis in uno vel quasi in uno large dicta pro simplici habitudine ad illud unum.
    - b) *ordinis operandi: analogia dynamica sive operativa.*
      - 1) ex parte rationis termini *principalis* proportionis vel attributionis.
        - α) secundum causam *finalem*=analogia proportionis vel attributionis *ad unum.*
        - β) secundum causam *efficientem*=analogia proportionis vel attributionis *ab uno.*
        - γ) secundum causam *exemplarem*=analogia proportionis vel attributionis *ab uno et ad unum simul.*
      - 2) ex parte *numeri* terminorum *secundariorum* proportionatorum vel attributorum.
        - α) *unius* tantum ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
        - β) *duorum vel plurium* ad illudmet unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
      - 3) ex parte *modi participandi rationem primi* a secundariis analogatis.
        - α) *intrinsece* vel formaliter=analogia proportionis intrinseca ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
        - β) *extrinsece* vel mere denominative=analogia proportionis extrinseca sive pure denominativa ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
      - 4) ex parte *modi proportionis* sive commensurationis *secundariorum* terminorum ad primum.
        - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionis *presse dictae* ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
        - β) cum distantia *infinita et indeterminata.*
          - 1) syncategorematice tantum sive mere *indefinita.*
          - 2) categorematice sive *infinita simpliciter.*
  - B) rationis compositae sive proportionis comparatae duorum ad duo vel plurium ad plura = *analogia proportionalitatis.*
    - a) *propriae et formalis* = *analogia proportionalitatis propriae.*
      - 1) ex parte *conditionis* quantitatum virtualium proportionaliter comparatarum sive eorum quae proportionaliter comparantur.
        - α) ordinis *essendi*=analogia *ontologica* sive entitativa *proportionalitatis propriae.*
        - β) ordinis *operandi*=analogia *dynamica* sive operativa *proportionalitatis propriae.*
      - 2) ex parte *modi proportionis* seu commensurationis mutuae utriusque proportionis comparatae.
        - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionalitatis *presse dictae.*
          - 1) *ordinata*
            - a) *continua* sive coniuncta.
            - b) *discreta* sive disiuncta.
          - 2) *permutata* sive commutata.
        - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionalitatis *large dictae.*
          - 1) cum distantia *syncategorematice* infinita tantum sive mere *indefinita.*
          - 2) cum distantia *categorematice* infinita sive *infinita simpliciter.*
    - b) *impropriae et mere virtualis tantum = analogia proportionalitatis impropriae sive metaphoricae.*
      - 1) ex parte *conditionis* quantitatum virtualium comparatarum sive eorum quae sic proportionantur.
        - α) pure *sensibilis* seu corporalis.
          - 1) *statica* et quasi entitativa=analogia *quasi ontologica* proportionalitatis metaphoricae.
          - 2) *dynamica* vel operativa=analogia *dynamica* proportionalitatis metaphoricae.
        - β) *non mere sensibilis*, sed partim sensibilis et partim intelligibilis=analogia mere dynamica proportionalitatis metaphoricae.
      - 2) ex parte *modi proportionis* seu commensurationis mutuae utriusque proportionis comparatae.
        - α) cum distantia *finita* et *determinata*=analogia proportionalitatis *presse dictae.*
        - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionalitatis *large dictae.*
          - 1) cum distantia *syncategorematice* infinita tantum sive mere *indefinita.*
          - 2) cum distantia *categorematice* infinita sive *infinita simpliciter.*

A N A L O G I A

- I) *large et improprie dicta*: secundum esse tantum et non secundum essentiam nec secundum operationem = *analogia inaeq*
- II) *proprie et stricte dicta*: secundum essentiam vel secundum operationem et non secundum esse tantum.
  - A) simplicis rationis vel proportionis unius vel plurium in uno, ad unum vel ab uno = *analogia proportionis vel attributionis.*
    - a) *ordinis essendi: analogia ontologica sive entitativa unius vel plurium in uno subiecto* = secundum causam *quasi materialem in qua.*
      - 1) ex parte rationis termini *prin* *palis* sive *ipsius subiecti* inh sionis vel attributionis.
      - 2) ex parte *numeri* terminorum *cundariorum* inhaerentium attributorum.
      - 3) ex parte *modi inhaesionis* *attributionis secundariorum* *illo primo.*
      - 4) ex parte *modi proportionis* commenrurationis secunda rum terminorum ad primun
    - b) *ordinis operandi: analogia dynamica sive operativa.*
      - 1) ex parte rationis termini *pr* *palis* proportionis vel attrib nis.
      - 2) ex parte *numeri* terminorun *cundariorum* proportionato vel attributorum.
      - 3) ex parte *modi participandi* *nem primi* a secundariis a gatis.
      - 4) ex parte *modi proportionis* commensurationis *secun* *rum* terminorum ad primu
  - B) rationis compositae sive proportionis comparatae duorum ad duo vel plurium ad plura = *analogia proportionalitatis.*
    - a) *propriae et formalis* = *analogia proportionalitatis propriae.*
      - 1) ex parte *conditionis* quantit virtualium proportionaliter paratarum sive eorum quae portionaliter comparantur.
      - 2) ex parte *modi proportioni* commensurationis mutuae u que proportionis comparat
    - b) *impropriae et mere virtualis tantum* = *analogia proportionalitatis impropriae sive metaphoricae.*
      - 1) ex parte *conditionis* quanti virtualium comparatarum eorum quae sic proportion
      - 2) ex parte *modi proportion* commensurationis mutuae que proportionis compara

...ntiam nec secundum operationem = *analogia inaequalitatis* diversarum specierum intra idem genus logicum sive diversorum generum realium.

...ssendi: *analogia ... sive entitativa ... plurium in uno* = secundum cau-... *...i materialem in*

- 1) ex parte rationis termini *principalis* sive *ipsius subiecti* inhaesionis vel attributionis.
  - α) *stricte dicta* sive *inhaesionis et praedicationis simul*: analogia accidentium ad substantiam.
    - 1) corporalem.
    - 2) spiritualem.
  - β) *large dicti* sive *praedicationis tantum* et non inhaesionis=analogia attributorum ad subiectum attributionis.
    - 1) *creatum*, v. gr. subiectum mathematicae purae.
    - 2) *increatum*, v. gr. subiectum Theologiae sacrae.
    - 3) *abstrahens negative a creato et increato*, v. gr. subiectum Ontologiae.
- 2) ex parte *numeri* terminorum *secundariorum* inhaerentium vel attributorum.
  - α) *unius* tantum in uno vel quasi in uno.
  - β) *duorum vel plurium* in uno illomet aut quasi in uno.
- 3) ex parte *modi inhaesionis vel attributionis secundariorum in illo primo*.
  - α) *intrinsece* et formaliter=analogia proportionis intrinseca in uno vel quasi in uno.
  - β) *extrinsece* et mere denominative=analogia proportionis pure extrinseca vel denominativa in uno quasi in uno.
- 4) ex parte *modi proportionis* sive commenrurationis secundariorum terminorum ad primum.
  - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionis in uno vel quasi in uno presse dicta.
  - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionis in uno vel quasi in uno large dicta pro simplici habitudine ad illud unum.

...randi: *analogia ... ive operativa.*

- 1) ex parte rationis termini *principalis* proportionis vel attributionis.
  - α) secundum causam *finalem*=analogia proportionis vel attributionis *ad unum.*
  - β) secundum causam *efficientem*=analogia proportionis vel attributionis *ab uno.*
  - γ) secundum causam *exemplarem*=analogia proportionis vel attributionis *ab uno et ad unum simul.*
- 2) ex parte *numeri* terminorum *secundariorum* proportionatorum vel attributorum.
  - α) *unius* tantum ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
  - β) *duorum vel plurium* ad illudmet unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
- 3) ex parte *modi participandi rationem primi* a secundariis analogatis.
  - α) *intrinsece* vel formaliter=analogia proportionis intrinseca ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
  - β) *extrinsece* vel mere denominative=analogia proportionis extrinseca sive pure denominativa ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
- 4) ex parte *modi proportionis* sive commensurationis *secundariorum* terminorum ad primum.
  - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionis *presse dictae* ad unum vel ab uno vel ab uno et ad unum simul.
  - β) cum distantia *infinita et indeterminata.*
    - 1) syncategorematice tantum sive mere *indefinita.*
    - 2) categorematice sive *infinita simpliciter.*

... formalis = ...oportionalitatis

- 1) ex parte *conditionis* quantitatum virtualium proportionaliter comparatarum sive eorum quae proportionaliter comparantur.
  - α) ordinis *essendi*=analogia *ontologica* sive entitativa *proportionalitatis propriae.*
  - β) ordinis *operandi*=analogia *dynamica* sive operativa *proportionalitatis propriae.*
- 2) ex parte *modi proportionis* seu commensurationis mutuae utriusque proportionis comparatae.
  - α) cum distantia *finita et determinata*=analogia proportionalitatis *presse dictae.*
    - 1) *ordinata*
      - a) *continua* sive coniuncta.
      - b) *discreta* sive disiuncta.
    - 2) *permutata* sive commutata.
  - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionalitatis *large dictae.*
    - 1) cum distantia *syncategorematice* infinita tantum sive mere *indefinita.*
    - 2) cum distantia *categorematice* infinita sive *infinita simpliciter.*

...t mere virtua- ... analogia pro- ...s impropriae ...ricae.

- 1) ex parte *conditionis* quantitatum virtualium comparatarum sive eorum quae sic proportionantur.
  - α) pure *sensibilis* seu corporalis.
    - 1) *statica* et quasi entitativa=analogia *quasi ontologica* proportionalitatis metaphoricae.
    - 2) *dynamica* vel operativa=analogia *dynamica* proportionalitatis metaphoricae.
  - β) *non mere sensibilis*, sed partim sensibilis et partim intelligibilis=analogia mere dynamica proportionalitatis metaphoricae.
- 2) ex parte *modi proportionis* seu commensurationis mutuae utriusque proportionis comparatae.
  - α) cum distantia *finita* et *determinata*=analogia proportionalitatis *presse dictae.*
  - β) cum distantia *infinita et indeterminata*=analogia proportionalitatis *large dictae.*
    - 1) cum distantia *syncategorematice* infinita tantum sive mere *indefinita.*
    - 2) cum distantia *categorematice* infinita sive *infinita simpliciter.*